

XV. Andreas Olik Liber Baro de Canzifcka, Cathedralis Ecclesiæ Olomutienfis Canonicus & Custos Protonotarius Apostolicus in Præpositum Omnium Sanctorum assumptus die 20. Julii anno 1632. Præsul dignissimus, incrementi Canonici hujus in spiritualibus æquè ac temporalibus omni meliore modo promovendi semper studiosissimus, siquidem templum Monasterii decorè renovavit, & Altaria in eo erexit, prædia in statum bonum coordinavit, pagumque Rakava noviter à se coemptum Canonici Omnium Sanctorum testamento legavit, ac tandem piissimè requievit die 7. Decembris anno 1641. condigno honore reconditus in Sacello Ecclesiæ Omnium Sanctorum aliàs à se tunc erecto, nunc subtus Chorum apparato.

XVI. Alexander Ginani de Pisaver immediatè post mortem Prædecessoris sui de proprio gremio ad Prælaturam assumptus, idem etiam Præpositus Canonici Sterenbergensis infra nominandæ: cujus majorem, Matrice sua quasi neglectâ, curam gerens morte defecit anno 1658.

XVII. Balthasar Ernestus Kocus die 7. Novembris ex Domesticis ad regimen promotus, Pastoris optimi munia solerter adimplevit, dum scilicet Canonicorum suorum cætum pro cultu divino festiviùs celebrando, prout potuit, plurimùm adauxit, tectum Ecclesiæ tempore belli Suecici concrematum, cum adjuncto Campanili sumptuosè novum construxit, multaque alia laude digna gessit.

XVIII. Ambrosius Augustinus Engelman pro tuendis Canonici suæ Juribus murus inexpugnabilis. Præfuit, ut ex Schedis Authoris nostri colligo, anno 1686.

Littera P.

PÆRINGANUM.

Collegium hoc Canonicorum Regularium sub Regula Sancti Augustini militantium fundatum fuit per Conradum, Heinricum, & Gebhardum Canonicum majoris Ecclesiæ Ratisbonensis, Comites de Raning & Rottenburg, germanos fratres, ut testatur sequens Diploma Foundationis Henrici Episcopi Ratisbonensis: Obiit autem Henricus Comes anno Domini 1142. In illo Monasterio sepultus dicitur fuisse Comes Mospurgensis, cui etiam insignia Mospurgensia assignantur, fortè unum familiæ, ut etiam Joannes Avent. in sua translatione Annalium conjungit Comites de Raning & Mospurg, qui Raningensibus deficientibus in pure Advocatiæ Pæringensis Monasterii successerunt, rursus per electionem Præpositi, & Conventus Domini de Lapide, postea Domini de Abensperg, postremo Principes Bavarie subrogati sunt, vide Abenspergensium Comitum Genealogiam, in Libro Stemmatum Bavarie ab Hundio scripto.

Diploma Foundationis.

In nomine Sanctæ & individue Trinitatis. Henricus per misericordiam Dei Ratisbonensis Ecclesiæ Episcopus: omne quod scribitur, testamentum rerum gestarum continet notitiam, memoriam fidem & firmamentum. Noverint ergo omnes Christi fideles, tam futuri quam præsentis, qualiter quidam Nobiles, tres uterini fratres, Conradus primogenitus nec non Henricus Laici, & Gebhardus Matricis Ecclesiæ Canonicus cum bonæ voluntatis, Matre sua, nomine Mechtilda, Venerabili vidua, divinum cultum ampliare, & Christo in pauperibus suis ministrare cupientes, Præposituram Canonicorum Regularium, secundum Regulam Beati Augustini, in parte prædii sui in loco, qui Pargen dicitur, in Ecclesia Baptismali, nostra Authoritate constitutam, manibus propriis legitime contradiderunt, in manu nostra Beato Petro Apostolo, ad altare Matricis Ecclesiæ, ad pacem & quietem, & libertatem ejusdem Ecclesiæ quam constituerant, tutius muniendum. Postulante hoc ipso dilecto filio nostro Udalrico ejusdem Ecclesiæ Præposito, ea interposita firmitate, ut fratres inibi Deo servientes secundum Regulam Beati Augustini lineis utantur, & Oido Canonicus perpetuus inviolabiliter consecretur: unde & nos rationabilibus petitionibus ejus annuentes, in primis eandem Pærgensem Ecclesiam præsentis scripti pagina communivimus, firmiter, & immobiliter statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum canonice possidet, ut in futurum, concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit

terit adipisci, firma eidem Ecclesiæ & illibata permanere; ita ut nulla Ecclesiastica, sæcularisve persona aliquid exinde minuere vel auferre præsumat &c. &c. &c. Si quis autem huic nostræ constitutioni temere contraire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, Anathema sit, atque a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo districtæ ultioni subjaceat, cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, gratia & pax apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen acta sunt hæc anno M. C. XLIII. 7. Calend. Nov. indictione sexta.

Benefactores hujus Monasterii fuere Henricus de Haizhoven Ministerialis Ecclesiæ Ratisbonensis Uxor Beatrix, filii Conradus, & Henricus dederunt aliqua bona Monasterio, Henricus de Drupach, Conradus Miles de Pünnecken. Extant ibidem Litteræ Anno 1220. Capitulum Ratisbonensis majoris Ecclesiæ dedit huic Monasterio Parochiam in Leurendorff Anno 1291. Conrad de Turtenfeld instituit Anniversarium Anno 1291. testes, Fridericus de Rorbach, Fridericus Seeman, Ulricus Miles, & Henricus fratres dicti Ziegelhauser. Ita Hundius in Metrop. Salis. Tom. 3. p. 62. & 63. Minis, supra memoratis, minime attentis hac Præpositura Anno 1616. pleno jure incorporata fuit per Bullam Pauli V. Monasterio Andecensi in Bavaria. Sic tempora mutantur & nos mutamur in illis disponente aut saltem permittente divina Providentia.

PASSAVIENSIS CATHEDRALIS.

Passaviensem Ecclesiam Cathedralis olim Regularem fuisse, ejusdemque Canonicos communem vitam juxta Regulam a Sanctis Apostolis constitutam duxisse Pennottus noster Histor. Tripart. Part. 2. c. 39. n. 9. asserit ex Joanne de Nigravalle, cujus verba sunt sequentia: *In eadem Civitate Passaviensi, quæ est in Bavaria: Monasterium Sancti Nicolai Altmannus Episcopus Patavia auxilio Agnetis Augustæ, & Henrici Neoburgensis intra mœnia Urbis Aureliani sive Augustiniani Mystris extruxit circa annum 1050.* Assentitur quidem Clarissimus noster Joannes Antonius Zungus Pennotto, dubitat tamen, an *Altmanni* tempore Passaviensis Cathedralis adhuc Regularis fuerit, cum *Conradus* Anno 1155. necesse habuerit *unum in locum ante, & secus Ecclesiam Canonicorum lares collocare; quatenus ad decorem domus Dei fraterne fratribus, & jocunde in unum habitantibus seditiosum vulgus, & quicumque prophani, ut moribus, sic & domibus suis a Clevo se jungerentur.* Unde, concludit, ne quidem ante *Conradum* corporali Societate credendi sunt a communitate bonorum descivisse. Perturbatissimum fuisse tempore *Altmanni* Ecclesiæ Passaviensis statum & corruptos Cleri mores satis ex iis liquet quæ leguntur apud Hundium in Metropoli Salisb. Tomo I. Hæc ipsa autem morum corruptio occasionem Altmanno præbuit reformandi suos Canonicos, variaque instituendi Cleri Regularis Collegia. Videatur Miræus in Originibus Cann. Reg. cap. 34.

PASSAVIENSE ALTERUM.

In eadem Civitate Passaviensi, inquit Pennottus, loc. supra cit. Ut illo Dux anno 739. Monasterium Sacrarum Virginum Canonissarum construxit, quod S. Henricus Romanorum Rex ob preces Conjugis Cunegundæ & Hezelini fratris magnis prædiis & sylvis tributis donavit. Allegatur iterum Miræus de Collegiis Canonicorum Regularium cap. 17. Apud alios, quos legi, Authores, non inveni ampliore vetustissimi hujus Parthenonis memoriam.

PASSAVIENSE TERTIUM

S. NICOLAI EXTRA MUROS.

Totam descriptionem celeberrimi hujus Collegii desumpsit Historicus noster ex Hundii notissima Salisburgensi Metropoli, verum cum primam duntaxat Editionem præ manibus oculisque habuerit, non vidit Additiones Gewoldi, quæ plurimam illustrando huic Collegio lucem afferunt, quare illas minime hic omittendas censeo, credidique rem omnino gratam me facturum iis, qui sciunt, quantum Veritati Historiæ accedat robur ex antiquis Diplommatibus. Verba itaque, sive Hundii sive Francisci nostri sunt.

Pataviæ sive Passavii extra muros insigne floret Cann. Reg. Collegium, quod S. Nicolai vocatur. De fundatione illius scribit Aventinus fol. 551. Altmannus Episcopus Pataviæ, auxilio Hagnetae Augustæ & Henrici Neoburgensis, extra mœnia urbis Aurelianus mystis Monasterium extruxit, circa annum 1050. literæ fundationis habent 1074. De Henrico Neoburgensi in illis nulla mentio, sed de ope aliorum Nobilium, quod hoc sit factum manu & potestate Rouperti Comitis Advocati nostri, scilicet Episcopi. In Chronica scripta Monasteriorum Bavariæ invenio, in hoc loco olim a Tesselono, Bavariæ Duce, fuisse fundationem factam, quod litteris fundationis ad-versatur, cum Imperatrix fundum tradiderit, in quo Monasterium ædificatum est &c. Et Avent. hujus non meminit.

Imperatrix Hagneta juxta tenorem fundationis dedit fundum, in quo Monasterium ædificatum est, cum duobus hortis, & duobus prædiis in eodem loco. Item dedit nonam partem omnium bonorum suorum, quæ possedit in Pösepeug & in Vespurgk.

Reliquum dedit Episcopus de suo patrimonio, non de Ecclesiæ bonis.

Henricus de Formbach, Landgravius, ex utraque Oeni parte constituitur Advocatus hujus Monasterii perpetuis temporibus, super omnibus bonis, quæ sita sunt in Bojaria, qui dedit etiam in suo foresto, circa castrum Neuburg, jus cædendi ligna, ad cremandum & ædificandum necessaria sine forestica utilitate.

Hujus fuit Castrum Griespach, item Castrum Neuburg ad Oenum. Dominus Leopoldus nobilis Marggravius Austriæ constituitur Advocatus prædii in Mautern & aliorum bonorum supra & infra ejus jurisdictionem in Austria sitorum: Testes Canonici & Ministeriales nostri, *Reinhart von Rottam*, *Gosbrecht von Wesen*, *Ruger von Adelwerck*, *Eckbold von Wolnerpach*, *Castl von Schaltorff* & frater ejus *Odackber*, *Hertzweich von Kreützing*, *Rupertus frater ejus*, *Odackber von Weidach*, *jetzo von Stechwach*, *Lengass von Tagurtzhausen*, & alii quam plurimi. Dat. Pataviæ anno 1074. indict. 9. 12. Calendas Junii.

Albertus Comes de Pogen, ob damna illata, dat vectigal per terram: Testes, Comes Henricus de Orthenberch, Rapotho Com. Palat. Bojariæ, Henricus de Paungarten, Conradus de Luppurg, Alramus de Hals, Henricus Pholinger, & filius ejus Henricus, Conradus de Nusberg, Ulricus de Leubolving, Gebhardus Marschaleus, Ebo *aus dem Moos* senior. Henricus de Törring, Walther de Kraiburg, Wernherus pincerna, Richerus de Rottau, Otto de Sturpach, Hermann de Herzheim. Dat. apud Straubing, anno 1221. Extat Diploma Pataviæ.

Henricus Dux inferioris Bavariæ dedit huic Monasterio immunitatem telonei fialis in Burckhausen & Schärding. Hoc confirmant filii ejus, Otto Rex Ungariæ, & Stephanus, Duces, rursus filii Stephani, Henricus & Otto, Duces.

ADDITIONES GEWOLDI.

Fundatio Monasterii Sancti Nicolai extra Pataviam.

In nomine sanctæ & individuae Trinitatis, omnibus fidelibus in perpetuum. Nos Altmannus qualiscunque peccator, Patau, Ecclesiæ Rector, Episcopalis curæ sollicitudine commoniti sancti quoque Spiritus gratia cœlitus instigati providimus Ecclesiæ locum, in quo religiosi canonicè, pie & juste vivendo divinæ contemplationi vacare, & pro nobis & nostris confratribus cunctisque fidelibus Deo continuis debeant orationibus supplicare. Adjuvante igitur nobis felicissima Imperatrice Domina Agnete, in suburbio Pataviensis civitatis in porru Oeni fluminis fundavimus Monasterium pia devotione & sincera intentione in honore sancti Andreae Apostoli & sancti Pantaleonis Martyris, & præcipue sanctissimi Confessoris & Pontificis Nicolai, cui de nostris Dominicalibus paucissima largientes de rebus tantum ipsum dotavimus, quas a personis extraneis & vasallis nostris comparando absolvimus, aliorum etiam terræ nobilium auxilio favorabili accedente. Quam inquam fundationem Apostolicorum virorum Domini Alexandri & Domini Gregorii PP. nec non Domini Henrici Romanorum Regis, hujus nominis quarti confirmari, magna sollicitudine sigillatis privilegiis procurantes. Viris quoque religiosis illuc ex diversis cœnobiis congregatis devotum Deo obsequium ibidem præparavimus atque gratum. Propterea omnia bona, quæ nos & prænomina Augusta in communem usum fratrum illuc Deo famulantium, pie & sincere donavimus, sigillis & privilegiis ad perpetuam valitudinem duximus roborare: ea tamen conditionis lege, ut ipsi Canonici communem & regularem vitam

tam inibi ducentes, de bonis Ecclesiæ datis vel donandis, usui proprio nihil vendicent, sed pari victus & vestitus sustentatione fruētēs, pro collatis sibi beneficiis semper grates summo referant largitori. Volentes itaque idem cœnobium magno labore nostro ex novo constructum nullius Rectoris extranei præceptis seu ordinationibus subjacere, omne jus parochiale extra mœnia seu valles nostræ civitatis Pataviensis cum sepultura libera, & cum Capellis forinfecus jam fundatis vel adhuc fundandis eidem donavimus pleno jure, ita ut unus fratrum de Conventu ipsi plebi in suburbio residenti per omnium sacramentorum exhibitionem in suo Monasterio, quod eis pro parochia statuimus, debeat tanquam pastor legitimus providere. Ipsam etiam fundationem nostram gaudere volumus omnibus libertatibus a sanctis Patribus institutis, ita ut libera sit ab omni invasione laicali, & nec rebus nec hominibus infra septa ejusdem constitutis sub pœna excommunicationis, quam jam in eos ferimus, aliqua violentia inferatur. Dedit autem præfata Imperatrix in promotionem ipsius fundationis aream, in qua situm est Monasterium cum duabus curiis stabulariis: Xenfeling videlicet & Neunhoven, ut per eas habere possint fratres facilius pasqua pecorina. Item ortus & pomeria ipsi Ecclesiæ adjacentes. Item nonam partem omnium rerum suarum, quas in Persenpeug & Ibelsperg usu proprio possidebat. Ea vero quæ nos in usum & præbendam eisdem fratribus dedimus, omnia per manum Domini Remberti Comitis nostri Advocati ipsis tradidimus pro robore perpetuæ firmitatis. Sunt autem hæc, quæ eidem Monasterio dedimus sine damnis. Primo ut in nostro foresto sibi contiguo recipere debeant sine exactione juris, quod *Vorstrecht* dicitur, omnia ligna, quæ ad ædificandum necessaria habuerint vel cremandum. Item dedimus eis libere possidendum quidquid juris est extra valles civitatis, culti & inculti, a Danubio usque ad Oenum, præter duo jugera ultra montem Weinchnobell sita, una cum decimis prædictarum curiarum & aliorum agrorum quotiescunque de suo domate propriis aratris coluerint, simulque omnes decimas vinearum, ortorum, pomeriorum in eisdem terminis positorum, item dedimus eis portum sive passagium Oeni fluminis cum omni sua utilitate, gratis tamen illis omnibus transducendis, qui causa devotionis sanctorum limina duxerunt visitare. Item dedimus eis in Cantobel dimidium mansum, in Holzhaim quatuor hubas, in Hegenbach unam hubam, in Probsttraut unam hubam, circa Paentram dimidiam hubam. In Sauming dimidiam hubam, in Hasenbrüel unam hubam, in Winberch unam Hoffratam, in Stainvelde unam hubam, in Xünbach unam hubam, in Pinscheitz unam Hoffraitham, in Albruch, tres curtes stabularias cum aliis prædiis empticiis. Item ibidem duas partes decimarum; in Gehai unam curtem, in Aufhausen unum molendinum, & unam decimam, & dimidiam hubam. In Euchen-dorff unam Capellam cum omni utilitate & pleno jure. Ibidem unam curtem stabulariam & dimidiam hubam cum pratis & sylvis illuc pertinentibus. In Weitzreichsdorff unam curtem cum omnibus ejus appendiciis, in Entzenwis totam villam cum molendino & Genezeo cum sylvis, pratis, piscationibus & omni sua utilitate. Item Weringæ & Richerstorff, in Raent septem hubas. In Dornach unam curtem & unam hubam cum sylvis, pratis, piscationibus. Ibidem unam decimam, item in Ahausen, juxta Landau unam decimam. Item in Englmarsperg unam curiam cum molendino & alio prædio parvo. In Chönbrunne I. hubam, in Wachenweis duas curtes stabularias cum aliis hubis, areis, molendinis, pratis, sylvis, piscationibus ad eas pertinentibus. In Hertweis tres hubas. In Althaim unam curtem cum omnibus ejus appendiciis. Item in Aunchirchen capellam cum omni utilitate & pleno jure. Item ibidem duas partes decimarum, & unam curtem cum omnibus ejus appendiciis, & quidquid utilitatum fratres ibidem ordinare sibi poterunt, in aquis, & sylvis, qblationibus, & areis in eadem villa constitutis. Item in Aittenpach unam Ecclesiam cum omni utilitate & cum jure parochiali, & unam decimam in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ, tam cultis quam colendis. In Aha unam hubam cum sylva adjacente. In Vilshoven dimidiam hubam, in Guphara tres hubas, in Percham duas hubas, in parochia Huttarn unam decimam cum novalibus. In parochia Geluhberch unam decimam cum novalibus. In parochia Irsheim unam decimam cum novalibus. Item in Ecclesia, quæ Hainig dicitur, duas partes decimationis cum novalibus. Item duas partes decimationis novalium in sylva, quæ Hönhart dicitur, tam cultorum agrorum quam colendorum. In quatuor videlicet illis Ecclesiis quorum termini in eandem sylvam ex inferiori parte porriguntur, quarum Ecclesiarum nomina sunt hæc. Ewerswanch, Schiltarn, Aspach, Vekchesdorff, item parochiam in Grietzkirchen cum omni utilitate & pleno jure cum una decima. In omnibus terminis ipsius Ecclesiæ tam cultis quam colendis. Item parochiam in Alnthoven cum omni utilitate & pleno jure. Item decimam cum novalibus in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ. Ibidem unam Hoffraitham. In Eusten unam curtem, in Strazt quatuor hubas, in Hard unam

hubam, cum sylva adjacente, Winthain, dimidiam hubam. In Standeech dimidiam hubam. In Einling dimidiam hubam. Ad Tumheim dimidiam hubam. In Harthain dimidiam hubam, & unam curiam. In Ret unam hubam. In Püsing unam in curiam & dimidiam hubam cum omnibus illuc pertinentibus. In Teuting unam hubam & dimidiam. In Prüell dimidiam hubam. In Chalcnbach unam hubam. In Ruprebeteshoven unam decimam. Item in Austria in rure circa Ruste & Eitzendorff unam decimam. In omnibus terminis ejusdem ruris tam cultis quam colendis. Item in rure, quod Penchrith dicitur, duas partes decimationis. In quatuor Ecclesiis videlicet Neunkirchen, Vorenpach, Molte, & Rietenbuech, simulque omnes decimas novalium, in omnibus terminis earundem Ecclesiarum. Item in Ecclesia Stregen duas partes decimarum cum ipsis novalibus. Item in parochia Hohenwarth unam partem decimationis in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis. Item tres fagenas, unam in Seebach, alteram in Matsee, tertiam Pat. quæ protenditur a pede montis, in quo sita est civitas Walkerslegen. Addimus etiam quid quid ipsi fratres utilitatis sibi in eodem littore potuerint ordinare. Item in Seebach tres vineas. In Gathonia quatuor vineas. In Hunzheim quatuor vineas. In Aschalt duas vineas. In Mauttarn unam curiam cum duabus vineis. In Halle unam Sartaginem cum jure suo. In Seebach unam decimam. In Linthaim unam curiam. Item dedimus ad luminaria Ecclesiæ Capellam sanctæ Mariæ in loco Lauriacensi cum omni utilitate & jure quæ ex ipsa Capella tam oblationibus, quam censualibus vel ex areis infra cimiterium sitis, aut etiam ex quibusdam ortis ibidem potuit provenire. Pro vestitu vero fratrum ordinavimus viginti quatuor libras taliter exhibendas: De navibus Patav. decem libras, de Golderlbert sex libras, de Huerding quatuor libras, de censu Matsee tres libras, de Aufhausen unam libram. Præterea concessimus eisdem fratribus pro jure perpetuo, ut de navibus victualia eorum ducentibus supra vel infra, sive sit annona, sive vinum vel sal, quod eis pro domo necessarium habuerint in nullo loco ad nos spectante theloneum aliquid dare debeant, vel vectigal immo gaudere debeant omni jure, quod civibus competit: Adhæc omnes Ecclesias & omnes decimas præscriptas, quas eidem Monasterio tradidimus, tam libere dedimus ut cum jure patronatus etiam investituram spiritualium habeant, omniumque novalium decimas percipere debeant indivise. Concedimus etiam ipsi Præposito ut omnes causas vel quæstiones circa homines suos extra civitatem emergentes, ipse vel sui officiales per judicium debeant terminare. Exceptis his tantum, quæ mortem hominis exigunt: in illis judex noster, quantum ad corpus potestatem judicandi habebit, ita ut bona personæ nocentis Ecclesiæ integraliter debeant remanere. Indulgemus etiam eisdem fratribus liberam habere electionem; ita ut mortuo uno Præposito plenam auctoritatem habeant alterum sibi secundum suam conscientiam eligendi. Verum cum prædia ejusdem foundationis nostræ tam per felicem Augustam Agnetem, quam etiam per nos & alios multos nobiles sibi collata in diversis terrarum posita sint districtibus, ut eadem ab aliorum Advocatorum servitio libera omnimodis existant; dominum Henricum de Vornpach Comitem Provinciale ex utraque parte Oeni fluminis super omnia prædia dicti Monasterii quocunque in loco in Bajoaria sunt posita Advocatum perpetuum duximus ordinandum, cui duodecim vineas in Roetarn castro suo adjacentes Griespach cum aliis prædiis & agris ad culturam earum pertinentibus pro eo in feudum contulimus, ut ipse eadem prædia sine omni vexatione juris Advocatiæ defensare debeat, fideliter & tueri. Idem autem nobilis Comes pro exhibito sibi Advocatiæ honore, donavit eisdem fratribus pro jure perpetuo, ut in suo foresto castro suo Neuburgensi contiguo, recipere omni tempore debeant omnia ligna ad ædificandum vel cremandum necessaria, missa ab eis utilitate forestica requisita, Dominum vero Leopoldum piissimum Marchionem terræ Australis super Curiam in Mautern & super omnia prædia & decimas eorum, videlicet in Rust, in Eitzendorff, in Bachonia, in Vreindorf, in Blat, in Puechruch super tres curias, videlicet Purchwisen, Stregen, Penpach, & decimas ad eas pertinentes, super Ecclesiam & villam in Minichreuth. Item super prædia circa Ybsam & in Machlant sita, & super curiam in Intheim, & generaliter super omnia prædia eorum quocunque loco superius vel inferius in sui Marchionatus districtu posita, de bono & maturo consilio perpetuo statuimus Advocatum. Nisi forte quispiam successu temporis pro remedio animæ suæ & pro reverentia Serenissimi Nicolai Pontificis, eidem cœnobio aliquas possessiones tradiderit & jus Advocatiæ cum privilegio a Monasterio recepto in eisdem sibi servaverit illum cum debita discretionem frui volumus suo jure. Qui vero testimonium talis privilegii non ostenderit, nullum jus advocatiæ debeat vel poterit sibi vindicare. Pro servitio tamen quod occasione Advocatiæ ab Ecclesiasticis personis requiri solet, præfato Marchioni in Wukkeawez circa locum eundem viginti quatuor hubas & septuaginta honesta

mancipia titulo contulimus feudali, pro eo ut nullum aliud emolumentum deinceps nomine Advocati recipere de eorum possessionibus teneantur. Ipse vero Illustrissimus Marchio tanquam pius & devotus oblatam sibi Advocatiam oculo gratuito in suæ potestatis dominium suscipiens ad incrementum nostræ novæ plantationis, ita, ut dici posset, etiam esset noster complantator, absolvit & exemit de maturo consilio suorum nobilium Baronum eandem Ecclesiam per omnem districtum sui Marchionatus in terris, & in aquis, in foris & civitatibus ab omni jure thelonei sive mutæ, ita ut quolibet tempore anni, vinum, annonam, pisces, & alia quæque pro domo necessaria in terris & in aquis libere transducere debeant, vel si necesse fuerit in Stain & in Horn ubi granum eorum tractari solet, nec non in aliis civitatibus aut foris vendere vel locare sine omnibus exactionibus antescritis, concessit etiam eidem Monasterio, ut per nullum Judicem occasione alicujus quarimonie victualia eorum in terris vel in aquis detineri debeant, nisi prius ab eo tanquam a vero Advocato, vel ab ipso quem ad hoc specialiter statuit, justitia fuit requisita. Quas utique gratias ideo præsentis privilegio annotare curavimus, ut si forte aliquis suorum successorum, quod Deus avertat, eadem scire nollet, per hoc scriptum prædecessoris sui, benevolam munificentiam recognoscat. Advocatis igitur præmissis auctoritate omnipotentis Dei & sub pœna æternæ damnationis prohibemus, ut nec ipsi nec sui hæredes, sed nec alter quispiam Advocatorum quocunque casu succedentium aliquem de eadem Advocatia infœdare vel substituere debeat vel præsumat. Si autem aliquis nolente Domino in contrarium fecit, hic anathematis vinculis ex tunc se noverit innodatum, ac æternæ damnationis vindicta, nisi renotavit puniendum. Et si aliquis Præpositus necessitate quacunque coactus subadvocatum sibi dari aliquem petierit, hujus substitutionem ad unum tantum, vel saltem ad annos duos volumus perdurare. Quod si aliquis diutius pro Viceadvocato postulatus, tamen Præposito placuerit, ne talis ex diutina commissione advocationem hæreditariam sibi possit ascribere. Volumus ut Prælato cedente, vel decedente autoritas hujusmodi subadvocati omnimodis finiatur. Ipsi etiam præscripti Advocati in quorum judiciorum terminis pene omnia prædia Ecclesiæ jacere videntur, hanc gratiam ipsi Monasterio concesserunt ut Prælati ejusdem omnes causas sive quæstiones in hominibus eorum exortas, per se vel per suos officiales debeant judicare. Si autem culpa alicujus hominis pœnam mortis exigit, Judex in persona rei judicium exercere tenetur, bona vero ipsius Ecclesiæ remanebunt. Prædia autem, quæ Griezkirchen & in Alnthoven cœnobio dedimus memorato, nobismetipsis & nostris successoribus sine omni utilitate juris advocatiæ reservavimus defendenda, sic tamen ut Præpositus omnes causas in eis emerfas debeat judicare, nullusque successorum nostrorum super ea aliquem subadvocatum sibi præsumat substituere, sed per se pie & fideliter pro honoris sui decencia tueatur. Si autem aliquis Episcoporum honorem proprium parvi pendens eandem Advocatiam ad alias personas quocunque modo transfulerit, vel ex impotentia aut desidia ipsos tueri neglexerit, licitum erit fratribus hoc uti privilegio a Principe terræ protectionis auxilium invocare. Item quia prædia, quibus idem Monasterium dotavimus, tam libere sibi dedimus, quod nulli hominum aliquod jus hæreditarium competit in eisdem prædicti Advocati, quorum interest, de ipsis judicare prædiis statuerunt, ut nullus hominum contra eadem prædia alio testimonio agere debeat, nisi per sola privilegia, quæ super juribus specialibus a monasteriis dari solent. Et quia idem Cœnobium in latere nostræ cathedralis Ecclesiæ ideo fundavimus, ut Prælati ejusdem tanquam intimi secretarii & summi Capellani successores nostros in suis debeant oneribus supportare, congruum valde est, ut & ipsi successores nostri eandem Ecclesiam specialibus honoribus, promotionibus, favoribus & gratiis prosequi teneantur. Cum igitur omnia facta pie & juste inchoata a malignis hominibus suggestione Diabolica impugnari, imo frequentius soleant impediri, ne hoc opus nostrum religiosum ad honorem hujus Pataviensis Cathedralis factum & feliciter consummatum iniquorum columniatorum malitia successu temporis audeat vel valeat infestare, pro originali nostræ foundationis instrumento præmissa omnia præsentis pagina nostro sigillo authentico roborata, simulque cum testimonio venerabilium personarum Canonicorum nostrorum videlicet & ministerialium duximus confirmare. Testes de Canonicis Wilipoldus Tumpræpositus, Erkhengerus Decanus, Isenbertus Cantor, Paldwinus Scholasticus, Aigelbertus Archipresbyter, Egeno & Otakhrus Capellani. Ministeriales vero, Reinherus de Rotawe, Cozwertus de Wefen, Raffoldus de Morfpach, Porro de Holzhausen, Rudigerus de Ridelberch, Ekkolfus de Wolmpach, Chonzlinus de Schaltarn, & frater ejus Otakhrus, Hartwicus de Chrenzing, & Rudbertus frater ejus, Otakhrus de Weidocht, Imzo de Stegbach, Lintgotz de Taberchthausen; & plures alii ex nostris fidelibus. Ut autem hæc omnia firma & illibata permaneant, Judicio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & auctoritate beati

Petri Apostoli, ejusque Vicariorum Alexandri & Gregorii PP. fiducia sanctorum Patronorum Andreae Apostoli, Panthaleonis Martyris, Nicolai Pontificis districte interdicens, ut nullus successorum nostrorum, seu aliqua secularis vel Ecclesiastica persona de praediis Ecclesiae jam datis vel postmodum donandis invadere vel diminuere, vel usui fratrum aliquid praesumat subtrahere ullo modo. Si quis autem, quod Deus avertat, ausu nefario idipsum transgressus fuerit, si tertio commonitus, debita satisfactione non emendaverit, anathematis laqueo se noverit irretitum & partem cum Juda pessimo habiturum. Conservantibus autem pax & misericordia hic & in futuro seculo perseveret Amen. Acta sunt haec in Cathedrali nostra Ecclesia, apud Pataviam: Anno Domini Millesimo septuagesimo quarto, Indictione nona XII. Calend. Junii.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto fratri in Christo Altmanno Patav. Episcopo, & per eum Ecclesiae quam in territorio ejusdem civitatis in portu Oeni fluminis construxit, & in honore sanctae Trinitatis & passionis Domini nostri Jesu Christi, & sanctorum Andreae Apostoli Pantaleonis Martyris & sancti Nicolai Confessoris consecravit in perpetuum. Convenit apostolico moderamini, religiosis desideriis & petitionibus ea benignitate & pietatis studio condescendere, effectumque praebere, ut dum spiritualis auctoritas officii sui debitum peragit, dum pia fidelium statuta roborando venerabilibus locis praesidium defensionis impendit, hinc affectus supernae retributionis lucratur initium, quod in parando beneficio non minor fuit charitas quam potestas. Hoc enim & bonorum studiis spe proficiendi augmentum tribuit, & opus proprium fructu profectionis Deo acceptabile reddit. Itaque dilecte frater, charissima S. Petri filia Imperatrice Agnete semper Augusta indicante nobis, te in suburbio civitatis tuae juxta portum praedicti fluminis Oeni ad communem & regularem Canonicorum vitam, Ecclesiam construxisse, & ut eam juxta propositum tuae devotionis & constitut. apost. privilegiis firmarem, tum ipsa partes tuas referente, tum ipso pro te sanctissimo desiderio postulante, tanto promptius utriusque voluntati annuendum esse judicavimus, quanto & tua vota justa esse certius intelligimus, & illius desideria divino accensa spiritu ubique prosperari cupimus. Concedentes igitur tibi & praefatae Ecclesiae hujus nostri Apostolici decreti privilegium sancimus, & apostolica auctoritate statuimus, ut Clerici, qui vel nunc in eadem Ecclesia sunt ordinati, sub communi semper vita & claustrali conversatione consistant. Ad quorum communem usum confirmamus & incommutabiliter tenenda decernimus, determinate quidem & ea quae praenominata Imperatrix Augusta pro remedio animae suae donavit: Videlicet nonam partem omnium quae ad Persinbeug & Ibespurg ad manus suas culta redduntur: & ea quae tu ipse per manum Advocati tui Remberti illuc tradidisti, scilicet ante signatum portum praedicti fluminis Oeni, cum omni utilitate sua, gratis quidem transponendis, qui causa orationis vadunt. Insuper duas curtes, Senfeling & Neunhofen cum pertinentiis suis omnibus & unam Hoffraitam, quam Egeno ad usum Episcopi in altare S. Stephani Protomartyris dedit, & duas Hoffraitas in loco, qui dicitur Alburg, & decimationem ejusdem villae, cum uno manso, & unam curtem Wathenweis, Enzenwis cum Genezeo, & omni utilitate. Ad Reichstorf unum mansum & unum molendinum, Ecclesiam unam, quae dicitur Eitenbach, cum omni utilitate, quae ad Episcopum pertinebat, & unam Hoffraitam Eusten cum caeteris bonis illuc pertinentibus, & ad Althoven, unum mansum, cum decimatione ejusdem villae & ad Homtis unum mansum cum decimatione ejusdem villae. Ad Rusten decimationem. Ad Mautarn unum mansum, ad Leuben unam vineam, ad Wachawe duas vineas, ad Schönböhel duas, ad Afchach duas, ad Sebach tres, & tres sagenas: unam Patav. aliam Sebach, tertiam Matsee. Pro vestitu autem decem libras argenti de manibus Papa III. ad Matsee de censu. Haec inquam omnia & quaecunque etiam innominata bona eidem Ecclesiae vel nunc juste collata sunt, vel imposterum Deo disponente conferenda eo tenore & auctoritate ad communem usum fratrum ibidem Deo famulantium decernimus & corroboramus, ut communem & regularem vitam ducentes nihil de bonis Ecclesiae Praeposito & singulari usui vendicent. Ut haec igitur nostra decreta adjuvante Domino, undique firma illibataque permaneant, apostolica auctoritate constituimus, ut nullus Rex, Imperator, Dux, Comes, Episcopus vel Archiepiscopus, seu aliqua persona secularis aut Ecclesiastica praefatam Ecclesiam ab eo statu & ordine, quem superius confirmavimus, divellere, aut aliqua perturbatione impedire praesumat, vel quicquam de rebus & bonis Ecclesiae invadere aut diminuere, vel ab usu fructuum subtrahere audeat. Si quis autem contra hujus nostrae sanctionis decreta temerario ausu venire tentaverit, usque ad dignam satisfactionem anathematis laqueo se irretitum noverit. Qui vero haec eadem fidei devotione observare curaverit, divinae re-

mune-

munerationis gratiam & apostolicæ benedictionis hic in futuro consequatur abundantiam. Datum Romæ V. Non. Martii per manus Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyt. Cardinalis ac Bibliothecarii. Anno XII. Pontificatus Domini Alexandri II. PP. Indictione XI.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto fratri in Christo Altmanno, Pat. Episcopo, & per eum Ecclesiæ, quam in territorio ejusdem civitatis in portu Oeni fluminis construxit, & in honore sanctæ Trinitatis & Passionis Domini nostri Jesu Christi, & sanctorum Andreæ Apostoli, Panthaleonis Martyris, & sancti Nicolai Confessoris consecravit in perpetuum. Convenit apostolico moderamini religiosi desiderii & petitionibus ea benignitate & pietatis studio condescendere, effectumque præbere, ut dum spiritualis auctoritas officii sui debitum peragit, dum pia fidelium statuta roborando venerabilibus locis præsidium defensionis impendit, huic affectus supernæ retributionis lucretur meritum, quod in præstando beneficio non minor fuit charitas quam pietas. Hoc enim & bonorum studiis spe proficiendi augmentum tribuit, & opus proprium fructu profectionis Deo acceptabile reddit. Itaque dilecte frater charissima sancti Petri filia Imperatrice Agnete semper Augusta, indicante nobis, te in suburbio civitatis tuæ juxta portum prædicti fluminis Oeni ad communem & regularem Canonorum vitam Ecclesiam construxisse. Et ut eam juxta propositum tuæ devotionis & constitutionis apostolicis privilegiis firmarem, tum ipsa pro te sanctissimo desiderio postulante, tanto promptius utriusque voluntati annuendum esse judicavimus, quanto & tua vota justa esse certius intelligimus, & illius desideria divino accensa spiritu ubique prosperari cupimus. Concedentes igitur tibi & præfata Ecclesiæ hujus nostri apostolici decreti, qui vel nunc in eadem Ecclesia sunt ordinati vel aliquo postea in tempore fuerint ordinandi, sub communi semper vita & claustrali conversatione consistant. Ad quorum communem usum confirmamus, & incommutabiliter tenenda determinamus, determinatè quidem & ea quæ prænominata Imperatrix Augusta pro remedio animæ suæ donavit: videlicet nonam partem omnium quæ ad Persenburg ad manus suas culta redduntur, & ea quæ tu ipse per manum Advocati tui Remberti illuc tradidisti, scilicet antesignatum portum prædicti fluminis Oeni cum omni utilitate sua gratis quidem transponendis, qui causa orationis vadunt. Insuper duas curtes Senfiling & Neuenhofen cum omnibus pertinentiis suis, & unam Hoffatham, quam Egeno ad usum Episcopi dedit, & unum mansum & dimidium ad Stainvelde & tres Hoffathas in loco, qui dicitur Alburg, & decimationem ejus villæ cum uno manso, & unam curtem Enzelbis cum genezeo & omni utilitate & tres Hoffathas de Euchendorf cum omni utilitate. Ad Euchenstorf unum mansum & unum molendinum Ecclesiam I. quæ dicitur Aitenpach cum omni utilitate quæ ad ipsam pertinebat, & unam decimationem in parochia Huttarn, & unam Hoffatham ad Ousta, cum cæteris bonis illuc pertinentibus. Et ad Alnohoven unum mansum cum decimatione ejusdem Ecclesiæ, ad Hustam decimationem, ad Leuben I. vineam, ad Mautarn unum mansum, ad Wachawe duas vineas, ad Schönenbôhel II. ad Aschach II. & III. Sagenas, unam Patav. aliam Sebach, tertiam Matsee. Pro vestitu autem XXIV. libr. X. de navibus VI. de Golderwert IV. de Everding III. de censu Matsee I. de Aufhoven & molendinum in eodem loco. Unam Hoffatham ad Eicherstorf I. Peringen, Aunkirchen & Althaim cum omnibus pertinentiis suis I. Gerichwis I. Heining I. decimationem, Emprehtshoven II. vineas, Bunniting I. Ecclesiam cum decimatione in rure Beugen. Item decimationem Homtis. Hæc inquam omnia & quæcunque etiam innominata bona eidem Ecclesiæ vel nunc juste collata sunt, vel impostero Deo disponente conferenda eo tenore & auctoritate ad communem usum fratrum ibidem Deo famulantium decernimus & corroboramus, ut communem & regularem vitam ducentes, nihil de bonis Ecclesiæ proprio & singulariter sibi vendicent. Si quis vero Imperatorum, Regum, Sacerdotum, Clericorum, judicum ac religiosarum personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & ni ea, quæ ab illo sunt male ablata, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta desleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit Pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hi fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen. Romæ per manus Petri Presbyteri Cardinalis, ac Bibliothecarii IX. Calend. Aprilis, Anno Pontificatus Domini Gregorii PP. VII. Indictione XIII.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Ulrico Præposito Ecclesie sancti Nicolai Patavien. ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursum, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam sancti Nicolai Patavien. in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo Canonicus, qui secundum Domini & beati Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis, Ecclesiam de Alburg, de Aitenpach, de Hartkirchen, de Griezkirchen, de Alnchoven, de Minichreut, & de Windempach Ecclesias cum omnibus pertinentiis suis. Capellani sanctæ Mariæ Magdalena in Insula. Sancti Jacobi in Burgo Patav. de Aunkirchen, de Huchendorf, & sanctæ Mariæ in Anaso, Capellas cum pertinentiis suis. Decimas quas habetis in Aitenpach, in Hartkirchen, in Grieskirchen, in Munechreut, in Widempach, in Aunkirchen, in Dornah, in Sebach, in Wachenweis, in Huttarn, in Chelichperch, in Irshaim, in Haiming, in Alburg, in Alnchoven, in Eweswanch, in Schiltarn, in Aspach, in Vechilstorf, in Rust, in Isendorf, in Hohenwart, & in Buchrich. Præterea in Suburbio civitatis Patav. undecim domata, fundum quem habetis inter Danubium & Oenum II. curtes, Senftling & Neunhoven, dimidium mansum ad Tantobel, quatuor mansos Holzheim, unum mansum Hegebenach, in Probstreut, in Pachmül, in Sauming, in Hasenpuel mansum & dimidium mansum in Putra, unam curtem in Windberch, quatuor curtes in Alburg & in Gehin Engelmarsperg, in Sprinzenberg, in Pering, in Euchendorf, in Bozrichstorf, in Dornach, in Abstorf, in Althaim, in Aunkirchen, in Loth, in Eberstorf, in Pinzhaim, in Schalthaim, in Ruspach, in Griezkirchen, in Monte, in Tegenbach, in Wafen, in Aschach, in Neunmarcht, in Alnchoven, in Eusten, in Hartheim, in Büsing, in Linthaim, in Mauttarn, in Raent, in Rust, in Ysendorf, in Hohenwarth, in Burgenwis, in Stregen, & in Neunburch, curtes & curias, in quibus decimæ colliguntur. Tres mansos in Aveching, in Dornpach, in Schönenpurch, in Ahaim, in Huttenkhoven, in Hauspach, in Walte, in Hart, in Leumpting, in Raent, in Chaltenpach, in Walgsing, in Huzenperch, & in Regenhalming, mansos septem, in Reuth, tres mansos in Gerchweis & tres carratas cerevisiæ, tres mansos in Chufarn, in Perchaim, in Leunchart. & in Reichenstorf VI. mansos, quatuor mansos in Strazz, dimidium mansum in Euchendorf. in Dornach, in Ainhartstorf, in Vilshoven, in Winchlarn, in Stüde, in Eunling, in Thimheim, in Hartheim, in Büsing, in Sumptingen, in Bruhl, in Bering, in Boching, in Winchel, & in Abstorf, dimid. mansos, villam in Enzenweis, in Wachenweis, in Suembach, in Buecharding, in Neunling, & in Munchreut, villa, prædia, de Vilfa in Rotha, in Pirenepach, in Sahalchaim, in Griezkirchen, in Esgennowe, in Alnchoven, in Griendorf, in Freindorf, in Rusb, & in Euching prædia, molendinum in Enzenweis, in Amhartstorf, in Boching, in Abstorf, in Pirenepach, in Chaltenpach, & Patavienf. molendina redditus salis in Halle, vineas in Griezkirchen, in Aschach, in Iselburch, in Wathawe, in Hunzhaim, in Freindorf, in Chrembs & in Mautarn vineas cum areis, domibus, pratis, pascuis, piscationibus, nemoribus, & omnibus aliis utilitatibus suis. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos & absolutos a sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra professionem fas sit, absque Præpositi sui licentia nisi arctioris religionis obtentu de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium literarum nostrarum cautione nullus audeat retinere. Illud districtius inhihentes, ne terras seu quodlibet beneficium Ecclesie vestre collatum, liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari, absque consensu totius Capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si quæ donationes aut alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas censemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverit, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obstitat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet suc-

cessio-

cessorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei & sancti Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati nostræ paternam imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra claufuras locorum seu Ecclesiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam exercere audeat. Decernimus igitur ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & Diocesani Episcopi Canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, ni reatum suum congrua satisfactione correxerit, pietatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum Judicem præmia æternæ salutis inveniant, Amen. Datum Viterbii per manum Wilh. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii V. Idus Aprilis, Indiæ. VIII. Incarnationis Dominicæ anno M. CC. XX. Pontificatus vero Domini Honorii PP. tertii, anno quarto.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Ulrico, Præposito & Capitulo Ecclesiæ sancti Nicolai Pat. Ordinis S. Augustini, salutem & apostolicam benedictionem. Significasti nobis fili Præposite in nostra præsentia constitutus, quod bonæ memoriæ Altm. Patav. Episcop. Ecclesiæ vestræ fundator, claræ memoriæ L. Marchioni de Austria, & H. Comiti de Vornbach advocatiam concessit ejusdem Ecclesiæ, certis ei redditibus deputatis, statuens ut nec ipsi nec hæredes eorum aliis possent officium Subadvocationis concedere Præposito & Capitulo ipsius Ecclesiæ inconsultis. Unde nobis humiliter supplicastis, ut statutum hujusmodi apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris precibus inclinati quod super hoc provide & utiliter statutum est, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Viterbii, XVII. Calend. Maji, Pontificatus nostri anno quarto.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Ulrico Præposito Ecclesiæ S. Nicolai Patav. ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursum aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam sancti Nicolai Patav. in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo Canonicus, qui secundum Domini & beati Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesias de Alburg, de Eitenpach, de Hartkirchen, de Grieskirchen, de Alnchoven, de Munichreit & de Widenspach Ecclesias cum omnibus pertinentiis earundem. Capellam sanctæ Mariæ Magdalænæ in Insula, sancti Jacobi in Burgo Patav. De Aunkirchen, de Euchendorf, & sanctæ Mariæ in Anaso cum privilegiis earundem. Decimas, quas habetis in Aitenpach, in Hartkirchen, in Grieskirchen, in Münichreuth, in Widenspach, in Aunkirchen, in Dornach, Sebach, in Bachenweis, in Hutarn, in Chelichperg, in Irshaim, in Haming, in Alburg, in Alnchoven, in Eberswanch, in Schaltarn, in Aspach, in Vechilstorf, in Rust, in Isendorf, in Hochenwart & in Pukirch. Præterea in suburbio civitatis Patavien.

vien. undecim domata, fundum, quem habetis inter Danubium & Oenum, duas curtes Senfeling & Neunhofen dimidium mansum, ad Tantobel quatuor mansos, Holzhaim, unum mansum, in Haibach, in Brobestraut, in Pauchmill, in Sammig, in Hafenprüel mansum, & dimidium mansum in Putra, unam curtem in Winbercht, quatuor curtes in Alburg, & in Geihai, in Englmarsperg, in Wachenweis, in Pöringen, in Euchendorf, in Parutrichstorf, in Dornach, in Abstorf, in Althaim, in Aunkirchen, in Löhhe, in Nerckerstorf, in Punzhaim, in Schalchaim, in Rispatch, in Grietzkirchen, in monte, in Tegernbach, in Basen, in Aschach, in Neuenmarkht, in Alnchoven, in Eusten, in Hartheim, in Busingen, in Lintheim, in Mautarn, in Raent, in Ruft, in Eizendorf, in Hohenwart, in Burgarwefen, in Stregen, & in Neunburch curtes & curias, in quibus decimæ colliguntur. Tres mansos in Ayeching, in Schönenburg, in Aha, in Huchenhoven, in Hauspach, in Waide, in Hart, in Raent, in Lunthing, in Chaltenpach, in Walchfing, in Pulsheimerberch, & in Reginhalming, mansos septem in Ruth, tres mansos in Gerchweis, & tres carratas cerevisiæ, unum mansum in Ahalming, tres mansos in Cupharn, in Bercham, & in Leinhart, & in Reicherstorf sex mansos, quatuor mansos in Strazz, dimidium mansum in Euchendorf, in Dornach, in in Emhartstorf, in Winchlarn, in Stude, in Vilshoven, in Emmling, Tynheim, in Hartheim, in Büsing, in Lumting, in Prüle, in Pering, in Pocking, in Winthel, & in Abstorf dimidios mansos, villam in Enzenweis, in Simpach, in Purckarding, in Neningen, & Munchreut villas prædia de Villa, in Rota, in Pirenpatch, in Schalchheim, in Grietzkirchen, in Escetunawe, in Alnchoven, in Griendorf, in Freindorf, in Ruft, & in Fuching prædia, molendinum in Pruck, in Enzenweis, in Amhartstorf, in Pocking, in Abstorf, in Prienpach, in Chaltenpach, & Petav. molendina. Reditus Salis in Halle, vineas in Grieskirchen, in Aschach, in Ibespurg, in Wachowe, in Hunzheim, in Freindorf, in Chrems, & in Mauttarn vineas, cum areis, domibus, pratis, pascuis, piscationibus, nemoribus, usuagiis, in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & in omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sane novallium vestrorum a propriis manibus aut iumptibus colitur sive emitur mentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos & absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra professionem fas sit, absque Præpositi sui licentia nisi arctioris religionis obtentu de eodem loco discedere: discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ collatum liceat alieni personaliter dari, sive alio modo alienari, absque consensu totius Capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si quæ vero donationes aut alienationes aliter, quam dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis suppressa voce divina officia celebrare. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ nostræ sine assensu Diocesani Episcopi & vestro Capellam seu oratorium construere audeat salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis & Episcopis, Archidiaconis & Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis secularibusque personis in Ecclesia vestra omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obstet, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a Laicis detinentur redimendi & legitime liberandi de manibus eorum & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars majoris & sanioris consilii secundum Deum & beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu Ecclesiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam exercere audeat. Præterea omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontific. Ecclesiæ vestræ concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum a Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino homini liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre,

auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conseruentur eorum per quorum gubernationem ac sustentationem concessa sunt usibus omnimodis profutura: salva sedis apostolicæ auctoritate, & Diocesani Episcopi canonica iustitia, & super decimis moderatione Concilii generalis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrue satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum Judicem præmia æternæ salutis inueniant. Amen. Datum Lateran. per manus Magist. Martini sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii V. Idus Decemb. Indiçt. VI. Incarnationis Domin. anno M. CC. XXVII. Pontificatus vero Domini Gregorii PP. IX. anno primo.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Præposito & Capitulo Ecclesiæ sancti Nicolai Pat. Ordinis S. Augustini, salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ex vestra sane relatione didicimus quod bonæ memoriæ Altmannus Pat. Episc. Ecclesiæ vestræ fundator claræ memoriæ. L. Marchioni de Austria & H. Comiti de Vornpach, advocatiam ejusdem Ecclesiæ pro ipsius utilitate concessit, certis eis redditibus deputatis constituens, ut nec ipsi Advocati, nec eorum hæredes concessa super advocatiæ officium aliis possent vel concedere inconsultis. Nos igitur vestris justis postulationibus inclinati, statutum hujusmodi sicut provide ac utiliter factum dinoscitur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Oti: V. Calend. Maji. Pontificatus nostri anno secundo.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Præposito & Conventui S. Nicolai Pat. Ordinis sancti Augustini salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Deo poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem terras, possessiones, redditus, qui oblati vulgariter appellantur, libertates quoque ac immunitates nec non antiquas & rationabiles Monasterii vestri consuetudines hætenus ac alia bona vestra sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis vobis & per vos Monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Perusii II. Calend. Maji. Pontificatus nostri anno tertio.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati Monasterii Scotorum in Vienna Patav. Dioc. & Salzbürgen. & Ratisbonen. Ecclesiarum Decanis salutem & apostolicam benedictionem. Ad compescendos conatus nefarios perverforum, qui personas & loca Ecclesiastica super bonis & juribus suis offendere, ac multiplicibus perturbare molestiis non verentur, tanto magis per nos decet opportuno remedio providere, quanto amplius turbationis hujusmodi & molestiæ in divinæ Majestatis offensam, nec non Ecclesiasticæ libertatis redundare dispendium dinoscuntur. Dudum siquidem cum in diversis mundi partibus consules civitatum & rectores, nec non alii, qui potestatem habere videbantur, tot onera frequenter imponerent Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videretur, quam sub Pharaone fuisset, qui legis divinæ notitiam non habebat, quique omnibus aliis servituti subactis, sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publico eis

alimoniam ministravit. In concilio Lateranensi Ecclesiæ immunitati providendo, sub anathematis districtione prohibitum exitit; ne Consules, Rectores, aut alii prædicti Ecclesias & viros Ecclesiasticos talliis seu collectis vel exactionibus aliis aggravare præsumerent, transgressores & fautores eorum præcipiendo anathematis sententiæ subjacere don. satisfactioni impenderent competen. & deinde in generali consilio editum fuit, quod si Episcopi forte simul cum clericis, etiam si tantam necessitatem vel utilitatem inspicerent, ut absque ulla coactione ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi Laicorum non suppeteret facultas subsidia per Ecclesias Laicis ducerent concedenda, minime super hoc consulto Romano Pontifice concessionem & sententiæ, quæ a talibus vel de ipsorum mandato forent promulgatæ essent irritæ & inanes nullo unquam tempore valituræ, & in ipso etiam generali Concilio decretum exitit, illum qui infra tempus sui regiminis propter fractionem, constitutionem & sanctionum hujusmodi sustineret anathem. tanquam post illud non esset ad satisfactionis debitum compellendus. Nec non ipsius successorem, qui non satisfaceret infra mensem manere Ecclesiastica censura conclusum, donec satisfaceret competenter, cum succederet monte, qui substitueret in honore. Postmodum vero felicitis recordationis Honorius Papa III. prædecessor noster attente considerans, quæ quondam Fridericus secundus olim Romanorum Imperator tunc sub obedientia & devotione sanctæ Romanæ Ecclesiæ persistens ad laudem ejusdem Ecclesiæ & sacri decus Romani Imperii cupiens, ut expurgatis quorundam erroribus & iniquis statutis penitus destitutis, de cætero Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ plena vigerent quiete & securo libertate gauderent, ac pie ac juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo abundaverat, ut non dubitarent, contra Ecclesiasticam disciplinam & sacros ordines statuta sua infringere adversus iniqua irritaverat & perceperat, irrita nuntiari & omnia statuta & consuetudines, quæ civitates & loca, potestates vel Consules, aut quæcunque aliæ personæ contra libertatem Ecclesiæ vel personas Ecclesiasticas hujusmodi edere aut servare tentarent: cont. tant. sanction. de ipsorum capitularibus infra duos menses post ipsius legis publicationem penitus aboleri facerent. Et si de cætero talia attentarent, illa ipso jure decrevit esse nulla, & eos sua jurisdictione privatos, nec non locum, ubi talia deinceps præsumpta fuissent, banno mille marcarum auri fisco imperiali præceperat subjacere. Potestates vero, Consules, statuarii, & scriptores statutorum prædictorum, nec non consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memorata judicarent, extunc essent ipso jure infames, quorum sententias & actus legitimos statuerat, aliquid non tenere. Quique si per annum præfatarum constitutionum inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum suum imperium mandavit impune ab omnibus occupari. Salvis tamen nihilominus pœnis aliis contra tales in eisdem generalibus Conciliis promulgatis. Et insuper voluit idem tunc Imperator, quod nulla communitas aut persona publica seu privata collectas seu exactiones angarias, vel per angarias Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis hujusmodi imponere seu invadere Ecclesiastica bona præsumeret, quod si secus faceret, & requisita ab Ecclesia vel imperio hujusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilominus banno imperiali subjaceret, quod sine satisfactione debita nullatenus remitteretur. Statuerat insuper quod quæcunque communitas, vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem Ecclesiæ violatam persisteret, ipso jure similiter banno imperiali subjaceret, a quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento: & insuper ordinaverat, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel civili ad iudicium seculare trahere præsumeret, contra canonicas sanctiones & constitutiones imperiales. Qui si secus faceret, actor a suo jure caderet, & iudicatum non teneretur, & Judex foret ex tunc iudicandi auctoritate privatus. Quodque iudices temporales, qui Clericis & personis Ecclesiasticis justitiam denegare præsumerent, tertio requisiti suam jurisdictionem amitterent. Constitutionem ipsam de concilio etiam fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui tunc erant, auctoritate apostolica approbans & confirmans ipsam mandavit inviolabiliter observare. Nec non statuarios & scriptores ac violatores prædictos excommunicatos eadem auctoritate nunciari, & deinde ad audientiam divæ memoriæ Caroli quarti Romani Imperatoris semper Augusti deducto, quod nonnullæ seculares personæ in potestatibus & officiis publicis constitutæ, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones, & alii Domini temporales, nec non Consules civitatum, oppidorum, villarum, & locorum Rectores in diversis provinciis ejusdem imperii Dei timore postposito, statuta singularia & iniquas ordinationes motu proprio & de facto contra ipsas personas Ecclesiasticas & Ecclesiarum libertates, ac eadem privilegia condiderant, illisque de facto & publice utebantur contra cunctas & legitimas sanctiones utpote quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam

trans-

transferentur, & ne Clerici in sacris ordinibus constituti ad agendum & testificandum in civilibus, & maxime in piis causis aliquatenus admitterentur. Quodque excommunicati laici & publice sententiati in civili foro repellerentur. Et insuper prædicti Domini temporales Consules & Rectores per secularem potestatem res & bona clericorum occuparent, arrestarent, & oblationes Christi fidelium minuerent, atque restringerent, exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus Ecclesiarum exigent & extorquerent, possessiones Ecclesiarum & personarum earundem devastarent incendiis & rapinis, contractus inter clericos & laicos factos, legitime ad libros civitatum, villarum & locorum prædictorum inscribere & sigillare recusarent, donataque legata ad fabricas & Ecclesiarum structuras contra Prælatorum voluntatem & aliorum quorum intereat usurpare præsumerent, ac in fraudem & odium Clericorum debemus etiam & rebus eorundem Clericorum, quæ non causa negotiationum, sed pro eorum propriis usibus per eorum terras ducebantur, seu devoti faciebant thelonium exigere & recipere non verebantur, & confugientes ad Ecclesias & earum cœmeteria extrahere contra Canonicas & imperiales sanctiones & huiusmodi præsumperant & præfumebant. Idem Carolus Imperator tanquam Christianissimus Princeps volens in præmissis providere de remedio salutari, etiam de quorundam Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumque aliorum sacri Imperii sæpèdicti consilio & auctoritate imperiali quæcunque statuta & consuetudines prædicta tanquam per canonicas & civiles sanctiones expresse reprobata, cassavit, irritavit, & annullavit, ac cassa, & irrita nulliusque esse voluit roboris & momenti. Præcipiens sub imperialis banni pœna universis & singulis Principibus & Dominis temporalibus, consulibus, potestatibus, & aliis in officiis publicis in eodem imperio constitutis, quatenus ex tunc ipsorum statuta & ordinationes sint, in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis edita fuerunt, omnino revocarent, & de luce tollerent. Quodque secundum ea non judicarent amplius, nec nec sententias dictarent, aut eisdem in iudicio vel extra iudicium quomodolibet per se & contra eandem Ecclesiasticam libertatem potirentur pronuntiavit. Insuper & eadem decrevit auctoritate, quod quicumque Laicus cujuscunque status aut conditionis existeret, ausu sacrilego & propriæ temeritatis audacia sacerdotem vel clericum secularem, vel religiosum diffidaret, proscriberet, captivaret, spoliaret, occideret, multaret, aut in carcere detineret, vel huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaret, vel eis favorem præstaret, præter pœnas a sacris Canonibus & legalibus sanctionibus in tales inflictas eo ipso redderetur infamis, ac omni honore privatus. Hæc autem placita & consilia nobilium admitterentur quovismodo hortans insuper in Domino & requirens Ecclesiasticos Prælatos in eisdem partibus qui committerentur talia constitutos, ut legem imperialem huiusmodi per eorum Ecclesias & Synodos publicarent; ne transgressores huiusmodi per simulatam ignorantiam suam volent in hac parte malitiam excusare, prout in constitutionibus & sanctionibus conciliorum & Honorii prædictorum ac imperialibus præfatis plenius continetur. Cum autem sicut lamentabili querela dilectorum filiorum Præpositi, Decani & Capituli singulorumque Canonicorum & Personarum Ecclesiæ Patavien. nec non univerforum Clericorum Civitatis & Diœces. Patav. nuper accepimus nonnulli Principes, Duces, Comites, Barones, & aliæ seculares potestates earundem constitutionum & sanctionum Canonicarum & legalium forsan ignorari, contra ipsas a Præposito, Decano, Capitulo, Canonicis personis & Clero præfatis forsan tallias, gabellas, & alias exactiones illicitas hæctenus extorserint, & adhuc extorquere nitantur, & etiam bona ipsorum Præpositi, Decani, Capituli, Canonicarum personarum & suis usibus applicaverint, nec non occupare, invadere, arrestare, detinere, & eisdem suis usibus applicare, similiter de facto præsumant, in animarum suarum periculum, nec non Præpositi, Decani, Capituli, Canonicarum personarum & Clerici huiusmodi non modicum præjudicium atque damnum in præmissis eisdem Præposito, Decano, Capitulo, Canonicis personis & clero opportune providere volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta in virtute S. obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios Præposito, Decano, Capitulo, Canonicis personis, & clero præfatis contra quoscunque transgressores & violatores constitutionum, & sanctionum earundem cujuscunque status, dignitatis, & excellentiæ fuerint, efficiatis defension. auxilio assisten. non permittatur eos contra canonicas & legales constitutiones & sanctiones huiusmodi indebite molestari, nec non easdem constitutiones, ubi & quando expedire videritis, solenniter publicare faciatis, transgressores & violatores huiusmodi si & prout justum fuit, ac ubi & quoties expediret, tamdiu excommunicatos, anathematizatos publice nuntiari, donec ab earundem talliarum, collectarum, impositionibus, & quarumlibet extorsionibus nec non honorum Præpositi, Decani, Capituli, Canonicarum personarum & Cleri huiusmodi invasionibus, arrestationibus, oc-

cupationibus, detentionibus, applicationibus omnino desistant, nec non etiam efficaciter restituant eisdem Præposito, Decano, Capitulo, Canonicis personis & Clero occon. promissorum per eos læsis seu gravatis tallias, gabellas, & exactiones ipsas, ac etiam bona Præpositi, Decani, Capituli, Canonicarum personarum & Cleri prædictorum arrestata, occupata, detenta, & applicata ipsis, aut quæ per se vel alios, illo prætextu quomodolibet receperint cognovimus temere & illicite usurpaverint, a se libere omnino relaxent, ac in manibus vestris juraverint, quod de cætero talia non committant, ac ea committentibus non præstent auxilium, consilium & favorem, contradictores per censuras ecclesiasticas & alia juris remedia opportuna compescendo; invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Cæterum si forsan hujusmodi transgressorum aut violatorum, vel ea fieri mandantium ipsisque consentientium seu dantium illis per se vel alios directe vel indirecte publice vel occulte auxilium, consilium, favorem, præsentia præmonitionibus & requisitionibus per vos de ipsis faciendis tute, secure, vel commode haberi nequiret. Nos vobis monitiones & requisitiones hujusmodi ac citationes quaslibet per edicta publica locis affigendi publicis, de quibus sit verisimilis conjectura. Qui ad notitiam citatorum & monitorum hujusmodi provenire valeant faciendi plenam & liberam concedimus tenore præsentium potestatem. Volentesque monitiones, requisitiones, & citationes hujusmodi perinde ipsos citatos, requisitos, & monitos, ut præmittitur, arcent, ac si eis factæ & insinuatæ principaliter & personaliter extitissent. Non obstant. tam piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, quibus cavetur ne aliquis contra suam civitatem & diocesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ dioceseos ad iudicium evocetur, seu sive Judices ex civitate & dioc. in quibus deputati fuerant, contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam dietam a fine dioc. eorundem trahere præsumant, ultra dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, ac de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, quam aliis constitutionibus apostolicis, gratiis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra vel intra certa loca ad iudicium evocari non possunt, per literas apostolicas non faciendum & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Mantuæ II. Calend. Novemb. Pontificatus nostri anno primo.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Præposito & Ecclesiæ Pataviensi, salutem & apostolicam benedictionem. Regimini universalis Ecclesiæ præsidentes pro fidelium præsertim religiosorum, ac illorum monasteriorum & locorum, nec non Ecclesiarum quarumlibet statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti pastoralis teneamur officii, sollicitæ considerationis intuitu libenter extendimus, & ut ea; per quæ illorum indemnitatibus consulitur, libenter adhibemus sollicitudinis nostræ partes. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpositi & Conventus Monasterii sancti Nicolai, in suburbio Patav. ordinis sancti Augustini, per Præpositum soliti gubernari, petitio continebat, quod licet Præpositus & Conventus dicti Monasterii parochialem Ecclesiam in Windespach Patav. dioc. ex donatione bonæ memoriæ Ulrici Episcopi Patav. tanquam dicto Monasterio appropriatam ordinaria auctoritate factam per centum annos & ultra pleno jure possedissent, illamque quandoque per Canonicos dicti Monasterii, quandoque vero per clericos sæculares ad nutum eorum regi & gubernari fecissent, a tempore etiam cujus contrarii memoria non existit. Nihilominus tamen dilectus filius Henricus de Lauffen presbyter dictæ dioc. asserens sibi de dicta Ecclesia, tunc per obitum quondam Wolfhardi Wulging ipsius Ecclesiæ Rectoris extra Romanam Curiam defuncti vacante Apostolica fuisse auctoritate mandatum provideri, quodque ipsi Præpositus & Conventus illam detinebant indebite occupatam, tandem item Henricus in causa per eum contra dictos Præpositum & Conventum mota & in palatio apostolico coram diversis auditoribus causarum dicti Palatii ex commissionibus apostolicis diutius ventilata. Tres pro se & contra ipsos Præpositum & Conventum, per quas inter cætera dicta Ecclesia Henrico adjudicata, & super ea Præposito & Conventui prædictis perpetuum silentium impositum extiterat, diffinitivas sententias reportavit. Cum autem sicut eadem petitio subungebat; si Ecclesia ipsa taliter a dicto Monasterio memorato alienaretur, magna & irrecuperabilia damna evenirent Monasterio memorato, & idem Henricus prædictis sententiis nondum executioni demandatis ecclesiam ipsam, ac omne jus sibi in ea vel ad eam quomodolibet competens sponte ac libere resignare proponat. Pro parte dictorum Præpositi & Conventus, ubi fuit humiliter supplicatum, ut donationi & confirmationi prædictis pro eorum subsistentia fir.

firmiori robur apostolicæ confirmationis adjicere & alias ipsis Præpositis & Conventui in præmissis oportune providere de benignitate apostolica dignemur. Nos itaque qui de præmissis certam notitiam non habemus hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si vocatis qui fuerint evocandi, ita esse invenis, super quo tuam conscientiam oneramus, donationem & appropriationem prædictas, & quæcunque inde secuta auctoritate nostra approbes & confirmes, supplens omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus pro ipsorum Præpositi & Conventus tutela potiori resignationem ab eodem Henrico vel Procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto, si eam sponte & libere facere voluerit ut præfertur eadem auctoritate nostra recipias & admittas, eaque parte recepta & admissa ecclesiam prædictam cujus quindecim eidem Monasterio, cujus ducentarum marcarum argenti fructus, redditus, & proventus secundum communem estimationem, valorem annum, & ipsi Præpositus & Conventus asserunt, non excedunt, cum per hujusmodi resignationem vacaverit, etiam si actu ut præmittitur, vel alias quovis modo, vel ex alterius cujuscunque persona, vel per liberam resignationem ipsius Henrici vel alicujus alterius etiam coram notario publico & testibus extra dictam curiam sponte factam, vel per constitutionem felicis recordationis Joannis Papæ XXII. prædecessoris nostri, quæ incipit. Execrabilis vacet, etiam si tanto tempore vacuerit, quæ ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, vel ipsa Ecclesia dispositioni Apostolicæ specialiter reservata existat, & super ea in aliquos alios lis pendeat indecisa cum omnibus juribus & pertinentiis suis eadem auctoritate de novo in perpetuum unias, incorpores, & annectas. Ita quod liceat præfato Præposito & Conventui per se vel alium, seu alios corporalem possessionem Ecclesiæ juriumque & pertinentiarum prædictarum auctoritate propria libere apprehendere, nec non fructus, redditus, & proventus inde percipere, & in usus dicti Monasterii convertere, & perpetuo retinere, ipsam Ecclesiam per unum ex Canonicis dicti Monasterii vel alium sæcularem presbyterum regi & gubernari facere. Ac illum ad nutum eorum quoties eis videbitur remove & alium loco illius ponere & deputare alicujus super hoc licentia minime requisita. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ etiam prædecessoris nostri & aliis constitutionibus & ordinationibus Monasterii & ordinis prædictorum quibuscunque contrariis juramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales vel speciales dictæ sedis vel legatorum ejus litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus, etiam pro tempore habitos per easdem, & quæcunque inde secuta ad dictam Ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad affectationem aliorum beneficiorum præjudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis ac litteris apostolicis generalibus & specialibus, quorumcunque tenore existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habendis fit in nostris literis mentio specialis. Nos enim ex tunc irritum decrevimus & inane; si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Romæ apud sanctum Petrum V. Idus Maji, Pontificatus nostri anno sexto.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex, Ecclesias Dei ab hostium visibilium incursum defendere nos constituit Dominus, ut eidem vacare D. possit liberius & invisibilibus tenebrarum potestatibus resistere valeant securius. Siquidem in Suburbio Pat. quoddam Monasterium Altmannus ejusdem Pataviensis sedis Episcopus fundavit, & ad sanctæ & individuæ Trinitatis honorem, Andreæ Apostoli & Nicolai Pii Pontificis nominibus attitulavit, ad quod Apostolicæ sedis auctoritatem, quo acceperat, nostram quoque eis deesse damnum aestimabat, quam nos eis addere rogabat, at nos justæ petitioni ejus tam devote quam debite acquievimus. Unde hoc auctoritatis nostræ regale edictum a nobis exeat, ut quicquid Altmannus fundator seu aliquis utriusque sexus eidem præfata Ecclesiæ de suo vel jam tradidit, vel tradere voluerit, firmum, traditum & ab omni vendicatione securum permaneat. Quod si aliquis Dei inimicus, quod absit, hoc decretum violare præsumperit, nostra sententia regali se feriendum timeat. Cujus confirmationis testem chartam præsentem scribi jussimus, quam ut infra videtur, manu nostra corroboratam, & sigilli nostri impressione insignitam omnis generis tam futuræ quam præsentis notitiæ reliquimus. Anno incarnationis Dominicæ M. LXXIII. Indictione XIII.

VIII. Calend. Junii. Dat. ann. ante ordinationem Domini Henrici IV. XX. regni vero XVIII. Actum Ratisponæ in nomine Domini. Amen.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Imperator Augustus; cunctis Christi fidelibus in perpetuum. Ecclesias Dei ab hostium visibilibus infestatione defendere, nostrum Dominus constituit Imperium, ut ii, qui in locis sanctis, ac Deo dicatis spiritualiter Deo militant, quanto securius ac liberius nostra tuitione Deo vacant, tanto imperium nostrum in præfenti exaltetur, & sublimius bravium perpetuæ remunerationis nobis pareatur in regno cælorum. Siquidem in suburbio Pataviensis Ecclesiæ in transitu fluminis Oeni piæ memoriæ Altmannus ejusdem Ecclesiæ Episcopus, favente & cooperante dignæ memoriæ Avia nostra Agnete Imperatrice Monasterium fundavit & ad sanctæ & individuæ Trinitatis honorem, Andrea Apostoli & Pantaleonis Martyris & beati Nicolai pii Pontificis nominibus attitulavit. Unde quia fratres præfati Monasterii privilegium Patris nostri acceperunt primitus quoque nostri imperii idem Monasterium, & quæ ad illud pertinent, muniri devote postulaverint, ut prædictorum sanctorum nobis ubique non desit adjutorium. Quorum petitioni tanto clementius annuendum esse censuimus quanto non minor est potestas quam voluntas. Igitur hoc nostræ autoritatis imperiali edicto promulgamus, ut quicquid Altmannus Episcopus ejusdem Ecclesiæ fundator seu aliquis utriusque sexus fidelis eidem Ecclesiæ de suo vel tradidit vel tradere voluerit, firmum & inviolabile, & ab omni invasione & infestatione hostili maneat securum. Imprimis ergo omnia quæ prædicta Avia nostra, piæque memoriæ pater ejus illuc tradiderunt, nos quoque quisque prædium teneat, pro amore Dei & animæ nostræ remedio damus, nonam videlicet partem de Ibelsburg & Persenburg. Quæ vero sequuntur per manum advocati sui Remberti præfatus tradidit Episcopus, scilicet decimas de hortis, de pomariis, de vineis, de agris, quæ de illo domate coluntur, ad hospitale pauperum ibidem constitutum, ad usum quoque fratrum præsignatum portum fluminis Oeni cum omni utilitate sua, Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ dimidio manso dotatam in suburbio vestræ civitatis XI. domata, & quicquid juris est a Danubio usque ad Oenum præter duo jugera, insuper duas stabularias curtes, Senfeling & Neunhöhen cum omnibus pertinentiis suis. Ad Tantobel dimidium mansum, ad Holzheim IV. hubas, ad Hegenbach unam, ad Pröbstrewt unam vasa tornata solventem, unam Hoffatham ad Vindlberch, unam hubam ad Stainveld, unam ad Sunbach & ad Winzhaim I. Hoffatham in loco, qui dicitur Alburg, & duas partes decimationis ejusdem Ecclesiæ cum una huba: ipsam vero Ecclesiam Ulricus Pat. Episcopus pro concambio sagenæ, quæ est in loco, qui dicitur Matsee, illuc tradidit. Dedit etiam prædictus Episcopus Altmannus III. hubas ad Avecking solventes ferrum, unum molendinum ad Aufhausen, ad Reicherstorf I. curtim, ad Euchendorf unam cum hubis illuc pertinentibus, ad Bazrichstorf I. Enzenweis cum Genezeo & molendino, sylvis, pratis, piscationibus, & omni utilitate sua I. Hoffatham ad Wachenweis I. Chaltenprunn, cum omnibus ad eas pertinentibus I. Hoffatham Gerchweis cum I. huba, tres carratas cerevisiæ de bonis Episcopi in eadem villa, Aunkirchen cum decimatione & una huba, Althaim cum sua utilitate, Ecclesiam quæ dicitur Aitenpach, cum servitio, quod Episcopo solvebat, dimid. hubam ad Vilshoven, II. ad Chufarn III. ad Perchaim I. ad Huchenhoven, I. ad Habechsparch, I. ad Walda, & decimationem in Parochia Hutarn, I. ad Chelichperg, I. ad Irshaim II. partes decimationis Ecclesiæ, quæ dicitur Hauning cum I. manso II. partes decimationis novalium sylvæ, quæ dicitur Hohenhart. tam cultorum quam colendorum in illis ecclesiis quorum termini in eandem sylvam ex utraque parte porriguntur, quarum nomina sunt Vechelstorf, Eberswanch, Schiltarn, Aspach, Habing, quas partim ab Hermanno Babenbergens. Episcopo jure synodali cum decimatione aliarum XII. hubarum obtinuit, partim ut in proprio Episcopatu nemine contradicente dedit, donavit, & Ecclesiam quæ dicitur Griezkirchen cum I. decima. Ad Muchoven I. hubam cum decima. I. Hoffatham ad Eusta cum IV. mansis dimid. mansum Prül ad usum apum, dimid. ad Munheim I. decimationem ad Ruprechtshoven I. hubam ad Chaltenpach. In oriente I. decimationem ad Rusta I. ad Zontes I. ad Hohenwart, in rure quod dicitur Penga II. partes decimationis ad Mauttarn unam hubam, ad Widach I. Dedit & III. sagenas. I. Sebach, I. Patav. I. Mathsee. In loco qui dicitur Halle I. Sartaginem cum suo jure, ad Sebach III. vineas, ad Afschach II. ad Fibach I. ad Leumending II. ad Schönenbuhel, II. ad Leubm I. ad Wachawe IV. ad Mautarn I. ad Hunteshaim I. ad luminaria Ecclesiæ dedit Capellam S. Mariæ in civitate Laureacensi, ad eandem Ecclesiam luminaria dedit, Bernhardus de Schönhiring quandam partem de censu navium, Pat. Pro vestitu autem ordinavit XXIV. libras X. de navibus Pataviens. VI. de Goldervent, IV. de Everding, tres de censu Mathsee.

I. Aufhausen, Sunt etiam quædam quæ alii fideles pro remedio animarum suarum præfacæ tradiderunt Ecclesiæ. Quidam nobilis homo nomine Herzil tradidit Pering & Rieherstorff cum uno molendino. Quædam matrona nomine Azala I. hubam ad Puch, Dominus ad Alram petente Astwino I. Hoffatham ad Walgesing. Quidam sacerdos nomine Rapholt prædia quæ habuit in duobus locis Sumpach & Purcharting cum familia, Dietricus advocatus unum prædium Ermenrich I. prædium cum molendino, ad Braitenbrunnen. Comes Gebhardus Schalchei cum pertinentiis suis. Gebhardus cognomento Longus unum prædium ad Bochinge Meingot Sacerdos I. prædium ad Summaning, ad Arlam de Afchach I. prædium ad Urgelstorff. Quidam nobilis homo nomine Meinhard, Pollenhaim, Sinding, cum aliis prædiis suis, quorum quædam pro aliis utilioribus commutata sunt. Quidam Gerhoh. I. prædium ad Grizenpach, quidam Sacerdos nomine Ekkerich, I. prædium ad Harthaim cum duabus vineis ad Büsing, III. ad Reut. Quædam matrona Richinza dedit II. vineas ad Linzenstorff & dimidium mansum ad Ruft, quam traditionem postea nepos ejus Rapoto firmavit. Quædam matrona nomine Adelheit de Tanna Ponerentinruit, cum familia & omni utilitate sua. Quidam Alwinus de Stam I. prædium ad Hefte. Unde ut hæc traditio firma rataque omni futuro tempore permaneat, nostra imperiali auctoritate præcipimus & confirmamus. At si aliquis inimicus Dei, quod absit, hoc imperiale edictum temere violare præsumpserit, iram Dei nostræque potentie vindictam & indignationem ejus non dubitet affuturum. Hæc igitur omnia ut firma illibataque permaneant, chartam præsentem nostræ confirmationis testem scribi jussimus, quam ut infra videtur, manu nostra confirmatam & sigilli nostri impressione insignitam omnis generationis tam futuræ quam præsentis notitiæ relinquimus. Actum Patt. an. incarnat. Dominicæ M. C. XI. Indictione III. VII. Calend. Julii An. V. Regni Henrici Imperatoris hujus nominis quinti, Imperii vero primo, in nomine Domini. Amen.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Jerusalem & Siciliae Rex. Tenore præsentium notum fieri volumus universis, tam præsentibus quam futuris. Quod fratres S. Nicolai in Pat. præsentarunt nostræ curiæ quoddam scriptum, quod a claræ memoriæ Leopoldo quondam Duce Austriae ipsis fuit clementer indultum, Serenitati nostræ devotissime supplicantes, quatenus dictum scriptum renovare & de nostra confirmare clementia dignaremur, cujus scripti tenor talis est.

In nominæ sanctæ & individuae Trinitatis Leopoldus Dei gratia Dux Austriae & Styriae. Universis Christi fidelibus salutem in perpetuum. Excellentiam sublimitatis desuper nobis collatae, ut ea quæ ad usum & profectum Ecclesiarum conducunt & expediunt attentius promovere studeamus deprecere videtur, huic enim consonat & applaudit, de quo dicitur, ab eo plus exigitur, cui plus committitur. Multitudinem ergo commissorum nob. sincera mentis intentione, diligenti consideratione perpenderentes & digna revolventes percunctatione peccatorum nostrorum vulneribus cujusdam medicaminis contrarium adhibere pium statuimus pro remedio enim animarum videlicet piæ recordationis, patris nostri Ducis Leopoldi fratrisque nostri Ducis Friderici, nostræque salutis intuitu, fratribus in domo sancti Nicolai Patav. Deo inibi militantibus ob venerationem reliquiarum ibidem reconditarum, libertatem per terras nostras omnium rerum suarum mobilium transitus omnium vectigalium exactione semota contulimus. Ut autem huic libertati nostræ donatio rata & inconvulsa perseveret, præsentis pagina sigillique nostri caractere ac testium annotatione quorum subscripta sunt nomina roboravimus. D. Dietricus Præpositus in Neunburch, Sighardus Præpos. Wichardus Præpos. Perchtoldus Præpos. Ulricus de Perneckl de ordine liberorum, Walchimus de Wassenberch, Wichardus Dapifer & filius suus, Rudolfus de Potendorff, Adolfus Dapifer, & alii quam plures. Datum per manus Danielis Notarii apud Nuenburch, Anno Dominicæ incarnationis MCCIII. Indictione VI. Idus Aprilis VII.

Nos igitur ipsorum supplicationibus misericorditer annuentes prædictum scriptum & omnia quæ continentur in eo, de verbo ad verbum scribi & innovari mandamus, & de nostræ plenitudine gratiæ duximus confirmandum. Quapropter universis præsentis scripti mandamus edicto, quatenus juxta prædicti Ducis donationem & confirmationem nostram eisdem fratribus indultam gratiam ihviolabiliter observetis, nec contra præsentis innovationis & confirmationis nostræ tenorem venire aliquatenus præsumatur. Quod qui præsumpserit, indignationem nostri culminis se noverit incur-

cursum. Ad cuius rei memoriam & robur perpetuo valiturum, præsentem paginam fieri fecimus nostro sigillo munitam. Hujus autem rei Testes sunt, venerabilis Salzburg. & Moguntinus Archiepiscopi, Pabenburg, Ratisbon. Imperialis aulae Cancellarius, & Frising. Episcopi O. Bavariae & Carintiae Duces, Burgravius de Nurmberch, Theuloch & alii quam plures. Acta sunt hæc apud Viennam, Anno Domini cæ incarnationis M. CC. XXXVII. mense Aprilis, X. indictione.

In nomine sanctæ & individuae Trinitatis feliciter, amen. Sigismundus divina favente clementia Rom. Imperator, semper Augustus, ac Ungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, &c. Rex, ad perpetuam rei memoriam notum facimus tenore præsentium universis, ad hoc summi dispositione præsidii principalis Monarchiæ obtinimus principatum, ad hoc sacri Roman. Imperii suscepimus diadema, ut si ad alia extrinseca nos sollicitudo provocet ad ea tamen quæ statum felicem & quietum ac incrementum jurium, gratiarum & libertatum nostrorum & Imperii sacri venerabilium Ecclesiarum personarum earundem respiciunt, tanto intendamus uberius quanto nostrum præ ceteris mundi Principibus solum magnificentius erexit cœlestis providentia Creatoris. Sane pro parte honorabilium Joannis Præpositi & Conventus Monasterii S. Nicolai extra mur. Pat. Canonicorum regularium ordinis Sancti Augustini devotorum nostrorum dilectorum oblata celsitudini nostræ supplex petitio continebat, quatenus de solita benignitatis nostræ clementia ipsorum Præpositum & Conventum Monasterii S. Nicolai eorumque successores subditos homines, res atque bona, in nostram & imperii sacri protectionem, tuitionem & salvamguardiam gratiose suscipere, ac eis universa & singula sua jura, gratias, immunitates, libertates, dignitates, indulta, concessionem, donationes, privilegia & literas suis prædecessoribus Præpositis & Conventui ejusdem Monasterii, qui pro tempore fuerunt hætenus & ipsis pro nunc existentibus a Divis Roman. Imperatoribus & Regibus nostris prædecessoribus ac a nobis nec non aliis quibuscunque Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus & cæteris Christi fidelibus datas & concessas, ac rite data & concessa approbare, innovare, ratificare, & confirmare gratiosius dignaremur. Nos igitur, qui nostrorum & imperii sacri fidelium, præsertim venerandorum Monasteriorum in sacro Imperio existentium profectus & commoda promovere desideramus assidue, prædictis supplicationibus tanquam rationabilibus favorabiliter annuentes, præfatum & Præpositum & Conventum Monasterii S. Nicolai & eorum successores una cum eorum subditis hominibus, rebus atque bonis, in specialem nostram & Imperii sacri protectionem, tuitionem, & salvamguardiam auctoritate Romana Imperatoria, & ex certa nostra scientia recepimus, ac vigore præsentium recipimus gratiose, eisque omnia & singula privilegia, gratias, immunitates, libertates, jura, dignitates, indulta, concessionem, donationes, & litteras, ac consuetudines laudabiles rite introductas, quas & quæ eorum prædecessores, Præpositi, & Conventus Monasterii sancti Nicolai, ac etiam ipsi Præpositus & Conventus a divis Romanorum Imperatoribus & Regibus nostris prædecessoribus, & quibuscunque Christi fidelibus rite & rationabiliter obtinuerunt in omnibus suis tenoribus, punctis, clausulis, articulis, sententiis & expressionibus, prout scripta seu scriptæ sint, ac si tenores omnium & singulorum præsentibus de verbo ad verbum forent inserti, aut de jure vel consuetudine inseri deberent animo deliberato, non per errorem aut improvide, sed sano Principum, Baronum, Nobilium, Procerum & fidelium nostrorum accedente consilio, ac de certa nostra scientia ratificavimus, approbavimus, innovavimus, & confirmavimus, & ratificamus, approbamus, innovamus, & tenore præsentium, auctoritate imperiali gratiosius confirmamus, decernentes & volentes expresse ea omnia & singula perpetuis temporibus obtinere inviolabiliter roboris firmitatem. Supplentes nihilominus omnem defectum, si quis in præmissis vel eorum aliquo ratione solennitatis omissa, dubia interpretatione sententiarum aut verborum, seu alio quovis modo compertus fuerit de prædicta scientia nostra ac de plenitudine imperatoriae potestatis. Nulli ergo omnino homini liceat hanc nostræ ratificationis, approbationis, innovationis, & confirmationis paginam infringere, aut ei ausu quovis temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem nostram & Imperii sacri gravissimam, & pœnas in antedictis Præpositi & Conventus Monasterii sancti Nicolai privilegiis atque literis expressas & contentas eo ipso se noverit incursum, præsentium sub nostræ imperialis majestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Basileæ anno Domini Millesimo Quadringentesimo, tricesimo quarto, die quarta mensis Martii regnorum nostrorum an. Hungariæ &c. quadregesimo septimo, Romanorum vigesimo quarto, Bohemiæ quarto decimo, Imperii vero primo.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ulricus Dei gratia Pat. Episcopus cunctis successoribus suis, & omnibus imposterum fidelibus in perpetuum. Episcopalis providentia & pastoralis sollicitudo compellunt nos religiosi & Deo sacratis locis non solum in præsentem favere, sed etiam in futurum eorum quieti & securitati, ne improborum perversitate lædi aut perturbari valeat, quantum divina concedere clementia providere, quatenus vobis & cunctis fidelibus ex orationibus inibi Deo servientium tanto copiosior fructus accrescat, quanto eis ad vacandum Deo nullius perturbationis improbitas obsistere præsumat. Quapropter Monasterium a sanctissimo prædecessore nostro hujus sanctæ sedis Episcopo Altmanno in honore B. Andreae Apostoli, & sancti Pantaleonis martyris, & beati Nicolai Confessoris adjuvante & cooperante beatæ memoriæ Agnetæ Imperatrice in portu Oeni fluminis fundatum, & Apostolicorum viro- rum Alexandri & Gregorii Papatum, nec non & Henrici Regis, hujus nominis quarti privilegiis & sigillis roboratum, sed peccatis facientibus jam diu ab adversariis destru- ctum adjuvantibus, & collaborantibus filiis nostris, Adalrico scilicet Præposito & Ma- negoldo Decano, cæterisque religiosi viris ibidem Deo servientibus quantum potui- mus superna prosperante gratia reparavimus, atque inconvulsum & illibatum omni futuro tempore permaneat Deo Patri, sanctisque ejus flectere genua precibus & suspi- riis non cessamus, non minori enim remuneratione reparatorem ditari quam fundato- rem confidimus. Omnia itaque bona, quæ eidem Monasterio, præfatus Episcopus & prænominata imperatrix Augusta in communem usum fratrum inibi regulariter con- versantium, longè vel prope culta seu colenda, quæ sita sive quærenda tradiderunt, nos quoque stabilimus, & firmiter semperque tenenda decernimus & constituimus. Sunt autem hæc imprimis quæ prænominata imperatrix Augusta pro remedio animæ suæ donavit IX. videlicet pars omnium quæ ad Persenburg & Ibspurch ad manus suas culta reddebantur. Quæ vero sequuntur per manum Advocati sui Remberti præfa- tus Episcopus illuc tradidit, scilicet præsignatum portum fluminis Oeni cum omni uti- litate Sua Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ dimidio manso dotatam, in suburbio vero ci- vilitatis XI. domata, & quidquid ruris est a Danubio usque ad Oenum, præterea duo jugera, insuper duas stabularias curtes Sensfling & Neuenhoven cum omnibus perti- nentiis suis. Ad Tantobel dimidium mansum, ad Holzheim IV. hubas, ad Haibach I. ad Probestreit I. vasa tornata solventem, I. Hoffatham ad Windperch, unam hubam ad Stainveld, I. ad Sunpach, I. ad Punzhaim I. Hoffatham in loco, qui dicitur Al- burg, & II. partes decimationis ejusdem Ecclesiæ cum I. huba, ipsam vero Ecclesiam nos pro concambio fagenæ, quæ est in loco, qui dicitur Mathsee, illuc tradidimus. Dedit etiam tres hubas ad Avecking solventes ferrum, I. molendinum ad Aufhausen, ad Rongenstorf I. curiam, ad Euchedorf, unam cum hubis illuc pertinentibus, ad Pa- retichsdorff I. Enzenweis cum Genezeo, sylvis, pratis, piscationibus & omni utilitate sua. Unam Hoffatham ad Wachenweis, I. Chaltenprunn cum omnibus ad eas per- tinentibus. I. Hoffatham Gerchwis cum una huba, III. carratas cerevisiæ de bonis Episcopi & eadem villa, Dunkirchen cum decimatione & una huba, Althaim cum sua utilitate, Ecclesiam qui dicitur Aitenpach cum servitio, quod Episcopo solvebat, dimi- diam hubam ad Vilshoven, II. ad Chufarn, III. ad Perchaim. I. ad Huchenhoven, I. ad Abespach, ad Walde solventem picem & avenam, & decimationem in Para- chia Hutarn & ad Chelichspach & ad Irshaim II. partes decimationis Ecclesiæ, quæ dicitur Heinring cum uno manso. Tradidit etiam duas partes decimationis no- valium sylvæ quæ dicitur Hohenhart, tam cultorum quam colendorum in illis ecclesiis, quorum termini in eandem sylvam ex inferiori parte porriguntur; quarum ista sunt nomina Eberswanch, Schiltarn, Aspach, Vechelstorf, quas partim ab Her- manno Pabenburgen Episcopo jure synodali, cum decimatione aliarum XII. huba- rum obtinuit, partim ut in proprio Episcopatu nemine contradicente dedit, donavit etiam Ecclesiam, quæ dicitur Grieskirchen cum una decimatione, ad Alnchoven unam hubam cum decimatione, I. Hoffatham ad Eusta, cum IV. mansis, dimidium mansum ad Prül ad usum apum, dimidium ad Thunhaim, unam decimationem ad Ruprechts- hoven, I. hubam ad Chalienpach. in oriente unam decimationem, ad Rusta unam, ad Jountes I. ad Hohenwart, in rure quod dicitur Burga II. partes decimationis, ad Mautarn unam hubam, ad Widach I. Dedit etiam tres fagenas I. Sebach. I. Pat. I. Mathsee. In loco qui dicitur Halle I. sartaginem cum suo jure, ad Sebach III. vi- neas. Ad Alschach II. ad Sibach I. ad Lunnpting II. ad Schonenpûhel II. ad Leuben I. ad Wachawe IV. ad Mautarn I. ad Huntshaim I. ad luminaria Ecclesiæ dedit Ca- pella sanctæ Mariæ in civitate Laureacensi, ad eadem etiam luminaria dedit Bern- hardus de Schönhöringen quintam partem de censu navium. Pro vestitu autem ordi- navit XXIV. libras, decem de navibus Pat. VI. de Goldenwerd quatuor de Ever-

ding, III. de censu Mathsee, I. de Aufhausen. Sunt etiam quædam quæ alii fideles pro remedio animarum suarum præfatæ tradiderunt Ecclesiæ. Quidam nobilis homo nomine Hezil tradidit Pering & Richerstorf cum uno molendino. Quædam matrona nomine Azala I. hubam ad Puch, Dominus Adalram petente Alchwino I. Hoffatham ad Walckfing. Quidam Sacerdos Raffold prædia, quæ habuit in duobus locis Sum-pach & Purchard cum familia. Dietricus Advocatus I. prædium. Chrenenrich I. prædium cum molendino ad Praittenbrunn. Comes Gebhardus Schacham cum pertinentiis suis. Gebhardus cognomento Longus I. prædium ad Poching, Meingot Sacerdos I. prædium ad Summaning, Adalram de Alschach I. prædium ad Würgelstorff. Quidam nobilis homo nomine Meinhart, Pollnhaim, Sinnding, cum aliis prædiis suis, quorum quædam pro aliis utilioribus commutata sunt. Quidam Gerhoh I. prædium ad Chrenzpach. Quidam Sacerdos nomine Ekkrich, unum prædium ad Harthaim, cum duabus vineis II. ad Böfinge III. ad Reut. Quædam matrona nomine Richinza dedit II. vineas ad Imzenstorff & dimidium mansum ad Rust, quam traditionem postea Nepos ejus Rapoto firmavit. Hæc inquam omnia & quæcunque etiam innominata bona idem Monasterium vel nunc liberalitate prædictarum personarum jure possidere, vel in antea juste & canonice Deo favente poterit adipisci, nostri præcepti tuitione & sigilli impressione firmamus & roboramus, eo scilicet tenore & conditione, ut ad communem usum fratrum ibidem Deo famulantium proficiant, & communiter regulariterque conversantes, nullus seu in præsentiam, vel in crastinum de bonis Ecclesiæ proprio vel privato usui quicquam præsumat usurpare, sed juxta apostolicæ institutionis normam, prout cuique opus erit, a Prælatiis distribuatur. Ut igitur hæc omnia firma & illibata permaneant, iudicio Dei Patris omnipotentis & filii & spiritus sancti, & auctoritate beati Petri Apostoli, ejusque Vicarii Pascalis PP. & fiducia & consolatione beati Andreæ Apostoli & sancti Pantaleonis Martyris & pii Confessoris Nicolai, amore etiam reverendæ memoriæ Altmanni Episcopi interdicimus & prohibemus, ut nullus successorum nostrorum seu aliqua secularis vel Ecclesiastica persona de nominatis præfatæ Ecclesiæ prædiis invadere aut diminuere, vel usui fructum apostolica inibi vestigia servantium subtrahere præsumat. Si quis autem, quod Deus avertat, ausu nephario hæc transgressus fuerit, si tertio communitus, congrua satisfactione non emendaverit, anathematis laqueo se irretitum & cum Juda pessimo mercatore partem habiturum indubitanter agnoscat. Conservantibus autem pax & misericordia in præfenti & in futuro seculo servetur, Amen.

In nomine Domini Reinbertus Dei gratia Pat. Episcopus salutem in Christo Christi fidelibus. Pastoralis curæ sollicitudo exigit, Dominicas oves Petro primum & Petri successoribus commissas cum omni diligentia pascere, gregem conservare, & sicut lupos a stabulis, ita raptores Ecclesiarum arcere a rebus ecclesiasticis. Hujus rei gratia frater Albertus S. Nicolai venerabilis Præpositus Ecclesiæ suæ privilegia ab Altmano & Ulrico Patav. Ecclesiæ venerabilibus Episcopis instituta legenda nobis obtulit eaque nostra auctoritate contra novas ecclesiarum calumnias renovari communi fratrum petitione postulavit. Nos illius & fratrum nostrorum justis petitionibus consensum adhibentes, quæcunque antecessores & piissima Imperatrix Agnes, cæteri nostrique fideles prædicto cœnobio pia devotione contulerunt, vel adhuc conferenda sunt, nos quoque collata & nunquam auferenda esse censuimus, quicquid antecessores nostri apostolico & suæ auctoritatis banno confirmarunt, nos idipsum apostolico nostroque banno confirmantes, ab illorum sententia non dissentimus. Notandum vero & memoriæ commendandum est, inter nos & prædictos fratres facta esse tria concambia, primum ad Alnchoven ab antecessore nostro Remigero Episcopo inceptum quidem, sed per nos confirmatum, ubi pro tertia parte decimarum quæ sacerdotis erat eis concessa, nos ab eis decimarum partes recipimus, in Ecclesia videlicet quæ diversis appellatur nominibus. Ruprechtshoven, Channpa, Neukirchen. Secundum concambium est juxta sanctum Severinum in rivulo, qui vocatur Boitra, ubi pro molendino & ad molendinum pertinente loco dimidiam hubam ad Otenhinden sicut Henno possederat recepimus. Tertium concambium in orientali plaga factum est, ad Schwarzach, cujus loci Ecclesiam a nobis consecratam cum dote, decimis, terminis, cum omni utilitate sua S. Nicolao in usus Canonicorum contulimus, recipientes in commutatione theloneum Pat. quod eis persolvi debuerat, de navibus cum quibusdam areis ad Everding collatis quæ transmutationes ut legaliter fierent, factæ sunt, præfente Comite Dietrico fratrum Advocato, & easdem traditiones nobis invicem stabili tenore dantibus & accipientibus præsentibus & in testimonio nostris fidelibus nomina quorum inferius subscripta sunt. Quisquis ergo contra decreta pp. fratrum nostrorum & nostra venire tentaverit, quisquis prædictos fratres per violentiam inquietare, bona eorum

eorum auferre, devastare, vel minuere ausus fuerit, noverit se vinculo anathematis alligatum, & nisi per pœnitentiam respiscat, cum tenebrarum principe æternis tenebris esse deputandum. Et ut nostræ tuitionis auctoritas nota, omnibus rata & futuris temporibus inconvulsa permaneat, & hanc præsentem paginam in testimonium conscribi & sigillo nostro fecimus eam assignari. Dat. est Pat. Anno incarnationis Dominicæ M. CXLIII. Indictione VI. II. Non. Maji apostolicæ sedis Innocentio PP. regnante rege Chunrado. Testes qui interfuerunt concambiis isti sunt: Chunradus de Sunelburch, Remprecht de Celking, Hadmar de Chufarn, Mangolt de Wefen, & filius ejus Marchart, Sybotho de Boeringhaim, Ulrich de Holzhausen, Otto Præpositus, Odelschalch, Sibotho de Mathse, Rudiger, Eberhard, Friderich, Ulrich. Hæc est decimatio quæ facta est ad Schwarzach, per descensum Stainpach usque ad fontem Botenbrun, & inde per directum usque ad rivum Yspira, & per meatum ejusdem rivus usque ad Theffen, hinc inde usque ad Jaempach, superiorem, & inde ad inferiorem Jaempach, & per descensum hujus aquæ usque Griestif. Inde per directum usque ad villam, quæ dicitur Enzimanwaichoven, & inde per directum usque ad villam, quæ dicitur Pruckk & a Pruckk usque ad Marpach. inferius Rapotenraut, & per descensum hujus aquæ usque ad villam Irlach, inferiorem, & inde iterum ad Stainpach primitus nominatum. Hæc decimatio facta est consultu Clericorum & laicorum, qui aderant: scilicet Cadelhohus Præpositus S. Stephani Pat. Albertus Præpositus S. Nicolai, Lodigerus Præpositus S. Georgii, Hocholdus Præpositus majoris Ecclesiæ Frising. Altmannus Archipresbyter Ratisb. Helmbertus & Otto. & Almarus. Capellani, Dietricus Comes, Herchenprecht de Mospach, Otto de Machlant, Rapoto de Slimphing, Mangolt de Wefen, Hartneit, Wartinreut, & filius ejus Walchun, Siboto & Wezil, ministeriales S. Stephani, Ozo de Streitwisen, Sigelholcus & filii ejus de Pûrbannen Syzizens.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ulricus gratia Dei Patav. Episcopus, hujus nominis secundus cunctis successoribus suis & omnibus in posterum Christi fidelibus in perpetuum Amen. Pontificalis providentia & pastoralis sollicitudo compellunt nos religiosis & Deo sacratis locis non solum in præsentem favere, sed etiam in futurum eorum quieti & securitati, ne improborum perversitate lædi aut perturbari valeant, quantum divina conceditur clementia providere, quatenus nobis & cunctis fidelibus ex orationibus inibi Deo servientium, tanto copiosior accrescat, quanto eis ad vacandum Deo nullius perturbationis improbitas obsistere audeat vel præsumat. Quapropter Monasterium a sanctissimo Prædecessore nostro, hujus sanctæ sedis Episcopo Altmanno in honore beati Andreæ Apostoli, & sancti Pantaleonis Martyris, & præcipue beati Nicolai pii Confessoris adjuvante felicis memoriæ Agnetæ Imperatrice, in portu Oeni fluminis fundatum, & apostolicorum nostrorum Alexandri & Gregorii PP. & Heinrici Regis hujus nominis quarti, & filii sui Imperatoris Heinrici quinti, nec non & Ulrici atque Remberti, aliorumque Pat. Ecclesiæ venerabilium Pontificum privilegiis & sigillis roboratum, ut inconvulsam ac illibatam omni futuro tempore permaneat. Deo Patri sanctisque ejus flectere genua precibus & suspiriis non cessamus. Cujus rei gratia dilectus in Christo frater apud S. Nicolaum venerabilis Præpositus Ulricus Ecclesiæ suæ privilegia ab antedictis patribus auctorabiliter instituta, legenda nobis obtulit, eaque nostra auctoritate contra novas Ecclesiarum calumnias renovari communi fratrum suorum petitione suppliciter postulavit. Nos igitur illius & sui Capituli justis petitionibus debitum consensum adhibentes, quæcunque nostri antecessores, & piissima Imperatrix Agnes, cæterique fideles prædicto cœnobio pia devotione contulerunt, vel adhuc conferenda sunt, nos quoque collata, & nunquam auferenda esse censemus, & quidquid prædecessores nostri apostolico & suæ auctoritatis banno confirmaverunt, nos id ipsum Apostolico nostroque banno confirmantes, ab illorum sententia nullatenus dissentimus. Hæc igitur sunt bona, quæ Agnes Imperatrix pro remedio animæ suæ prædicto cœnobio donavit: Nona videlicet pars omnium, quæ ad Persinbeuge & Ihesburck ad manus suas culta reddebantur. Quæ vero sequuntur per manum Advocati sui Remberti præfatus Episcopus Altmannus jam dicto Cœnobio tradidit, scilicet præsignatum portum Oeni fluminis cum omni utilitate sua. Ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalene dimidio manso dotatam, in suburbio vero civitatis XI. domata & quidquid ruris est a Danubio usque ad Oenum, præter duo jugera ultra montem Weinthobel sita, & duas curtes stabularias Sensfling & Neunhoven cum omnibus pertinentiis suis. Tradidit etiam eidem cœnobio decimas de hortis, de pomeriis, de vineis, de agris, quæ de illo domate coluntur, ad hospitale pauperum ibidem constitutum, ad Tantobel dimidium mansum, ad Holzheim quatuor hubas. Hegenbach hubam I. Probstreut hubam vasa tornata solventem, in ripa, quæ

dicitur Pentra, dimidiam hubam, Pachmül hubam, Saumigen hubam, Hasenprül hubam, ad Windeperch I. Hoffatham, ad Stainvelde hubam, ad Sunnbach hubam, ad Pünzhaim I. Hoffatham, in loco, qui dicitur Alburg II. partes decimationis ejusdem Ecclesiæ & tres curtes stabularias, in Sehei curtem. I. Avecking tres hubas solventes ferrum. Hergoliming hubam, Aufhoven molendinum, Rongerstorff curtem unam & dimidiam hubam cum I. decima, Ecuendorff capellam cum omni utilitate & pleno jure & curtem stabulariam, & dimidiam hubam cum pratis & sylvis illuc pertinentibus, Richsdorff curtem unam cum omnibus ejus appendiciis, Enzeewis villam cum Genezeo & molendino, sylvis, pratis, piscationibus, & omni utilitate sua. In Renth VI. hubas, Dornach curtem I. & hubam & sylvam cum pratis & piscationibus & I. decimam, Cholmbrunn hubam, Wachenweis II. curtes stabularias & I. hubam & dimidiam & unam decimam cum pratis & sylvis illuc pertinentibus, & piscationibus. Emhartstorff molendinum & dimidiam hubam cum pratis & sylvis, & areis & piscationibus. Gerchwis III. hubas & III. carradas cerevisiæ de bonis Episcopi in eadem villa dandis Althaim curtem unam cum omnibus eis appendiciis, Awenkirchen capellam cum omni utilitate & pleno jure, & curtem I. cum omnibus ejus appendiciis & quidquid utilitatis ibidem fratres supradicti cœnobii potuerint ordinare, tam in sylvis, oblationibus & areis in eadem villa constitutis, & I. decimationem Bitenpach ecclesiam cum omni utilitate, & jure parochiali, & unam decimam cum omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ, tam cultis quam colendis, Aha hubam cum sylva adjacente. Vilshoven dimidiam hubam, Hauchspach hubam, Partham duas hubas, Jeunchar II. hubas, ad Walde hubam solventem picem, in Parochia Hutarn I. decimationem, in Parochia Chelichsperg I. decimam, in Parochia Irsheim I. decimationem, in Ecclesia Heuning II. partes decimationis, duas quoque partes decimationis novalium sylvæ, quæ dicitur Hohenhart tam cultorum quam colendorum Ecclesiis, illis, quarum termini in eandem sylvam ex inferiori parte porriguntur, quarum nomina sunt hæc: Eberswanch, Schiltarn, Aspach, Vekkihstorff, tradidit & illis Ecclesiam Grieskirchen cum omni utilitate & pleno jure, & unam decimam in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis. Dedit etiam fratribus prædicti cœnobii Ecclesiam Ahichofen cum omni utilitate & pleno jure, & unam decimam, decimas quoque novalium in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ & I. Hoffatham, & Husten curtem I. Strazze IV. hubas, Daide unam hubam cum sylva adjacente, Wircklam dimidiam hubam, Stude dimidiam hubam, Eimling dimidiam hubam, Tunhaim dimidiam hubam, Harthaim curiam & dimidiam hubam. In Ruhe hubam Rufing curiam & dimidiam hubam cum omnibus illuc pertinentibus, Lewentingen hubam, & dimidiam hubam: in Prül dimidiam hubam & usum apum, Chaltenpach, ad Rumphishoven unam decimam in oriente & in Austria in rure circa Rust & Izindorff decimam unam, in omnibus terminis ejusdem ruris tam cultis quam colendis. In rure, quod dicitur Peuthrich II. partes decimationis in quatuor Ecclesiis, Neunkirchen I. & Körnpach, Molte & Rieterburch, decimas quoque in omnibus terminis earundem Ecclesiarum, in Ecclesia Stregen II. decimas, in parochia Hohenwart I. partem decimationis cum omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis, tradidit eis etiam III. fagenas Sebach I. Mathsee I. Patav. I. quæ protenditur a pede montis, in quo sita est civitas usque Walkerslegel, adjiciens quicquid utilitatis prædicti fratres eis in eodem littore potuerint ordinare. Præterea contulit eis Sebach III. vineas, Aschach II. Wachawe IV. Hunzhaim quatuor, Mautarn II. & unam Hoffatham. In Halle unam sartinem cum suo jure. Lohe curiam unam. In Sebach decimam I. In Linthaim curiam I. ad luminaria Ecclesiæ tradidit Ecclesiam S. Mariæ in civitate Laureacensi cum omni jure & utilitate, quæ præmemoratis fratribus tam in oblationibus quam censuibus & areis infra cimiterium sitis, & in quibusdam hortis poterit provenire. Pro vestitu autem eorundem fratrum ordinavit XXIV. libras de navibus Patavien. X. de Golderwerd. VI. de Efridinge quatuor, de censu Mathsee tres, de Aufhausen I. Fratres quoque præfati Monasterii liberos ab omni Advocatorum servitio esse voluit. Comitem Henricum de Vornpach Advocatum illis in partibus Baviaræ & Leopoldum piissimum Marchionem in partibus Austriæ Advocatum eis ordinavit, hoc quasi pro jure semper observandum statuendo, & auctoritate Dei omnipotentis sub pœna æternæ damnationis inhibendo, ut nec ipsi nec aliqui hæredum suorum, nec alter quispiam eis quacunque forte succedentium Advocatorum aliquem nisi fratribus sæpediti cœnobii petentibus subadvocatum præsumat ordinare, hoc adjuncto, ut si aliquis improbus Advocatus postmodum hoc infringere temptaverit, is vinculo anathematis se sciat innodatum & æternæ ultionis vindicta, ni respuerit, perpetualiter puniendum. Pro servitio vero quod plerumque occasione Advocatiæ ab Ecclesiasticis personis exigitur, X. vineas in Rautarn sitas cum earum appendiciis, Comiti Henrico de

Vornbach in loco, qui dicitur Muckarawe, III. hubas, & LXX. mancipia Leopoldo Marchioni Austriae in beneficium concessit, ea conditione ut nec ipsi nec aliquis succedentium Advocatorum aliquid ab ipsis ratione Advocatiæ servitium præsumat expetere. Quidquid vero reddituum circa Grieskürchen & Alnchoven sæpeditis fratribus contulit & successoribus suis vice Advocati patrocinandum reservavit, auctoritate Dei Patris omnipotentis firmiter inhihent, ut nullus successorum suorum aliquem subadvocatum nisi pro petitione eorundem fratrum ibidem præsumat aliquem substituere. In omnibus quoque Ecclesiis, quas eisdem fratribus contulit, quidquid juris & servitii Episcopus in eis habere videbatur, totum ipsis & plenariè contulit. Mortuoque Prælate ipsorum liberam eis electionem indulgit, & hæc faciens omnia communi consilio & consensu Canonicorum Chori Patavien. & ministerialium suorum rationabiliter confirmavit. Defuncto igitur piæ recordationis Altmanno Episcopo successor ipsius in Episcopatu Ulricus Episcopus fundationem supradicti cœnobii & donationem bonorum Episcopatu illuc factam approbans & confirmans Ecclesiam in Alburg cum omni utilitate & jure, quod Patavien. Ecclesiæ Episcopus ratione fundi in ea habuerit: jus videlicet patronatus fratribus ejusdem Monasterii contulit Rembertus Patavien. Ecclesiæ Episcopus, & dum se fratres sæpediti Cœnobii in portu Oeni fluminis ablato damnificasse recognovisset. Pro recompensatione damni eis illati Ecclesiam in Hartkürchen cum omni utilitate & pleno jure & I. decimam in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis ipsis contradidit. Item eis etiam Ecclesiam in Schwazach, quæ alio nomine Munichriuth dicitur, dedit cum I. decimatione in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis. Horum igitur vestigia imitantes alii quam plures, dum religionem sanctam & servitium Dei in eodem Monasterio sancte & religiose florere viderent, spiritu sancto edocti redditus suos illuc contulerunt. Inter quos Hezil quidam homo nobilis tradidit illuc stabulariam curiam in Peringen & dimidiam hubam cum pratis & areis illuc pertinentibus & II. hubas in Richerstorf, cum pratis & sylvis illuc pertinentibus Alramus quidam I. hubam ad Walchfingen. Quidam Sacerdos nomine Rafoldus villam in Sünnpach cum sylva adjacente & villam in Purchartingen cum omnibus suis mancipiis & sylva adjacente, eidem cœnobio tradidit. Comes Gebhardus Schalchen cum omnibus suis pertinentiis dedit. Gebhardus quidam cognomento Longus molendinum in Pocking & dimidiam hubam. Sacerdos quidam nomine Meingotus in Sunemaening, cum omnibus ejus appendiciis. Alramus quidam de Afchach duo prædia in Wurgeldorff. Quidam Meinhardus nomine prædia quæ in Pollenheim & Sünding habuerit. Gebhardus quidam prædium ad Crebezpach. Quidam Sacerdos nomine Ekkerich curiam in Harchaim & dimidiam hubam. Adilhaidis quædam nobilis in Beneventenriuth & Grub cum omnibus illuc pertinentibus, præterea alia tria prædia ibidem sita contulit. Hartmannus quidam homo nobilis quatuor prædia & molendinum juxta Prienbach, & in Bulziberch hubam dedit. Engelbertus ad Planchenberch, curiam in Haeckersdorff, & hubam Reginhalming, & dimidiam hubam in Winchel. Engelbertus quidam de Straubin ministerialis Episcopus curiam I. in Afchach & curiam in Wasen cum sylvis & pratis & molendino & cum aliis XXIII. prædiis emptitiis, & vineam in Afchach dedit. Gumboldus de Forinheim VI. beneficia, III. vineas cum areis in Freindorff dedit & montem super quem cultæ sunt vineæ. Gebhardus quidam nobilis in Abstorf curiam unam & dimidiam hubam cum pratis & sylvis, & piscationibus & mancipiis suis. Leucardis advocatrix Ratisbon. IV. prædia in Brintdorf, Wernhardus de Horbach & frater suus Chunradus curiam I. in Engelmarsperg. Potto de Maessing curiam unam in Sprünzenberch, Præterea alii quam plures Christi fideles pio istorum exemplo inducti, prædia sua & alia pro remedio animarum suarum præfato cœnobio contulerunt. Nos vero divina misericordia ad Pontificalem Patav. Ecclesiæ sedem vocati, licet indigni dum fratres supradicti cœnobii in quibusdam prædiis suis Golderwerd tam a nostris quam antecessorum nostrorum officialibus ex continua eorum querimonia intellexissemus diu esse prægravatos salutem nostræ & successorum nostrorum nec non indemnitate: fratrum consulentes Ecclesiam in Windempach eis pleno jure contulimus, cum dote & decimis in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis, prædictis redditibus ad nostra dominicalia revocatis. Hæc inquam omnia & quæcunque alia bona idem monasterium, vel nunc liberalitate prædictarum personarum jure possidet, vel postmodum juste & canonice Deo favente poterit adipisci, nostræ auctoritatis tuitione & sigilli impressione firmamus & corroboramus, eo scilicet tenore & conditione, ut ad communem usum fratrum ibidem in canonica & regulari vita Deo famulantium proficiant, & communiter regulariterque conversantes, nullus seu in præsentiarum seu in futurum de bonis Ecclesiæ proprio vel privato usui quicquid præsumat usurpare, sed juxta apostolicæ institutionis

nis normam prout cuique opus erit, a Prælato distribuatur. Ut igitur hæc omnia firma & illibata in Domino permaneant, iudicio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritur sancti, & auctoritate B. Petri Apostoli, ejusque successoris Honorii PP. tertii hujus nominis & fiducia & consolatione B. Andreae Apostoli & S. Pantaleonis Martyris, & præcipue pii Confessoris S. Nicolai amore & reverendæ memoriæ Altmanni, Udalrici, Remberti, aliorumque prædecessorum nostrorum Ecclesiæ venerabilium Pontificum interdiciamus & prohibemus, ut nullus successorum nostrorum, seu aliquis secularis vel ecclesiastica persona, de nominatis præfata Ecclesiæ prædiis vel jure quicquam tam in temporalibus quam in spiritualibus invadere aut diminuere, vel usui fratrum apostolica inibi vestigia servantium subtrahere audeat vel præsumat. Si quis autem, quod Deus avertat, ausu nefario hæc transgressus fuerit, si tertio commonitus congrua satisfactione non emendaverit, anathematis laqueo se irretitum, & cum Judæpessimo mercatore partem habiturum indubitanter agnoscat. Conservantibus autem pax & misericordia a Domino Deo & in præsentis & in futuro seculo conservetur Amen. Acta sunt hæc Pat. Anno incarnationis Dominicæ M. CC. XX. Indictione VIII. VIII. Idus Febr. Apostolicæ sedis PP. Honorio III. Papatus vero sui anno IV. regnante Rege Friderico II. nostri autem Pontificatus anno quinto. Dat. Pat. per manum Notarii nostri Chunradi anno Pontificatus nostri V.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ulricus gratia Dei Patav. Episcopus cunctis successoribus suis, & omnibus imposterum fidelibus in perpetuum. Ex injuncto nobis licet immeritis præfulatus officio non solum ecclesiis ad nos qualitercunque spectantibus tenemur præesse maxime autem his, qui se ratione foundationis a nostris visceribus exierunt, cum sufficiat nos a gravaminibus eorundem cessare, nisi etiam manum auxiliatricem tempore necessitatis ipsis porrigere satagamus. Inherentes igitur laudabilibus coram Deo & hominibus prædecessorum nostrorum vestigiis, Ecclesiam pii Confessoris S. Nicolai in suburbio nostræ civitatis a prædecessore nostro piæ recordationis venarabili Episcopo Altmanno, honorabiliter constructam debita dilectione amplectimur, ipsius promotioni & tranquillæ conservationi quantum possumus intendendo. Unde noverint universi Christi fideles tam moderni temporis, quam futuri, quod nos ad instantiam familiaris nobis in Christo fratris & Capellani Ulrici apud S. Nicolaum venerabilis Præpositi & Capituli de Chori nostri bona voluntate, consensuque unanimi & concordia nostrorum ministerialium consilio, in concambium talenti aureorum denariorum & XII. vel Patav. monetæ VI. librarum, quas idem Dominus Altmannus de dominicalibus nostris in Golderwerd ad Cameram ipsorum pro vestitu annuatim solvendas fratribus sub communi & regulari vita Domino Deo ibidem servientibus ordinavit, contulimus parochialem Ecclesiam in Windemspach cum terminis suis, dote, ac decimis, aliisque eis attinentibus tam cultis quam colendis, tam quæsitis quam quærendis ac pleno jure, quod ad nos in eadem Ecclesia plenarie dinoscitur pertinere, & a prædictis fratribus quieto & perpetuo titulo possidenda, salvis nihilominus decimis, quas in prædicta Insula videlicet Bolderwerd possident, ratione Ecclesiæ suæ in Alnchoven. Audientes siquidem indebitam prædictæ atque statutæ summæ diminutionem, dilectis in Christo fratribus antedictis canonicis regularibus, per officiales nostros nobis licet invitis frequenter illatam, nostrum super hoc valde metuimus periculum, & id tum pro nostra, cum antecessorum seu etiam successorum nostrorum salute imposterum præcavere cupientes, quicquid de proventibus præmemorata Ecclesiæ poterit provenire amplius, quam in præscripto concambio recepimus pro remedio animæ nostræ, nec non & successorum nostrorum omni salute cedat in communes usus dilectorum nobis in Christo fratrum regularium Canonicorum, ut memores talis consolationis ob reverentiam omnipotentis Dei & piissimi Confessoris sancti Nicolai, omniumque sanctorum per nostram benevolentiam eis collatæ, nos in suis orationibus habeant apud Dominum devotius & frequentius commendatos. Ut autem talis permutatio canonice facta, rata semper & inconvulsa imposterum permanere debeat, hanc paginam in testimonium hujus facti conscribi, & sigilli nostri caractere ea fecimus communiri. Testes vero qui huic facto intererant, & de quorum consilio & consensu effectum est mancipatum, hi sunt de Choro Cathedralis Domini Otho Decanus. Chalohus de Valchenstain, Haertnidus Præpositus, Chunradus Tumphararius, & Wachimus de Stain, Henricus de Mistelbach, Henricus de Bettinbach arcid. Magister, Henricus de Witen Archidiaconus, Eberhardus de Lahenstorf cellerarius. Rudolfus de Tun, Wilhelmus Cantor, Engelpoldus, Chunradus de Thun custos. Chunradus de S. Valentino, Albertus, Eberhardus de Wethenbach. Et alii de Capellanis curiæ, Magister Einwicus, Magister Albertus, Syboto Capellanus & sacerdos. De ministerialibus Hademarus Pincerna de Wefen, Henricus de

de Alhaim Camerarius, Otho de Heichenpach Marschalchus, Waltherus de Ranneberch Dapifer, Otho de Morspach, Lintoldus de Sainrftain, Otho de Jahinstorf, Albero de Germundsparg, Ekkardus de Vurch, & Heinricus frater ejus. Acta sunt hæc Patav. Anno Incarnationis Dominicæ M. CC. XX. Indictione VIII. III. Non. Febr. apostolicæ sedis PP. Honorio III. papatus autem sui anno IV. regnante rege Friderico II. nostri autem Pontificatus anno V. Datum Patav. per manum notarii nostri Chunradi, anno Pontificatus nostri V. feliciter, Amen.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Gebhardus Dei gratia Pataviensis Episcopus, dilectis in Christo fratribus, Ulrico Præposito, ejusque successoribus canonice substituendis & Capitulo sancti Nicolai, & Otacharo Decano, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Ne lites ex litibus oriantur, aut eo quæ fuerint prævia ratione salubriter decisa valeant a posteris propter oblivionem in Judicium denuo revocari, ea quæ inter homines geruntur, merito scriptis authenticis commendantur. Hujus rei gratia vobis vestrisque successoribus in futurum providere cupientes decisionem controversiæ, quæ super obventionibus Ecclesiæ sanctæ Mariæ apud Anassum sitæ inter vos est habita præsentis paginæ commendamus. Siquidem cum præfixus fuisset partibus dies peremptorius ab Abbate de Alderspach, & ejus conjudicibus, quibus cognitio causæ a Romano fuerat Pontifice demandata, per viros discretos & honestos pro bono pacis actum fuit, quod partes in arbitros compromiserunt sub pœna XXX. librarum, quibus in die ad arbitrium dum præstituto pariter convenientibus examinatione præhabita, diligenter in præsentia Præpositi & præfati Decani Anasensis sunt arbitrati, quod quicumque res mobiles, seu se moventes, seu immobiles, quocunque nomine censeantur, hoc est, sive denarii, sive cerei, sive casei, sive animalia, sive prædia, sive domus, sive quælibet res aliæ in missa, in Pentecoste, vel in nativitate S. Johannis Baptistæ, vel in assumptione beatæ Virginis, vel alio quocunque tempore, quo populus aliarum plebium illuc pro devotione convenerit, offerentur Decano, sive ipsius successori, custodi sancti Nicolai sive ipsius Vicario, si Vicarium ipsum contingeret habere in duas partes æqua proportione bona fide dividerentur: quarum una Decano, sive ipsius successori, reliqua custodi S. Nicolai, sive ipsius nuntio absque omni cederet diminutione. Denarii vero ante missam, prout cuique ipsorum a populo in manus offerrentur, accipientium absque ulla divisione permanent. Quod cum ad Capituli S. Nicolai notitiam pervenisset Capitulum se nimis enormiter læsum per tale arbitrium ratione ultimi articuli asserebat. Ideoque propter ipsius contradictionem arbitrium in publicatam formam non fuit redactum, nec consensu chori Patavien. roboratum, cujus erat cum ex forma compromissi, tum propter absentiam Diocesani Episcopi, tunc in ultra marinis partibus commorantis, auctoritatem & robur suæ ratihabitionis impertire. Demum vero partibus invicem concordantibus arbitrio stare decreverunt. Ultimo articulo immutato, ita videlicet, ut quæcunque res mobiles, seu se moventes, seu etiam immobiles quocunque nomine censerentur, sive ante missam, sive in missa, sive post missam, sive circa vesperam insuper notatis solemnitatibus seu temporibus offerrentur Decano prædicto, sive ipsius Vicario Custodi S. Nicolai, sive ipsius Vicario, si & ipsum Vicarium contingat habere, omnes bona fide in duas partes æqua proportione dividantur, & singulæ singulis, prout præmissum est bona fide absque diminutione tribuantur. Porro privilegium sanctæ memoriæ Altmanni Episcopi Patav. quod supradictam Ecclesiam ad luminaria Ecclesiæ sancti Nicolai ab ipso traditam manifeste declarat, cum omni utilitate tam in oblationibus quam in areis & censualibus super jure proprietatis ipsius Ecclesiæ tantum in suo robore integrum & salvum permaneat, in omni utilitate tam oblationi quam aliarum obventionum; prorsus innovata quam ut præmissum est secundum hujus paginæ tenorem, omnis utilitas in divisionem venit, bona fide ad ultimum vero coram nobis comparentibus. Præposito & Capitulo per se, & Decano Anasensi per suum nuntium munitum literis ratihabitionis & mandati nobis humiliter & instanter supplicavit, quatenus præmissam decisionem nostra dignaremur auctoritate confirmare. Præsentibus igitur & consentientibus Dominis de Choro Patav. auctoritate, qua divina gratia largiente fungimur, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus eandem statuentes, ut si qua partium huic paginæ temere voluerit, juxta quod præmissum alteri parti XXX. libras Wienn. monetæ persolvat, nullius obstante contradictione. Et ut in nulla sui parte præfens pagina possit vacillare, aut ab ullo successorum impostero calumniari, nostrum sigillum & Chori Patav. & præsentium sigilla eidem fecimus apponi. Datum Patav. Anno Domini M. CC. XXX. Indictione decima. III. Nonas Julii. Pontificatus nostri anno I. Hujus rei testes sunt Otho Decanus Patav.

Chalohus, Magister Henricus Zobeling, Eberhardus de Jehenstorf, Chrafio, Ebhardus de Caentenpach Canonici Patav. Magister Dietricus, Buncherus Plebanus de Lorperch, Magister Enwicus.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Gebhardus Dei gratia Pataviensis Episcopus, cunctis successoribus suis, & omnibus imposterum Christi fidelibus in perpetuum Amen. Pontificalis providentia & pastoralis sollicitudo compellunt nos religiosi & Deo sacratis locis non solum in præsentem favere, sed etiam in futurum eorum quieti & securitati, ne improborum perversitate lædi aut perturbari valeant, quantum divina favente clementia conceditur providere, quatenus nobis & cunctis fidelibus ex orationibus inibi Deo servientium tanto copiosior fructus accrescat, quanto eis ad vacandum Deo nullius perturbationis improbitas obistere audeat vel præsumat. Quapropter monasterium a sanctissimo prædecesore nostro hujus sanctæ sedis Episcopo Altmanno in honore beati Andreae Apostoli & sancti Pantaleonis Martyris & præcipue beati Nicolai pii Confessoris, adjuvante & cooperante felicis memoriæ Agnetæ Imperatrice in portu Oeni fluminis fundatum & apostolicorum virorum Alexandri, Gregorii, Honorii tertii & Gregorii VIII. PP. & Heinrici Regis hujus nominis quarti, & filii sui Imperatoris Heinrici quinti, nec non ipsius fundatoris Altmanni & Ulrici, atque Remberti & Ulrici secundi, aliorumque Pat. Ecclesiæ venerabilium Pontificum privilegiis & sigillis roboratum, ut inconvulsum ac illibatum omni futuro tempore permaneat, Deo Patri sanctisque ejus flectere genua precibus & suspiriis non cessamus. Cujus rei gratia dilectus in Christo frater apud S. Nicolaum venerabilis Præpositus Ulricus, Ecclesiæ suæ privilegia ab antedictis Patribus, Dominis, atque Principibus, auctorabiliter instituta legenda nobis obtulit, eaque nostra auctoritate contra novas Ecclesiarum calumnias renovari, communi fratrum suorum petitione suppliciter postulavit. Nos igitur illius & sui Capituli justis petitionibus debitum consensum adhibentes, quæcunque nostri antecessores, & piissima Imperatrix Agnes, ceterique fideles prædicto cœnobio pia devotione contulerunt, vel adhuc conferenda sunt, nos quoque collata & nunquam auferenda esse censuimus, & quicquid prædecesores nostri apostolico & suæ auctoritatis banno confirmaverunt, nos id ipsum apostolico nostroque banno confirmantes ab illorum sententia nullatenus dissentimus. Hæc igitur sunt bona, quæ Agnes Imperatrix pro remedio animæ suæ prædicto cœnobio donavit. Nonna videlicet pars omnium, quæ ad Persinbeug & Ibspurg ad manus suas culta reddebantur. Quæ vero sequuntur per manum advocati sui Remberti, præfatus Episcopus Altmannus jam dicto cœnobio tradidit, scilicet præsignatum portum Oeni fluminis cum omni utilitate sua. Ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalene dimidio manso dotatam. In suburbio vero civitatis XI. domata, & quicquid ruris est a Danubio usque ad Oenum, præter duo jugera ultra montem Weinthobel sita & duas curtes stabularias Senftling & Neunhoven cum omnibus pertinentiis suis, tradidit etiam eidem Cœnobio decimas de hortis, de pomeriis, de vineis, de agris, quæ de illo domate coluntur ad hospitale pauperum ibidem constitutum, ad Tantobel dimidium mansum, ad Holzheim IV. hubas, Hegenpach hubam, Probstreut hubam, vasa tornata solventem. In ripa, quæ dicitur Boitra dimidiam hubam, Pauchmül hubam, Sauming hubam, Hasenbrüel hubam, ad Windelberch I. hoffatham, ad Stainvelde hubam, ad Sunebach hubam, ad Pinzhaim unam hoffatham. In loco, qui dicitur Alburch duas partes decimationis ejusdem Ecclesiæ, & tres curtes stabularias. In Gehei curtem unam, Avecking III. hubas solventes ferrum, Hergoliming hubam, Aufhausen molendinum, Königstorf curtem I. & dimidiam hubam cum una decima, Euchendorf Capellam cum omni utilitate & pleno jure & curtem stabulariam, & dimidiam hubam cum pratis & sylvis illuc pertinentibus. Petrichstorf curtem I. cum omnibus suis appendiciis, Enzenweis villam cum Genezeo & molendinis, sylvis, pratis, piscationibus, & omni utilitate sua. In Reut VII. hubas, Dornach, curtem I. & hubam, & sylvam cum pratis & piscationem, & unam decimam, Cholmbrunne hubam, Wachenweis duas curtes stabularias & hubam I. & dimidiam, & I. decimam cum pratis & sylvis illuc pertinentibus & piscationem, Einharstorf molendinum, & dimidiam hubam, cum pratis & sylvis, & areis & piscationibus. Gerchweis tres hubas, & III. carradas cerevisiæ de bonis Episcopi in eadem villa dandas, Altheim curtem unam cum omnibus ejus appendiciis, Aunkirchen Capellam cum omni utilitate & pleno jure, & curtem I. cum omnibus ejus appendiciis, & quicquid utilitatis fratres supradicti Cœnobii eis poterint ordinare, tam in agris quam in sylvis, oblationibus & areis in eadem villa constitutis & unam decimationem, Aitenpach Ecclesiam cum omni utilitate, & jure parochiali, & unam decimam in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis, Ahabam cum sylva adjacente, Vilshoven dimidiam hubam, Hantspach hubam, Cu-

pharn tres hubas, Huckhenhoven hubam, Perchaim II. hubas, Leunchar II. hubas, ad Walde hubam solventem picem, in parochia Hutarn I. decimationem, in parochia Chelichperg I. decimam, in parochia Irsheim I. decimam, in Ecclesia, quæ dicitur Heinning, II. partes decimationis, duas quoque partes decimationis novalium sylvæ, quæ dicitur Hohenhart tam cultorum quam colendorum, in quatuor Ecclesiis illis, quarum termini in eandem sylvam ex inferiori parte porriguntur, quarum nomina sunt hæc: Eberswanch, Schiltarn, Aspach, Vekkillstorf, tradidit etiam illis Ecclesiam Grieskirchen cum omni utilitate & pleno jure, & unam decimam in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis. Dedit etiam fratribus prædicti Cœnobii Ecclesiam in Alnchoven cum omni utilitate & pleno jure & unam decimam, decimas quoque novalium in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ, & unam hoffatham. Ad Eusten curtim I. Strazze IV. hubas, Harde hubam I. cum sylvâ adjacente. Winklarn dimidiam hubam, Stude dimidiam hubam, Eimling dimidiam hubam, ad Tunheim dimidiam hubam. Hartheim Ecclesiam & dimidiam hubam, in Reut hubam, Busing curiam & dimidiam hubam, in Prüel dimidiam hubam in usum apum & Chaltenpach ad Ruprechtshoven I. decimam, in oriente in rure circa Rust & Isendorf decimam unam in omnibus terminis ejusdem ruris, tam cultis quam colendis, in rure, quod dicitur Peutrich duas partes decimationis in quatuor Ecclesiis Neuenkirchen, scilicet, & Bôrpach, Molte & Rietenpurck decimas quatuor novalium in omnibus terminis earundem Ecclesiarum, in Ecclesia Stregen duas decimas, in parochia Hohenwart I. partem decimationis in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis, tradidit etiam III. sagenas, Sebach I. Matsee I. Pataviæ I. quæ protenditur a pede montis, in quo sita est civitas usque Walkerslegen adjacens quicquid utilitatis prædicti fratres eis in eodem litore poterint ordinare. Præterea contulit eis Sebach III. vineas, Aschach II. Wachawe IV. Huntsheim IV. Mautarn II. & unam hoffatham. In Halle unam sartaginem cum suo jure, in Lohe curiam I. in Sebach decimam I. Lintheim curiam, & ad luminaria Ecclesiæ tradidit Capellam S. Mariæ in civitate Laureacens. cum omni jure & utilitate, quæ præmemoratis fratribus tam in oblationibus quam censualibus infra cimiterium sitis, & in quibusdam hortis poterit provenire. Pro vestitu autem eorundem fratrum ordinavit XXIV. libras de navibus Pataviens. de Golderwerde VI. de Everding IV. de censu Mathsee III. de Aufhausen I. Fratres quoque præfati monasterii liberos ab omni Advocatorum servitio esse volens. Comitum Henricum de Vornpach advocatum illis in partibus Baviaræ & Leopoldum Marchionem in partibus Austriæ Advocatum eis ordinavit, hoc quasi pro jure observandum statuendo & auctoritate Dei omnipotentis sub pœna æternæ damnationis inhibendo, ut nec ipsi, nec alii hæredum suorum, nec alter quispiam eis quacunque sorte succedentium advocatorem aliquem nisi fratribus sæpedicti cœnobii petentibus subadvocatum præsumat ordinare, hoc adjuncto, ut si aliquis improbus advocatus hoc infringere tentaverit, is vinculo anathematis se sciat innodatum, & æternæ ultionis vindicta, nisi resipuerit, perpetualiter puniendum. Pro servitio vero quod plerumque occasione advocatiæ ab Ecclesiasticis personis exigitur, X. vineas in Reutarn sitas, cum omnibus eorum appendiciis, Comiti Henrico de Vornbach, & in loco, qui dicitur Muckrame III. hubas & LXX. mancipia Leopoldo Marchioni Austriæ in beneficium concessit, ea conditione, ut nec ipsi, nec aliqui succedentium sup. advocatorum aliquid ab ipsis ratione advocatiæ servitium præsumat expetere. Quidquid vero reddituum circa Grieskirchen & Alnchoven sæpedictis fratribus contulit sibi & successoribus suis vice advocati patrocinandum reservavit, auctoritate Dei Patris omnipotentis firmiter inhibens, ut nullus successorum suorum aliquem subadvocatum nisi pro petitione eorundem fratrum ibidem sibi præsumat aliquem substituere. In omnibusque Ecclesiis, quas eisdem fratribus contulit, quicquid juris & servitii Episcopus in eis habere videbatur, totum ipsis & plenarie contulit. Mortuo quoque Præfato ipsorum liberam eis electionem indulxit, & hæc faciens omnia communi consilio & consensu Canonicorum Chori Pat. & ministerialium suorum rationabiliter confirmatum. Defuncto igitur piæ recordationis Altmanno Episcopo successor ipsius in Episcopatu Ulricus Episcopus foundationem supradicti Cœnobii & donationem Episcopatus illuc factam approbans & confirmans, Ecclesiam in Alburg cum omni utilitate & jure, quod Pat. Ecclesiæ Episcopus ratione fundi in ea habuit, jus videlicet patronatus fratribus ejusdem Monasterii contulit, Rembertus Pataviensis Ecclesiæ Episcopus, dum se fratres sæpedicti Cœnobii in portu Oeni fluminis ablato damnificasse recognovisset, pro recompensatione damni eis illati Ecclesiam in Hartkirchen cum omni utilitate & pleno jure & unam decimam in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis ipsis contradidit. Idem etiam eis Ecclesiam in Schwarzach, quæ alio nomine Munichreuth dicitur, dedit, cum una decimatione in omnibus terminis ejusdem Ec-

clesiæ tam cultis quam colendis. Ulricus quoque secundus nostrorum prædecessorum contulit eis Ecclesiam Widenspach pleno jure & omni utilitate cum dote & decimatione in omnibus terminis ejusdem Ecclesiæ tam cultis quam colendis, per quam donationem partim salutis suæ & nostræ providit, & partim quædam in Golderwerd sita, quæ fundator Altmannus Episcopus ad vestitum fratrum eis contulerat, ad nostra dominicalia revocavit. Horum igitur vestigia imitantes alii quam plures, dum religionem sanctam & servitium Dei in eodem Monasterio sancte & religiose florere viderent, spiritu sancto edocti redditus suos illuc contulerunt. Inter quos Hezil quidam homo nobilis tradidit illuc stabulariam curtum in Pering & dimidiam hubam cum pratis & areis illuc pertinentibus & duas hubas in Richerstorf cum pratis & sylvis illuc pertinentibus. Alramius quidam I. hubam ad Walchsing. Quidam sacerdos nomine Raffoldus villam in Sunnbach cum sylva adjacente, & villam in Purckarding cum omnibus suis mancipiis & sylva adjacente eidem Cœnobio tradidit, Comes Gebhardus Schalcheim cum omnibus pertinentiis suis dedit, Gebhardus quidam cognomento Longus molendinum in Pocking & dimidiam hubam. Sacerdos quidam Meingotus villam in Simaring, cum omnibus ejusdem appendiciis. Alramus quidam de Aschach duo prædia in Urgildorf. Quidam Meinhardus nomine prædia, quæ in Pollinheim & Sindring habuit. Gerhohus quidam prædium in Chrebspach. Quidam Sacerdos nomine Ekkeric curiam Hartheim, & dimidiam hubam. Alheidis quædam nobis villam in Beneventenreut, & Grub cum omnibus illuc pertinentibus. Præterea alia tria prædia ibidem sita contulit Hartmannus, quidam homo nobilis quatuor prædia & molendinum juxta Priennpach & in Buziberch hubam dedit, Engelbertus de Planchenberch curiam in Herherstorf & hubam Reinhalminge & dimidiam hubam in Winchel, Engelbertus quidam de Strubin ministerialis Episcopatus curtum I. in Aschach & curiam in Wafen cum sylvis & pratis & molendino & cum aliis XXIII. prædiis, empticiis & vineam in Aschach dedit. Gupoldus de Pormheim IV. beneficia, III. vineas cum areis in Friendorf dedit, & montem super quem cultæ ejus vineæ. Gebhardus quidam nobilis in Abstorf curiam I. & dimidiam hubam cum pratis, sylvis, & piscationibus & mancipiis suis. Leukardis Advocatrix Ratisbon. IV. prædia in Griendorf, Weinhardus de Horbach & frater suus Chunr. curiam unam in Engelmarsperg, & ibidem molendinum in Prükke. Potto de Maessingen curiam unam in Sprinzenperch, Elyfabeth Comitissa in Oertenberg prædium in Palde. Wernhardus de Rotawe duas hubas in Pühil. Præterea alii quamplures Christi fideles pio istorum exemplo conducti prædia sua & alia pro remedio animarum suarum præfato Cœnobio contulerunt. Hæc inquam omnia & quæcunque alia bona idem monasterium vel nunc liberalitate prædictarum personarum jure possidet, vel postmodum jure & canonice Deo favente poterit adipisci, nostræ auctoritatis tuitione & sigilli impressione firmamus & corroboramus; eo videlicet tenore & conditione, ut ad communem usum fratrum ibidem in canonica & regulari vita Deo famulantium proficiant, & communiter regulariterque conversantes, nullus seu in præsentiam seu in futurum de bonis Ecclesiæ proprio vel privato usui quicquam præsumat usurpare, sed juxta apostolicæ sedis normam, prout cuique opus erit, a Præfato distribuatur. Ut ergo hæc omnia firma & illibata in Domino permaneant, judicio Dei Patris omnipotentis & filii & Spiritus sancti & auctoritate beati Petri Apostoli ejus successorum Gregorii PP. hujus nominis & fiducia & consolatione beati Andreæ Apostoli, & sancti Pantaleon. martyris & præcipue pii Confessoris sancti Nicolai ejusdem loci patroni amore & reverendæ memoriæ Altmanni, Udalrici, Remberti, & Ulrici secundi aliorumque prædecessorum nostrorum Pat. Ecclesiæ venerabilium Pontificum interdiximus firmiter & prohibemus, ut nullus successorum nostrorum, seu aliqua secularis vel ecclesiastica persona, de nominatis præfate Ecclesiæ prædiis vel jure quicquam tam in temporalibus quam in spiritualibus invadere, aut diminuere vel usui fratrum apostolica inibi vestigia servantium subtrahere audeat vel præsumat. Si quis autem, quod Deus avertat, ausu nefario hæc transgressus fuerit, si tertio commonitus congrua satisfactione non emendaverit, anathematis laqueo se irretitum, & cum Juda pessimo mercatore partem habiturum indubitanter agnoscat. Conservantibus autem pax & misericordia a Domino Deo & in præsentem & in futuro seculo conservetur. Acta sunt hæc anno incarnationis Dominicæ M.CC. XXVII. Indictione XV. XII. Calend. Novemb. apostolicæ sedis PP. Gregorio VIII. Papatus vero sui anno I. Regnante Imperatore Friderico II. nostri autem Pontificatus anno VI. Datum Patav. per manum Notarii nostri Friderici feliciter Amen.

In nomine sanctæ & individue Trinitatis. Otho Dei gratia Pataviensis Episcopus, omnibus hanc literam inspecturis salutem in perpetuum. In specula curæ pastoralis præfidentium requirit Officium Ecclesiarum invigilare commodis, nec non habitis
&

& acquisitis, quantum facultas permiserit semper aggregare quid, & addere ut juxta legem multis in beneficiis crescere, ac excussis subditorum oneribus universis, in commissi ejus gregis quiete quiescere verissime videantur. Hæc igitur digna revolventes perconctatione & peccatorum nostrorum vulneribus salubris medicaminis cupientes adhibere tantum pro remedio in Christo patrum felicitis recordationis hujus Cathedræ Episcoporum, nostræque salutis intuitu fratribus in domo sancti Nicolai extra muros civitatis Deo ibidem militantibus ob reverentiam reliquiarum inibi reconditarum, universales decimas omnium novalium cultorum & colendorum, surgentium de limite ad limitem in tota parochia Dornnach, de Capituli nostri consensu & conniventia perpetuo donavimus pleno jure. Ipsi etiam fratres pia mentis intentione considerantes donationis nostræ beneficium, fideliter & concorditer promiserunt diem annum nostri obitus cum gratiarum actionibus, & hostiarum victimis in Redemptoris nostri laudem observare celebrem, & finem Psal. qui est: Laudate Dominum in sanctis ejus cum aditamento versiculi pro fidelibus defunctis, qui incipit: Requiem æternam dona eis Domine &c. diebus singulis & decantatis completoriis recitare. Sed quia per nefas & improbe quidam consueverunt donationes restringere, cum juxta statuta Canonum largissime interpretari habeant, hanc nostram devotionem extendimus exclusa omni exemptione ad decimas novalium præsentis temporis, præteriti, & futuri. Ut autem hæc nostræ devotionis donatio firma perseveret, præsentem paginam sigillorum nostri videlicet & Capituli munimine & subscriptione testium volumus roborari. Testes sunt hi: Meingotus Tumpræpositus, Poppo Decanus, Henricus Custos, Albo Comes de Rotenecke. Ulricus de Stiria. Magister Hartwicus Scholasticus, Otto Cantor, Wornhardus de Prampach Canonici, Albertus Nathohus Capellani nostri, Albertus Notarius, Siboto de Jonstorf, Berchtoldus de Haidenstorf, ministeriales & alii quam plures. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXIII. in die S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ. Pontificatus nostri anno XI. Indictione VII.

In Christi nomine Amen. Albertus Dei gratia Patavien. Episcopus ad notitiam præsentium & memoriam futurorum vota eorum digno favore prosequuntur, quorum desideria justo committuntur præcamine, quibus nihilominus mediantibus ea quæ prædecessorum benigna liberalitas pro animarum salute, cultusque divini augmento locis Deo sanctis rite contulit, debitam fortiantur roboris firmitatem. Sane dilectorum in Christo Præpositi & Conventus Canonice regularium Monasterii S. Nicolai in suburbii nostræ civitatis Pataviensis, petitio continebat, quod eis innovare, & ex certa scientia confirmare dignaremur quasdam literas & earum continentias eis a felicitis recordationis Domino prædecessore nostro rite & rationabiliter concessas, quarum tenor de verbo ad verbum erat talis. In nomine S. & individ. Trinit. Ulricus Dei gratia Patav. Episcopus, cunctis successoribus suis & omnibus imposterum fidelibus in perpetuum. Ex injuncto nobis licet immeritis præfulatus officio non solum Ecclesiis ad nos qualitercunque spectantibus tenemur præesse, imo magis prodesse, maxime autem iis, qui ratione foundationis a nostris visceribus exierunt, cum non sufficiat nos a gravamin earundem cessare, nisi etiam manum auxiliatricem tempore necessitatis ipsis porrigere satagamus. Inhærentes igitur laudabilibus coram Deo & hominibus prædecessorum nostrorum vestigiis, Ecclesiam pii Confessoris S. Nicolai in suburbio nostræ civitatis a prædecessore nostro piæ recordationis, venerabili Episcopo Altmanno honorabiliter constructam debita dilectione amplectimur ipsius promotioni & tranquillæ conservationi quantum possumus intendendo. Unde noverint universi Christi fideles, tam moderni temporis, quam futuri. Quod nos ad instantiam nobis in Christo dilecti fratris & Capellani Ulrici ad S. Nicol. venerabilis Præpositi & Capituli de Chori nostri bona voluntate consensuque unanimi & concordi nostrorum quoque ministerialium consilio in concambium talenti aureorum denariorum & XII. vel Patav. monetæ sex librarum quas idem Dominus Altmannus de Dominicalibus nostris in Golderwerd ad Cameram ipsorum pro vestitu annuatim solvendas fratribus sub communi & regulari vita Domino Deo ibidem servientibus ordinavit, contulimus parochialem Ecclesiam in Widenspach cum terminis suis dote, ac decimis, aliis attinentibus tam cultis quam colendis, tam quæstis quam quærendis ac pleno jure, quod ad nos in eadem Ecclesia plenarie dinoscitur pertinere a prædictis fratribus quieto & perpetuo titulo possidenda, salvis sibi nihilominus decimis, quas in prædicta Insula videlicet Golderwerd possident ratione Ecclesiæ suæ in Alnchoven audientes, siquidem indebitam prædictæ atque statutæ summæ diminutionem dilectis in Christo fratribus antedictis canonicis regularibus per officiales nostros nobis licet invitis frequenter illa tam nostrum super hoc valde metuimus periculum, & id cum pro nostra tum antecessorum seu etiam successorum nostrorum salute imposterum præcavere cupientes, quod-

que de proventibus præmemoratae Ecclesiae poterit provenire amplius quam in præscripto concambio recepimus pro remedio animæ nostræ, nec non & successorum nostrorum omni salute cedat incommunes usus dilectorum nobis in Christo fratrum regularium Canonorum, ut memores talis consolationis ob reverentiam omnipotentis Dei, & pii Confessoris S. Nicolai omniumque Sanctorum per nostram benevolentiam sibi collatae nos in suis orationibus habeant apud Dominum frequentius & devotius commendatos. Ut autem talis pronuntiatio canonice facta rata & semper in convulsa imposterum permanere debeat, hanc paginam in testimonium hujus facti conscribi & sigilli nostri caractere eam fecimus communiri. Testes vero qui huic facto intererant, & de quorum consilio & consensu effectum est mancipatum, hi sunt de Choro Cathedralis Domini. Otto Decanus, Chalohus de Valchenstein, Haetridus Præpositus Chunradus Tumpharius, Walchimus de Stain, Henricus Scholasticus in Vienna, Henricus de Mistelbach, Henricus de Weintbach artium Magister, Henricus de Weitten Archidiaconus. Heberhardus de Jahenstorf, Celer. Rud. de Tun. Wilhalmus Cantor, Engelpoldus. Chun de Tun Custos, Chunr. de S. Valentino Alberdus, Heberhardus de Wentpach & alii de Capellanis Ecclesiae, Magister Marquardus de Tulen Archidiaconus. Chunr. Notarius Ecclesiae, Magister Ainbicus, Magister Albertus, Sabotto Capellanus & Sacerdos, Ministeriales. Admarus Pincerna de Wefen, Henricus de Aham Camerarius, Otto de Ayenbach Marschalcus, Waltherus de Tanneberch Dapifer, Otto de Jahinstorf, Albertus de Seumundespach, Eckhardus de Vurch, & Henricus frater ejus, Acta sunt hæc Pat. anno incarnationis Dominicæ M. CC. XX. Indictione octava, III. Non. Febr. apostolicæ sedis PP. Honorio III. papatus autem sui anno quarto, regnante Rege Friderico II. nostri autem Pontificatus anno V. Data Pat. per manum Notarii nostri Chunr. Nos igitur piis petitionibus prædictorum Præpositi & Conventus misericorditer inclinati literas præscriptas cum omnibus suis continentis quemadmodum rite & rationabiliter a prænominate nostro prædecessore emanarunt, de communi & concordia Capituli nostri consilio & consensu approbamus, innovamus, & ex certa scientia confirmamus, volentes eas perpetui roboris habere firmitatem. In quorum omnium & singulorum testimonium & perpetuam evidentiam nostrum & præfati Capituli nostri sigilla præsentis paginae sunt appensa. Datum Pat. anno Domini M. CCC. XXVI. Id. Martii.

In Christi nomine Amen. Albertus Dei gratia Patav. Episcopus ad futuram rei memoriam. Justis votis gratis decet admissionibus complacere, præsertim cum pietatis inicitur affectum religioni conveniunt, & ad divini electus tendunt augmentum. Sane religiosi viri Præpositus Canonorum regularium Monasterii sancti Nicolai extra muros Pat. ordinis sancti Augustini nostræ dioc. & nonnulli ex suis Capitularibus coram nobis constituti quidam privilegium eis a felicitis recordationis quodam Domino Ottone prædecessore nostro gratiosè indultum exhibuerint supplicantes, ut cum ex nimia vetusta attritum, & aliis demolitionibus obfuscatum appareret, ipsum nova auctoritatis nostræ interpositione dignaremur innovare. Tenor autem hujus privilegii erat talis. In nomine sanctæ & individuae Trinitatis Amen. Otto Dei gratia Ecclesie Pataviensis Episcopus omnibus hanc literam inspecturis salutem in perpetuum. Præsentium in specula curæ pastoralis requirit officium, ecclesiarum invigilare commodis, nec non habitis & acquisitis in quantum facultas promiserit semper aggregare quod addere ut vix legem metis nobilis in beneficiis crescere ac excussis subditorum oneribus universis in commissi sibi gregis quiete quiescere verissime videantur. Hæc igitur digna revolventes percunctatione & peccatorum nostrorum vulneribus salubris medicaminis cupientes adhibere cauterium, pro remedio in Christo patroni felicitis recordationis hujus Cathedrae Episcoporum, nostræque salutis intuitu fratribus in domo sancti Nicolai extra muros civitatis Deo ibidem militantibus ob reverentiam reliquiarum inibi reconditarum universas decimas omnium novalium cultorum & colendorum, surgentium de limite ad limitem in tota parochia Dornach de Capituli nostri consensu & conniventia perpetuo donavimus pleno jure. Ipsi etiam fratres pia mentis intentione considerantes donationis nostræ officium fideliter & concorditer promiserunt, diem nostri obitus cum gratiarum actionibus & hostiarum oblationibus Redemptoris nostri laudem observare celebrem & finem Psal. qui est: Laudate Dominum in sanctis ejus cum additamento versiculi pro fidelibus defunctis, qui incipit, Requiem aeternam dona eis Domine &c. diebus singulis & decantatis completoriis recitare. Sed quia per nefas & improbe quidam consueverunt donationes constringere, cum juxta statuta Canonorum largissime interpretari habeant, hanc nostram donationem extendimus exclusam omni exceptione ad decimas novalium præsentis temporis, præteriti & futuri. Ut autem hæc nostræ devotionis donatio firma perseveret, præ-

præsentem paginam sigillorum nostrorum videlicet & Capituli munimine & subscriptorum testium volumus roborari. Testes sunt hi: Meingotus Tumpræpositus, Popo Decanus, Henricus custos, Albero Comes de Rotenecke. Ulricus de Stiria, Otto Cantor, Weinhardus de Prampach Canonici, Albertus, Nantohus Capellani nostri, Albertus Notarius, Siboto de Jonstorf, Berchtoldus de Haidenstorf, ministeriales & alii quam plures. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. IIII. in die S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ. Pontificatus nostri anno XII. Indictione VII. Nos igitur justis præfatorum Canonicorum precibus inclinati, quod per prænominatum prædecessorem nostrum proinde factum extitit gratum & ratum habentes de consilio & consensu Capituli nostri ex certa scientia confirmamus, innovationes eis prælibatas literas præsentis scripti patrocinio nostri & jam dicti Capituli nostri sigillorum appensione munitas. Actum & Datum Patavii anno Domini M. CCC. XXIX. in Cathedra beati Petri.

Albertus Dei gratia Pataviensis Episcopus: ad notitiam præsentium & memoriam futurorum. Quoniam omnes morimur & tanquam aquæ dilabimur super terram, sitque nihil certius morte nihil vero incertius hora mortis. Sancta & salubris est cogitatio hominibus adhuc in Pelago hujus seculi fluctuantibus frequenter sollicitudinibus temporalibus prosterगतis de immarcessibili præmio meditari, & de affluentia rerum transitoriarum thesauros in cælo thesaurizare, ubi nec erugo nec tynea demolitur. Affecti igitur zelo specialis devotionis ad religiosum & venerandum Collegium Canonicorum regularium Monasterii S. Nicolai Ordinis S. Augustini extra muros Patavien. eo quod de visceribus nostræ Ecclesiæ primævæ suæ foundationis originem receperunt, eis pro nostra ac prædecessorum nostrorum animarum salute ad præbendæ suæ cottidianæ emendationem in qua defectum notabilem eos novimus sustinere de bona voluntate & consensu venerabilis Capituli nostri eis libertatem contulimus. Tres libras salium majoris ligaminis & novem minoris per decursus usque fluminis, videlicet Oeni & Danubii semel duntaxat in anno in *Obernberg*, & Patav. per se vel alios absque omni muta seu theloneo in perpetuum deducendi. Volentes tamen ut in recognitionem hujusmodi percepti beneficii singulis annis in crastino scilicet sanctæ Katharinæ virginis in Choro eorum missam & nocte præcedente majores vigiliis profunctis cum nota solenniter decantent. Et nihilominus eodem crastino in singulis altaribus ecclesiæ suæ ejusdem officii missam perpetuis temporibus legi faciant pro nostra ac prædecessorum nostrorum animarum perhenni remedio & salute. Ut & hæc nostra donatio perpetua permaneat, ac ab omnibus mutariis seu officialibus nostris inviolabiliter observetur, eis præsentis literas concessimus nostri ac prælibati Capituli nostri sigillorum appensione roboratas. Actum & Datum Patav. anno Domini M. CCC. XXXIV. In die beati Udaltici Confessoris.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Wolfkerus Dei gratia Pataviensis Ecclesiæ Episcopus, univèrsis Christi fidelibus perpetuam in Christo salutem. Notum fieri volumus omnibus præsentis & futuri temporis fidelibus: qualiter inter Canonicos regulares sancti Nicolai, & inter Dominum Ortolfum & fratres suos Othonem & Sibothonem de Tegernbach versabatur pro decimis agriculturæ suæ in parochia Grieskirchen, & quodam prædio, quod Tegernbach vocatur. Quod Ortolphus pater eorum pro remedio animæ suæ beato Nicolao & Canonicis Deo ibi servientibus contulerat, nostro est decisa judicio, constitutus in præsentia partibus eam a prædictis Canonicis est proposita super qua & super prænominatorum fratrum * quæsitum est a nobis in scientia, qui de his ad commodum utriusque partis justum videretur. Super quo requisiti a nobis Dominus Chunradus Archidiaconus, Tiemo de Prochenberg ministerialis noster talem dederunt sententiam, ut testes audirentur, & secundum eorum attestations juxta tenorem privilegii, quod tam dicti Canonici pro se allegebant causæ finem imponeremus. Dietmarus igitur de Trammerstain juratus dixit, eandem causam ita notam esse sibi sicut tenor privilegii habebat. Wizmannus etiam juratus dixit, bene sibi constare de causa, & ita esse, & ex tenore privilegii audierat. Auditis itaque eorum attestationsibus, requisiti a nobis Dominus Chalhohus Archidiaconus & Henricus de Prez ministerialis noster hanc sententiam dicunt, quod prænominati testes ita testificati essent, quod sæpedicti Canonici juste per eos prætaxatam decimam & prædium supra memoratum obtinissent. Quam sententiam rite latam & universaliter a clericis & laicis approbatam præsentata nostra auctoritate confirmantes, sigilli nostri robur ei impendimus, & si quis eos in prædicta decima & prædio tam sæpius nominato gravare, aut eos injuriari præsumserit, auctoritate & beatorum apostolorum Petri & Pauli, eorumque successorum & nostri anathematis vinculo eos innodamus. Acta sunt hæc Patavii in publico Capitulo nostro cum testibus subnotatis

Poppone Abbate de Altach, Leonhardo Præposito de Richersperg, Dietmaro Præposito de Suben, Gerungo Præposito de Osterhoven. Ex Canonicis Cathedralibus Conrado Archidiacono, Chalhogo Archidiacono, Heinricho plebano de Hartperch, Henrico plebano de Gerpoltshoven, Alberone de Trusteren Pilgrino de sancto Egidio, Ulrico de Ammendorp. Leone de Grieskirchen, Walthuno de Bochenperg & fratre suo Alramo de Utendorf, Weigando de Romptingen; Henrico de Paumgarten, Alkero & Henrico fratre suo de Waltek, Wernhardo de Ort, Thiemone de Puechenperg, Alberto Puro, Henrico de Prez, Henrico de Leonstorff, Eckardo de Vuet, Albone de Gemunspurg, Dietmaro & fratre suo, Henrico de Grammenstain, Alberto, Sibothone, Walthero, Ruizone, Wizmanno, Azelmo, Pernoldo.

In nomine sanctæ & individuae Trinitatis. Notum sit omnibus præsentis & futuri temporis fidelibus, qualiter lis, quæ inter Canonicos sancti Nicolai, & Dominum Ortolphum de Grieskirchen fuit, pro decima quadam terminata est, prædictus Ortolphus in parochia Grieskirchen decimationem suæ agriculturæ, a multis temporibus, in sua tenuit potestate, nullum hujus usurpationis ad præfatos Canonicos habens respectum. Tandem cum Dominus Henricus Salzburg, Canonicus ad regimen monasterii sancti Nicolai constitutus fuit, jam dictus Ortolfus, super tam injusta possessione a prænominato Præposito est commonitus, cujus admonitione compunctus ad consensum boni consilii inclinatus; prætaxatam itaque decimationem idem Ortolfus in manum Domini Henrici Præpositi resignavit, quam ipse ad tempus vitæ suæ non jure beneficii sed jure amicitiae a Præposito accepit. Insuper tradidit sæpeditus Ortolfus beato Nicolao & Canonicis ejusdem loci prædium nomine Tegernbach quod comparavit a Manegoldo X. talentis, quod nullo jure nec uxori suæ, nec filiis attinebat, pro remedio animæ suæ, ipsumque prædium in beneficium a manu Præpositi recepit ad tempus vitæ suæ ea lege, ut singulis annis V. nummos ad altare sancti Nicolai deferat, & ipso ex hac vita decedente, & superscripta decimatio & jam dictum prædium in usum sancti Nicolai, & Canonicorum ipsius loci redeat. Instabat etiam tunc tempus, quod Dominus Præpositus Romam pro necessitate loci & in servitio Episcopi ire debuit, qui cum expensas itinerarias ex Dominicalibus suis habere non posset, ex consilio totius Congregationis a suprascripto Ortolfo mutuo accepit X. talen. Ratisbonen. monetæ & VI. Ensisis monetæ, hoc pacto, ut in necessitate S. Mariæ ensarios sibi reddat. Item debitum pro anima sua sic partiretur V. tal. Ratisb. fratribus S. Nicolai ita Canonicis majoris Ecclesiæ, duo pauperibus ad S. Egidium Ensisensem, duo tal. ad Willering, ad duo altaria in Ecclesia Grieskirchen duo talen. ut per hæc utilitas illius Ecclesiæ secundum consilium Præpositi S. Nicolai ad fratrum suorum disponatur; reliqua duo in potestate sint Domini Præpositi S. Nicolai danda pro redemptione animæ suæ. Hujus rei testes sunt: Otho Awer, Erchenger de Wachtersheim. Hecelo de Tegerbach, milites Domini Ortolfi, Engelwertus Wasingrim, Conrad. de awe. Pom. de Tolet. Sinfrius de Cherbach, Dietmar & Gezman & frater ejus, Dietmarus Erchenger, Chunrat Pictor, Wyfman, & filii ejus Berchtold, Pernold, Perchtold.

Gebhardus Dei gratia Patavien. Episcopus universis Christi fidelibus hanc charitatem inspecturis salutem in Domino. Sciant cuncti fideles in Domino tam præsentis quam futuri, quod controversia inter dilectos nobis fratres, Ulr. Præpositum & Conventum sancti Nicolai Patavien. ab una parte & Sybotonem militem & filium ejus Ortolfum & Chuchendorf ab altera, super quodam prædio in parochia Grifst, in loco, qui dicitur Winchel posito, diu habita. Item demum coram nobis & Choro nostro, de consensu partium decisa fuit, quod dictus Siboto idem prædium, cum sit proprietas Ecclesiæ S. Nicolai a manu ipsius Præpositi accepit, tantum ad vitæ suæ tempora possidendum, sic utique ut dim. tal. monetæ in eadem provincia, tunc dativè annuatim solvat conventui S. Nicolai, in Festo S. Andreae, renunciante quoque penitus ibidem filio suo prædicto Ort. in manum Præpositi coram nobis actioni & litigio quo licet injuste pro eodem prædio Ecclesiam S. Nicolai, tunc & in futuro voluit aggravare. Adjunctum etiam fuit in eadem compositione, quod antedictus miles Siboto ad meliorationem talis prædii tam in ædificiis, quam cultra omnimode intenderit, & ad placitum Præpositi venire non obmittent tempore præsignato. Ut autem talis contractus ratur tantum ad dies memorati Sib. permaneat, cum ipsum prædium sine alicujus contradictione post mortem suam libere ad Ecclesiam sancti Nicolai cum omni utilitate redire debeat, duo paria literarum conscribi, & nostro sanctique Nicolai sigillo fecimus communiri, uno ipsorum Siboto assignato, reliquo ad sanctum Nicolaum in facti memoriam reservato. Actum est hoc in majori Ecclesia Patav. in vigilia S. Joannis Apostoli, ante portam latinam, anno ab Incarnatione Domini M. CC. XXV. In-

dictio-

diſtione XIII. Teſtes autem hujus facti ſunt de Choro Chun. Decanus, Conradus Tumpharer, Eberhardus oblegarius, Albertus de Poſſmünſter, Otho de Morſpach, Henricus Gnanus, Wernherus, Chudlo, Henricus & Herbordus fratres Sartores, Henricus Goltſtain, Henricus Sartor, Albertus Præpoſitus de S. Nicolao, Henricus miles Waltherus, Sifridus Richardus, Ulricus Hovinger, Magiſter Einwicus, Rember- tus Canonicus Archidiaconus, Otho plebanus de Othartsch, Artolfus de Huzingen, & alii quam plures.

Eberhardus Dei gratia Pat. Epiſcopus, omnibus præſentem paginam inſpecturis ſalu- tem in eo qui vero ſalus. Res geſtas tollit oblivio, niſi literarum teſtimonio con- firmantur. Ad notiſiam perveniat omnium præſentem paginam intuentium, quod nos contulimus in dotem altari S. Stephani apud ſanctum Nicolaum, a nobis confe- crato, huius unam in Ahelmingen ſitam, quam rebus noſtris comparavimus a fratri- bus de Tutlingen, Cunrado & Gehungo hac forma interpoſita, ut ſingulis annis apud jam dictum locum anniverſarius dilecti Domini conſanguinei noſtri Chunradi Ratis- bonen Epiſcopi felicitis memoriæ devotius celebretur, & luminaria de prædicta huius ad altare jam dictum debeant conferri, & ſi quid reſiduum fuerit in dedicatione ipſius al- taris in ſubſidium fratrum & ſolatium impendatur. Et ne aliquis in poſterum colla- tionem noſtram per aliquam calumniam præſumat inſirmare, præſentem paginam ſi- gilli noſtri impreſſione & teſtium ſubſcriptione fecimus communiri. Hi vero ſunt te- ſtes: Henricus Tumpræpoſitus, Chunr. Decanus, Chalhohus Archidiaconus, Wil- halmus Cantor, Chunr. Cuſtos, Chunr. Tumblebanus, Eberhardus de Jahenſtorff, Ulricus Archidiaconus, Goverrelus, Albertus Eberſtain, Siboto Ulricus de Schonlit- ten, Perchtoldus de Pongarten, Rugerus de Jonſtorff, Gozelmus Canonici. Pilgri- nus proviſor pauperum in S. Egidio, Rugerus Cuſtos poſterior, Alrammus & Alber- tus frater ejus de Halſe, Hademarus de Weſen, Leutoldus de Saverſtetten, Walthe- rus Dapifer & Pilgrinus frater ejus, Otho de Morſpach, Otho de Poſſenmuſter, Or- tholfus de Waldeck & frater ejus Henricus, Henricus de Winſperg, & frater ejus Wernherus & alii quam plures tam Clerici quam laici. Actum Patav. An- no Domini M. CC. XXVII. in Feſto XI. millium Virginum. Datum per manum Fri- derici Notarii.

Henricus Dei gratia Comes Palatinus Rheni Dux Baviariæ fidelibus ſuis dilectis vi- cedominis, iudicibus, preconibus, cunctisque ſuis officialibus gratiam ſuam & omne bonum. Veniens ad noſtram præſentiam honorabilis vir Præpoſitus S. Nicolai apud Patav. noſter ſpecialis Capellanus quæreloſe nobis propoſuit, quod quidam præ- diorum ſuorum poſſeſſores pro eo, qui longam in eis feciſſent reſidentiam ipſum im- pediant, ne eadem prædia ſua per colonos inſtituere vel deſtituere valeat, pro ſuo be- neplacito voluntatis aſſerendo ſibi jus hæreditarium ex longinquitate temporis com- petere in iisdem hæreditariis in quadam curia Eccleſiæ in Joch ſita ſibi vindicare vo- luit. Sed facta apud nos appellacione intentum ſuum minime potuit obtinere. Cum igitur fundatoris ejuſdem Monafterii primarium privilegium oculatim vidimus, in quo lucide continetur, quod idem fundator omnia prædia, per quæ ipſam dotavit, Eccle- ſiam ita libere contulit, quod nulli hominum ſpeciale jus competat in eiſdem, niſi for- te quiſquam ſucceſſu temporis prece vel pretio conquiſierit, recepto ſuper hoc ſuarum teſtimonio literarum volumus, & ſub obtentu noſtræ gratiæ præcipimus & mandamus, quatenus ejuſdem Monafterio ſuiſque procuratoribus in hoc ſtudioſi cooperatores ve- litis exiſtere, ut ſua prædia inſtituant & deſtituant, prout viderint Eccleſiæ ſuæ potif- ſimum expedire, niſi forte quiſpiam ſui juris veritatem poſſit privilegio demonſtrare. Alioquin omnibus contra eos pro iuribus ſingularibus litem moventibus ſilentium im- ponatis, ut ipſi eum quæ aufert ſpiritum Principum tranquillo & quieto animo va- leant pro noſtri ſtatus valetudine exorare. Datum Lantzhute, anno Domini MCCLXXXVIII. in die S. Georgii Martyris.

Nos Otto Dei gratia Palat. Comes Rheni Dux Baviariæ præſentibus profiteſtur, quod cum Eccleſia ſancti Nicolai de Patav. ſub diverſis Capitaneis noſtris in Sharding, & maxime his diebus, quibus obſidio Caſtri in Neuburga duravit, tam in ſuis homini- bus quam poſſeſſionibus atque bonis gravia damna pertulerit & preſſuras. Nos in recompensationem eorundem gravaminum & damnorum & præcipue ſalutari reme- dio quondam Cariffimorum patris & matris noſtræ, ac aliorum progenitorum noſtro- rum divæ recordationis quorum ſaltem in hoc pietatis caſu confidimus operari, ejuſ- dem Eccleſiæ Præpoſito & Conventui de Cariffimorum fratrum noſtrorum Ludovici & Stephani expreſſo beneplacito atque voto hanc fecimus gratiam ſpecielem quod

duo talenta falis majoris ligaminis & sex minoris deducere valeant singulis annis perpetuo tam in Burchusa quam in Scherding sine exactione cujuslibet thelonei sive mutæ. Ipsi etiam Præpositus & Conventus pro se & successoribus nobis ad recognitionem gratiæ prænotatæ fideliter promiserunt, quod præscriptorum parentum & progenitorum nostrorum anniversarium quolibet anno semel cum debitis solemnitatibus celebrabunt. In cujus rei perpetuam memoriam præsens instrumentum eisdem dedimus majoris sigilli nostri robore communitum. Datum & actum in obsidione Castri Neuburg, in Conversione B. Pauli M. CC. LXXXIII.

Nos Otto & Stephanus Dei gratia Comites Palatini Rheni Duces Bavariæ, tenore præsentium profiteamur. Quod cum Ecclesia S. Nicolai de Patavia sub diversis Capitaneis nostris in Scherding, & maxime diebus illis, quibus obsidio castri in Neuburga duravit, tam in suis hominibus quam possessoribus atque bonis gravia damna protulerint & pressuras Nos in recompensam eorundem gravaminum & damnorum, & præcipue pro salutari remedio quondam Carissimorum patris, matris, fratrum, & aliorum progenitorum nostrorum inclitæ recordationis, quorum salutem in hoc pietatis casu confidimus operari, ejusdem Ecclesiæ Præposito, & Conventui hanc fecimus gratiam specialem quod tria talenta falis majoris ligaminis & novem minoris deducere valeant annis singulis tam in Burchusa quam in Scherdinga sine exactione cujuslibet thelonei sive mutæ. Quod si forte aliquando prædicti Præpositus & Conventus per se ipsos propter inopiam eorum hujusmodi sales non posset deducere propriis suis sumptibus & expensis ex tunc liceat eis auctoritate præsentis instrumenti eisdem annis aliis personis concessam sibi vendere hujusmodi libertatem. Ipsi etiam Præpositus & Conventus pro se suisque successoribus vice versa ad recognitionem prænominatæ gratiæ fideliter promiserunt, quod præscriptorum parentum, fratrum suorum, & progenitorum nostrorum quolibet anno semel cum debitis solemnitatibus celebrabunt anniversarium in spiritu humilitatis devoto animo & contrito. Et ut prædictus Conventus parentibus, fratribus, sororibus, & aliis nostris progenitoribus prælibatis pietatis opera & amoris, eo libentius & devotius impendant & participes nos faciant omnium orationum & bonorum, quæ in ipso Conventu facere dignabitur clementia Salvatoris. Volumus ut proventus salium ex hujusmodi nostra devotione seu libertate sive per se ipsos duxerint, aut modo quo supra promissimus aliis personis quandoque vendiderint, non nisi ad officium lumen ipsorum Canonicorum regularium annuatim specialiter & irrevocabiliter spectant duntaxat pro Cappis de Bruneto, ipsis Canonicis ex dictis proventibus comparandis. In cujus rei testimonium & robur perpetuum præsens instrumentum eis dedimus nostrorum sigillorum robore communitum. Datum & actum apud Straubing, anno Domini M. CC. LXXXVI. in die B. Joannis Baptistæ.

Otto & Stephanus Dei gratia Comites Pal. Rheni Duces Bavar. Mutariis, Jud. ac cæteris suis officialibus gratiam suam. Inherentes vestigiis progenitorum nostrorum videlicet Illustrissimi Othonis avi nostri Carissimi inclitæ recordationis gratias per privilegia ab ipsis fratribus Ecclesiæ sancti Nicolai apud Patav. donata, super quibusdam libertatibus vidimus diligenter & ipsorum precibus inclinati pro nostra eorundem progenitorum nostrorum salute innovanda duximus, ac etiam declaranda volumus, itaque ut prædicti fratres omnia sua victualia quibus indiguerint, sive per aquas sive terras, sicut & quando sibi viderint, commodius expedire, libere deducant sine exactione cujuslibet thelonei sive mutæ. Et quia dicti nostri progenitores memoratis fratribus sal pro coquina ipsorum in genere tantum suis privilegiis indulserunt. Nos sub ejusdem tenoris gratia sexaginta cuppas falis majoris ligaminis pro domo ipsorum, quod vulgariè Müzsalz dicitur specificantes semel tantum in anno ipsis deducere libere indulgemus. Prohibemus insuper sub obtentu gratiæ nostræ, ne in prædictis victualibus sive salibus occasione alicujus actionis, impetitionis, seu pignorationibus aliquis vel aliqui cujuscunque status aut conditionis existant, ipsos fratres audeant aliquo modo perturbare. Præsertim cum prædictos fratres & ecclesiam peculiari gratia complectendo in nostram protectionem recepimus & tutelam. In cujus rei testimonium præsentis literas ipsis dedimus sigillorum nostrorum robore confirmatas. Actum & datum in Scherding, Anno Domini Millesimo Ducentesimo secundo, in beati Georgii.

Nos Henricus, Otto, & Henricus Dei gratia Palat. Comites Rheni Duces Bavariæ, præsentibus publice profiteamur. Quod litteras avi nostri Carissimi Domini Henrici quondam Palat. Comitum Rheni Ducis Bavariæ, recordationis inclitæ salvas vidimus

mus & integras per omnia in hæc verba. Henricus Dei gratia Palatinus Comes Rhe-
ni, Dux Bavariæ, fidelibus suis dilectis Vicedominis, Judicibus, Præconibus, cunctis-
que suis officialibus gratiam suam & omne bonum. Veniens ad nostram præsentiam
honorabilis vir Præpositus sancti Nicolai apud Patav. noster specialis Capellanus, que-
relöse nobis proposuit, quod quidam prædiorum suorum possessores, pro eo quod lon-
gam in eis fecissent residentiam ipsum impediunt, ne eadem prædia sua per colonos
instituire vel destituere valeat pro suo beneplacito voluntatis asserendo sibi jus hære-
ditarium ex longinquitate temporis competere in eisdem. Cujus utique quæstionis
Siboto Lotharius principalis causa extitit, qui jus hæreditarium in quadam curia Ec-
clesiæ in Loth sita sibi vindicare voluit, sed facta ad nos appellatione intentum suum
minime potuit obtinere. Cum igitur fundatoris ejusdem Monasterii primarium pri-
vilegium viderimus, in quo lucide continetur, quod nulli hominum speciale jus com-
petat in eisdem, nisi forte quisquam successu temporis prece vel pretio conquirit re-
cepto super hoc suarum testimonio litterarum, volumus & sub obtentu nostræ gratiæ
præcipimus & mandamus, quatenus eidem Monasterio suisque procuratoribus in hoc
studiosi cooperatores velitis existere, ut sua prædia instituant & destituant, prout vi-
derint Ecclesiæ suæ potissimum expedire, nisi forte quisquam sui juris veritatem possit
privilegio demonstrare. Alioquin omnibus contra eos pro juribus litem moventibus
silentium imponatis, ut ipsi eum qui aufert spiritum principum, tranquillo & quieto
animo valeant pro nostri status valetudine exorare. Datum Lantshutæ, Anno Domi-
ni M. CC. LXXXVIII. in die S. Georgii martyris. Nos vero prædicti avi nostri
vestigiis inhærere volentes prædictam gratiam Præposito & Conventui sancti Nicolai
prope Patav. concessam confirmamus & innovamus. Mandantes Vicedominis, Ju-
dicibus, Præconibus, cunctisque nostris officialibus ut omnia superscripta ipsis incon-
vulsa servent sub obtentu nostræ gratiæ atque rata. Datum Lantshut Milleesimo Tre-
centesimo vigesimo secundo in octava Epiphaniæ Domini.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Otacharus, qui & Premizl Dei gra-
tia Dominus regni Bohemiæ, Dux Austriae & Marchio Moraviæ, Universis hanc pa-
ginam inspecturis in perpetuum. Excellentia sublimitatis desuper nobis collatæ re-
quirit, ut ea quæ ad usum & profectum Ecclesiarum conducunt & expediunt, studea-
mus attentius promovere. Multitudinem ergo commissorum nobis sincera mentis
intentione perpendentes, & digna revolventes percuntatione peccatorum nostrorum
vulneribus salubris medicaminis tantum adhibere pium statuimus, pro remedio vide-
licet piæ recordationis Serenissimi Domini Patris nostri Regis Bohemiæ Wenceslai &
antecessorum nostrorum Illustrium Ducum Austriae nostræque salutis intuitu fratribus
in domo sancti Nicolai Pat. Deo inibi militantibus ad venerationem reliquiarum ibi-
dem reconditarum plenissimam libertatem per terras nostras tam in aquis quam in
terris, omnium rerum suarum mobilium, transitum omnium vectigalium exactione in-
hibita contulimus & remota violentia etiam ut victualia ejusdem Ecclesiæ non debe-
ant occasione alicujus quærimoniæ ab aliquo detineri. Ut autem liberalitatis nostræ
& libertatis donatio rata perpetuo perseveret, præsentem paginam sigillorum nostro-
rum munimine, & subscriptione testium mandavimus roborari. Sunt autem nomina
testium hæc: Otho Comes de Hardeck, Albertus de Chunring, Wocho de Hinperch,
Ronsenperch, Henricus Pinzerna de Habspach, Conradus de Hinprecht, Conradus de
Zaekking, Albertus de Zaekking, Leopoldus Præpositus Ardacensis, Guilielmus
Notarius, Gothschalchus Can. Pat. Archidiaconus Austriae, & alii quam plures.
Actum & Datum apud Chrembsam, Anno Domini M. CC. quinquagesimo V. XV.
Calend. Aprilis.

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Marchio Leupoldus & A-
gnes uxor sua cum consensu & manu filiorum suorum tradiderunt fratribus San-
cti Nicolai Pataviens. II. vineas Ibsepurch cum mancipiis ad eas pertinentibus. Insu-
per aliud prædium Schwarzach eisdem fratribus tradidit, & ipse præsens ibidem ejus-
dem prædii terminum posuit in concambium pro commutatione nonæ partis fructuum
quos Persenberg prædictus prius dederat, resignavit etiam duas partes decimationis
ejusdem prædii Episcopo Reginmaro, quas idem Episcopus rogante Leupoldo Mar-
chione fratribus in perpetuum dedit bannoque confirmavit. In hac etiam confirma-
tione memoriæ commendandum & ipsam Marchionem Leupoldum cum Agnete uxore
sua Bibliothecam in tribus voluminibus & missale in eisdem fratribus accepisse ea
conditione, ut annuatim libere navis eorum absque censu de partibus orientis transi-
ret, & ut possessio eorundem fratrum in eisdem finibus nulli Marchioni juri subja-
ceret, & loco qui dicitur Neunburch, quem Domino nostro Jesu Christo & suæ sanctis-
simæ

simæ genitrici Mariæ præscripsit tradidisse. Hujus rei testes sunt per aures tracti: Dietricus Comes & Advocatus ejusdem Ecclesiæ. Cunradus Comes de Billstein, Wolfherus de Tegenbach, Albertus de Stainhaim, Wernherus de Geppenheim, Wolfkanch de Mutheim, Dieprant de Chustelwanch anno ab incarnatione Domini M. C. XXVI. sub Imperatore Lothario & PP. Innocentio, Episcopo Regimaro, Adelberto Præposito.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Leupoldus Dei gratia Dux Austriæ ac Styriæ, universis Christi fidelibus salutem in perpetuum. Excellentia sublimitatis desuper nobis collatæ ut ea ad usum & profectum Ecclesiarum conducunt & expediunt attentius promovere studeamus, deprecere videtur. Huic enim consonat & applaudit quod dicitur: Ab eo plus exigitur, cui plus committitur. Multitudinem ergo commissorum nobis sincera mentis intentione, diligenti consideratione perpendentes, & divina revolventes percunctatione peccatorum nostrorum vulneribus cujusdam medicaminis cauterium adhibere pium statuimus. Pro remedio enim animarum, videlicet piæ recordationis patris nostri Ducis Leupoldi, fratrisque nostri Ducis Friderici nostræque salutis intuitu fratribus in domo sancti Nicolai Pat. Deo inibi militantibus ob venerationem reliquiarum ibidem reconditarum libertatem per terras nostras omnium rerum suarum mobilium transitus omnium vectigalium exactione semota contulimus. Ut autem hæc liberalitatis nostræ donatio rata & inconvulsa permaneat, præsentis pagina, sigillique nostri caractere ac testium annotatione, quorum subscripta sunt nomina, roboravimus. D. Dietricus Præpositus in Neunburch, D. Sigehardus Præpositus in Domo S. Ypoliti, D. Wichardus Præpositus in Ranshoven, Dominus Pertoldus Præpositus in Vorawe, D. Wisinto Præpositus in domo S. Georgii, Dominus Syfridus plebanus in Helaerprunn, de ordine liberorum. Ulricus de Pernecke, dominus Wachimus de Waessenburch, de ordine Ministerialium, Wichardus Dapifer & filius ejus Catoldus, Dietmarus, & Chaernerprunn, Rudolphus de Potendorf, Henricus de Tumbenaue, Gotfridus Camerarius, Adoldus Dapifer. Datum per manus Danielis Notarii apud Neuenburch, anno incarnationis Millesimo Ducentesimo III. Indictione VI. VII. Idus Aprilis.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus Dei gratia Dux Austriæ & Styriæ & Dominus Carn. universis Christi fidelibus salutem in perpetuum. Excellentia sublimitatis desuper nobis collatæ requirit, ut ea quæ ad usum & profectum Ecclesiarum conducunt & expediunt, studeamus attentius promovere. Multitudinem ergo commissorum nobis sincera mentis intentione, diligenti consideratione perpendentes & digna revolventes percunctatione peccatorum nostrorum vulneribus salubris medicaminis cauterium adhibere pium statuimus. Pro remedio enim videlicet piæ recordationis patris nostri Ducis Leupoldi & aliorum antecessorum nostrorum nostræque salutis intuitu, fratribus in domo S. Nicolai Pat. Deo inibi militantibus ob venerationem reliquiarum ibidem reconditarum, libertatem per terras nostras tam in aquis quam in terris, omnium rerum suarum mobilium transitus omnium vectigalium exactione inhibita contulimus & remota. Volentes etiam ut victualia ejusdem Ecclesiæ non debeant occasione alicujus quærimoniæ ab aliquo detineri. Ut autem hæc liberalitatis nostra donatio rata & inconvulsa perseveret, præsentis pagina sigillique nostri caractere, ac testium annotatione quorum subscripta sunt nomina, fecimus roborari. Sunt autem hi testes: Dominus noster Episcopus Pat. Riedegerus, Dietmarus Abbas de Raitenhaslach, Ulricus Salzburgerensis cellerarius Magister, Leupoldus plebanus Wienensis, Leupoldus plebanus de Haunpurch, Magister Ulricus plebanus de Turnperck, Henricus plebanus de Lochirchen, Otto Notarius, Nertwicus plebanus de Strubing, Henricus de Merswanch, Chunr. Marschalchus, Chunr. de Schowinge, & alii quam plures. Dat. apud Medlicum castrum an. ab incarnatione Domini Millesimo Ducentesimo XL. Indictione XIII. VIII. Calend. Octobris.

Albertus Dei gratia Dux Austriæ & Styriæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, & portus Naonis, omnibus ad quos præsentem pervenerint in perpetuum. Veniens ad præsentiam nostram venerabilis Chunradus Præpositus Ecclesiæ S. Nicolai in Patavia, quoddam privilegium per Illustrem quondam Fridericum Ducem Austriæ & Styriæ prædecessorem nostrum recordationis inclitæ, ecclesiæ suæ prædictæ, nec non fratribus Domino famulantibus in eadem traditum & concessum nobis exhibuit, petens humiliter & devote ipsum sibi & Ecclesiæ suæ renovari & confirmari de nostra gratia speciali: cujus quidem privilegii tenor per omnia talis est. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Fridericus Dei gratia Dux Austriæ & Styriæ, & Dominus Carn. universis

verfis Christi fidelibus salutem in perpetuum, ut supra. Nos itaque memorati Præpositi, quem una cum Ecclesia & Conventu suo favore speciali prosequimur, benigne precibus inclinati, prædictum privilegium ipsis concedendum duximus & per singula innovamus præsentis scripti patrocinio confirmantes. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc nostræ concessionis & confirmationis infringere paginam vel eidem ausu temerario contraire. Quod si secus attemptare præsumpserit, indignationem nostram se noverit incurrisse. In cujus rei testimonium præsentibus conscribi & sigilli nostri robore fecimus communiri. Datum Wienn. anno ab incarnatione Domini M. CC. nonagesimo tertio, octavo Calend. Octobris.

Nos Rudolfus quartus Dei gratia Archidux Austriae, Styriae, & Carinthiae, Dominus Carniolae, Marchiae, & portus Naonis, Comes in Habsburg, Ferretis & in Kyburch, Marchio Purgowiae, nec non Landgrafus Alfatiae; Notum facimus tenore præsentium universis; quod constitutus in nostra præsentia venerabilis & religiosus vir Fridericus Præpositus Ecclesiae sancti Nicolai Pat. ordinis Canonorum regularium devotus noster dilectus quoddam innovationis & confirmationis privilegium eidem Ecclesiae suae per divae recordationis Dominum & avum nostrum Carissimum quondam Albertum Regem Romanorum pro tunc in statu ducali existentem traditum & concessum nobis exhibuit supplicans humiliter & devote quatenus idem privilegium sibi & præfatæ suae Ecclesiae ac Canonicis ibidem Deo militantibus etiam innovare, ratificare & confirmare de speciali gratia curarem. Dicti vero privilegii tenor sequitur per omnia sub hac forma; Albertus Dei gratia Dux Austriae & Styriae, Dominus Carniolae, Marchiae & portus Naonis. Omnibus ad quos præsentibus pervenerint in perpetuum. Veniens ad præsentiam nostram venerabilis Chunr. Præpositus Ecclesiae sancti Nicolai in Patavia quoddam privilegium per Illustrem quondam Fridericum Ducem Austriae & Styriae prædecessorem nostrum recordationis inclitæ Ecclesiae suae prædictæ, nec non fratribus Domino famulantibus in eadem traditum & concessum nobis exhibuit petens humiliter & devote ipsum sibi & Ecclesiae suae renovari & confirmari de nostra gratia speciali, cujus quidem privilegii tenor per omnia talis est.

In nomine sanctæ & individuae Trinitatis, Fridericus Dei gratia Dux Austriae & Styriae, & Dominus Carniolae. Universis Christi fidelibus salutem in perpetuum. Excellentia sublimitatis desuper nobis collatae requirit, ut ea, quæ ad usum & proventum Ecclesiarum conducunt & expediunt studeamus attentius promovere. Multitudinem ergo commissorum nobis sincera mentis intentione diligenti consideratione perpendentes & digna revolventes percunctatione peccatorum nostrorum vulneribus salubris medicaminis cauterium adhibere: pium statuimus: pro remedio enim videlicet piæ recordationis patris nostri Ducis Leupoldi, & aliorum antecessorum nostrorum, nostræque salutis intuitu fratribus in domo S. Nicolai Pat. Deo inibi militantibus ob venerationem reliquiarum ibidem reconditarum libertatem per terras nostras tam in aquis quam in terris omnium rerum suarum mobilium transitus omnium vectigalium exactione inhibita & remota. Volentes etiam ut victualia ejusdem Ecclesiae non debeant occasione alicujus quærimonie ab aliquo detineri. Ut autem hæc libertatis nostræ donatio rata & inconvulsa perseveret, præsentibus pagina sigillique nostri caractere ac testium annotatione, quorum subscripta sunt nomina, fecimus roborari. Sunt autem hi Testes: Dominus noster Episcopus Patav. Rudegerus, Dietmarus Abbas de Raitenhaslach, Ulricus Salzburgensis Cellerarius, Magister Leupoldus plebanus Wiennens. Leupoldus plebanus de Haimburch, Magister Ulricus plebanus de Kirchperch, Henricus plebanus de Straubing, Henricus de Merschwanch, Chunr. Marschalcus, Chunr. de Schowing & alii quam plures. Data apud Medlicum castrum, anno ab incarnatione Domini Millesimo Ducentesimo XL. Indictione XIII. VII. Calend. Octobris. Nos itaque memorati Præpositi, quem una cum Ecclesia & Conventu suo favore speciali prosequimur benigne precibus inclinati prædictum privilegium ipsis concedendum duximus, & per singula innovamus, præsentis scripti patrocinio confirmantes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ concessionis & confirmationis infringere paginam, vel eidem ausu temerario contraire. Quod qui secus attemptare præsumpserit, indignationem nostram gravem se noverit incurrisse. In cujus rei testimonium præsentibus conscribi & sigilli nostri robore fecimus communiri. Datum Wienn. anno ab incarnatione Domini M. CC. XLIII. Kalend. Octobris. Nos igitur memorati Præpositi & Canonorum prælibatæ Ecclesiae commodis & utilitatibus favorabiliter intendentes, prædictum privilegium & quoslibet articulos & gratias in eo contentos & contentas, prout superius exprimitur, innovamus, ratificamus, & præsentis scripti patrocinio liberaliter confirmamus, volentes ac omnibus Baronibus, Ca-

pitaneis, Castellanis, Judicibus, Mutariis, cæterisque officiatis, & quibuscunque aliis nostris subditis firmiter sub obtentu nostræ gratiæ committentes, ne ipsi Præpositum & Canonicos Ecclesiæ antedictæ contra privilegium prædictum & in eo contenta impediant vel molestant. Testes hujus rei sunt honorabiles Albertus Tumpræpositus Patav. Henricus Præpositus plagæ sanctæ Mariæ, ordinis Præmonstratens. spectabiles viri Otho & Rudolphus de Ortenburch, Ulricus & Henricus de Schanberch Comites avunculi nostri dilecti, & fideles nostri dilecti Eberhardus de Walse, de Linza, Eberhardus de Capella, Joh. de Traun, Capitaneus noster super Anasum, Otho de Zelking, de Schöneckhe, Henricus de Rappach noster Magister Curia & quam plures alii fide digni. Datum & actum Pat. penultima die Julii anno Domini M. CCC. XLII. ætatis nostræ XXIII. regiminis vero anno V.

Sicut sacra testatur a summo Pontifice videlicet a Jesu Christo sua relaxari debita, qui suas relaxat Ecclesias ab onere minus debitæ servitutis & vectigalium exactiōne. Cognoscant igitur tam præsentis Christi fideles quam posteris, quod nos Albertus Dei gratia dictus de Pogen recognoscentes quoniam possessiones & homines Ecclesiæ sancti Nicolai Pat. tam per nos quam per nostros homines multoties sunt gravati, in signum alicujus satisfactionis super damnis illatis liberaliter contulimus fratribus ipsius Ecclesiæ liberum tum per terram, tum per aquam in districtu nostro omnium victualium suorum & rerum mobilium transitum ipsis mutas & vectigalia nobis & nostris successoribus inde debita omnimodis & perpetuo relaxando, & Dominus Deus obinde debita nostra nobis dignetur misericorditer relaxare, & ut Conventus præfata Ecclesiæ ad nos nostrosque progenitores in suis orationibus libentius habeat commendatos. Si quis vero hanc donationem per nos liberaliter factam infringere præsumperit cum Satan & Abgron si non respuerit perpetuo condemnetur. Ut autem talis collatio sive remissio in remissionem peccatorum nostrorum, & ob remedium parentum nostrorum facta & inconversa in futura tempora perseveret, hanc chartam inde conscribi & sigillo nostro fecimus roborari adjunctis nominibus testium, qui aderant tunc præsentis. Testes Henricus de Hortenberch, Rapoto Comes Palatinus Bavaricæ, Henricus de Paungarten, Chunr. de Lupurak, Alramus de Hals, viri nobiles, Henricus de Phölinger & filius ejus Henricus, Chunr. de Nutzperch, Ulricus de Leubolting, Ebo *Aus dem Moss* Senior, Henricus de Töringe, Waltherus de Chraiburch, Wernherus Pinzerna, Richardus de Rotawe, Otto de Sturispach, Hermannus de Hirzorn, & alii quam plures. Datum apud Straubing, anno Domini Millesimo Ducentesimo XXXVII.

In nomine Domini Amen. Henricus Dei gratia Comes de Ortenberch, Senior, omnibus hanc litteram inspecturis Salutem in perpetuum. Cum labilis sit memoria hominum & cuncta transitoria sint & caduca; idcirco gesta præsentia in scripto memoriæ transmittimus posterorum. Cunctis igitur tenore præsentium fieri volumus manifestum, quod nos attendentes, quam bonum & salubre sit viris spiritualibus & Ecclesiis subvenire, Advocatiam in bonis Alburch, quam pro XII. talen. Rarispon. Hermannus civi Strubing. obligavimus, & eandem Ecclesiæ sancti Nicolai dimisimus exsolvendam & uxorem Dietmari dicti Stropalch nec non pueros ejus cum omni progenie eorum ob salutem animæ, nec non in remissionem peccatorum nostrorum Ecclesiæ contulimus memoratæ volentes ne quis successorum aut hæredum nostrorum ipsam Ecclesiam in hac nostra donatione debeat impedire, aut aliquatenus molestare. In cuius rei testimonium præsentem litteram sigilli nostri munimine fecimus communiti. Testes Berbotus Præpositus, Chunr. Decanus, Herrandus Cellerarius, Hilbrandus Coquinarius. Item Wernhardus de Rotawe, Otho de Sturispach, Calhohus Marschalchus, Rimbotus Notarius ejusdem Com. item Fridericus, Heinricus, Chreno, Perchtoldus, Strauhaerius de familia ejusdem Ecclesiæ & alii quam plures. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. XXXV.

Nos Heinricus Dei gratia Comes de Ortenberch, per præsens scriptum notum fieri volumus universis hanc paginam inspecturis, quod pro remedio animæ nostræ & antecessorum nostrorum, nec non pro recompensatione damnorum Conventui sancti Nicolai Pat. per nos sæpius illatorum, molendinum, quod Chumphmül dicitur, & duo beneficia Heldungsparg & Weintobel una cum jure Advocatiæ liberaliter contulimus fratribus Ecclesiæ memoratæ, sperantes hæc & alia quæ in extremo testamento nostro fecimus salutis nostræ feliciter expedire. Ne igitur aliquis hæredum, vel successorum nostrorum hanc nostram donationem valeat irritare, sed ut ipsam sine omni utilitate prædicto Conventui potius studeant defendere præsentem paginam sigillo nostro robo-

ratam

ratam eis fecimus assignari. Testes sunt hi: Chunrad. Comes de Wasserburch, Henricus liber de Paungarten, Wernhardus de Rotawe, Otto de Sturspach, Chalhohus Marschalchus, Wernhardus miles de Harbach, Henricus miles dictus Unhe, Henricus de Rittershaim, Ulfchalchus de Mantel, Chunradus de Rotenbach, Ulricus Cellerarius, Gebhardus Cocus, Henricus Holzhaimer, Chunr. Hornler, Chunr. Wuderis, & alii quam plures.

Henricus Dei gratia Comes de Ortenberch, præscriptum præfens notum fieri volumus universis. Quod nos potestatem dedimus Domino Gerbotoni venerabili sancti Nicolai Patav. Præposito, redimendi Advocatiam nostram apud Alburch in bonis eidem Ecclesiæ sancti Nicolai ab hæredibus Hermanni felicitis memoriæ civis quondam de Straubing cui nos ad huc viventi per XII. lib. Ratispon. obligaveramus eandem tali pacto, ut Ecclesia prædicta ipsam Advocatiam cum omni jure & usu sua tamdiu teneat & possideat, quousque ipsi Ecclesiæ super summa præscripta vel a nobis, vel a nostris hæredibus fuit integraliter satisfactum. Promisimus autem Domino nostro Domino Rudigero Reverendo Patavienf. Episcopo Ecclesiæ fide data in manus ipsius quod nunquam Ecclesiam præfatam Advocatiæ ipsius prætextu gravare debeamus, aut in ipsa nobis jus aliquod vendicare quamdiu summa præscripta non fuerit eidem Ecclesiæ persoluta. Ut autem nulli hæredum nostrorum vel alii cuiquam hujus nostræ constitutionis factum immutare vel infringere liceat, sed ratum & inconvulsam habeant sigilla & Domini nostri Pat. Episcopi & nostrum præfenti scripto duximus appendenda & subscriptorum virorum idem decrevimus testimonio roborandum. Testes Meinogotus de Waldeck, Ulricus de Maening Canonici Pat. Gebolfus Otho Notarius, Otto de Jonstorf, Capellani Domini Episcopi, Ulricus de Siboto de Jonstorf fratres, Waltherus & Pilgrinus de Tanneberch fratres, Chunr. Sezaer, Fridericus Murel, Engelchalchus Forestarius. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis M. CC. XL. Data apud Straubing per manum Reimbotonis Notarii, VII. Idus Aprilis, in Curia solempni quam ibidem Dominus Otto Dux Baviaræ celebravit.

Henricus Dei gratia Comes de Ortenburch, universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis, salutem in Domino Jesu Christo. Universitatem vestram scire cupimus, quod nos pro remedio animæ patris nostri H. piæ memoriæ, ac pro salute nostra, nec non pro carrada vini, pratum quod habuimus apud Rumping libere contulimus Ecclesiæ S. Nicolai Patav. Volentes igitur ne aliquis hominum hanc nostram donationem valeat postmodum irritare, præsentem paginam sigillo nostro insignitam in robur facti prædicti fratribus fecimus assignari. Testes, qui huic facto intererant, hic notantur. Henricus de Paungarten, Wernherus Pincerna de Aucenchirchen, Ebo de Türdling, Otho de Sturzebach, Wernhardus de Harbach. Chalhohus Marschalchus, Ulricus Cellerarius, Rapoto de Ezzenpach, Henricus de Holzheim, Magister Bernhardus, Ulricus & Perchtoldus fratres de Lainchart & alii quam plures. Datum in Castro Ortenberch, anno Domini M. CC. XLI. XV. Calend. Maji.

Henricus Comes de Ortenberch junior, universis præsentem litteram inspecturis, salutem in vero salutari. Notum facio universis tam præsentibus quam futuris, quod ego recognoscens fidei merita & devota obsequia, quæ mihi & patri meo Henrico claræ memoriæ Domini & fratres de domo S. Nicolai in Patavia hæcenus exhibuerunt & exhibent incessanter, Advocatiam in Alburg, quam pater meus pro XII. talent. Ratisponens. Hermannovi civi Straubingen obligavit, & eandem Ecclesiæ Sancti Nicolai in remedium animæ suæ dimiserit hæc solvendam, & uxorem Dietmari dicti Stropalch, nec non pueros ejus, cum omni parentela eorum Ecclesiæ & Conventui beati confess. Sancti Nicolai, non solum hæc imo omnia alia quæ honorem dictæ Ecclesiæ, & laudem divini nominis poterunt augmentare. Volens totis viribus promoveri, & sicut ea pater meus sæpeditæ Ecclesiæ suis litteris tradidit & confirmavit, sic & ego eadem ipsi meis scriptis offero & confirmo. Et ut præscripta robur perpetuæ teneant firmitatis, præsentem paginam feci sigilli mei caractere communiri. Testes Gerboto Præpositus, Chunr. Decanus, Henricus Cellerarius, Hilbrandus Coquinarius. Item Fridericus, Heinrich, Chreno, Perchtoldus, Stroherius de familia ejusdem Ecclesiæ. Item Fridericus Notarius, Henricus Franco servi Comes & alii quam plures. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LIII.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Nos Heinrich & Wernhardus fratres Germani dicti de Schauwnberch, notum facimus universis hanc paginam inspicientibus & intelligentibus, quod cum nos bellorum & guerrarum discrimina quondam

Tom. V. Cann. Reg. Origines. N a gravi-

graviter urgerent, & ob hoc necessitate haberemus Castrum nostrum in Schawnberch & alia victualibus præmunire navium Ecclesiæ sancti Nicolai Patav. annona, vino, & carnibus plenam detinuimus apud Aschach & dicta victualia in Castrum nostrum Schawnberch fecimus deportari. Verum cum damna Ecclesiæ memoratæ per nos sic illata fideliter promissimus resarcire, ad placandam omnipotentis Dei & S. Nicolai indignationem, quam ob hoc incurreremus, de liberis possessionibus nostris liberaliter dedimus S. Nicolao & suæ Ecclesiæ Patav. mansum & dimidium apud villam Prenzing positum, cum omnibus ejus attinentibus omni jure, utilitate & libertate, qua nos eadem possederamus, quorum reditus tam a nostris hominibus per nos ad hoc deputatis quam vicinis providis & honestis æstimati fuerunt annuatim valere duo talenta præter XV. denar. in quibus nos teneri adhuc eidem Ecclesiæ confitemur. Præsertim cum inter nos & Conventum antedicti Monasterii super damnis præmissis compositio facta fuerit, quod assignaremus eidem duorum annuos reditus talentorum. Ut autem talis compositio & satisfactio rata & inconvulsa permaneat, hanc cartam inde scribi & nostris sigillis cum adnotatione testium fecimus communiri. Testes autem, qui huic facta interfuerunt, hi sunt: Gregorius Præpositus de Suben, Henricus de Maënse & Henricus de Swenie ibidem Canonici. Gerboto Cellerarius S. Nicolai, Karulus plebanus in Hartkirchen, Pilgrimus de Inzingen, Wernhardus miles de Schomberch, Pabo Judex de Julpach, Chunradus, Henricus, Pugramus, Henricus miles S. Nicolai, Sigelhofus de Ortenberch, Wint de Hage, Wintherus Preco, Hadmarus de Hartkirchen, Dietmarus de Prenzingen, Perchtoldus, Ulricus de Vorenpach, Rudegerus, Gotshalcus, Villicus de Pinzheim, Reinhardus de inferiori Vntling, Albelinus de Mutach, Fridericus de sancto Nicolao, & alii quam plures. Actum an. Domini M. CC. XXXV. XIV. Calend. Septembris, die Dominico in foro nostro Hartkirchen posito contra Suben apud Enum.

Nos Henricus & Bernhardus fratres de Schawnberch, notum facimus omnibus præsens scriptum intuentibus, quod nos libertatem, quam Ecclesia S. Nicolai Pat. super transvectione victualium suorum circa Ascha hætenus habuit, pro nostra & antecessorum nostrorum salute ipsi Ecclesiæ salvam conservare semper volumus & tueri. Quia vero in locis vectigalium solent fieri multoties exactiones indebitæ, ne ipsa Ecclesia, quam sincere diligimus per nos vel per nostros aliquod incurrat dispendium aut gravamen, decernimus singulatim exprimere, quod ab ipsius Ecclesiæ procuratore sumus quolibet tempore recepturi in Autumpno & in Junio vel alio quocunque tempore, cum navis Ecclesiæ ad Austriam deducitur, procurator ipsius dabit Mutario nostro pro Leza XII. den. & servis suis duos den. & si in ea fuerit aliquid quod ad Ecclesiam non pertineret, unde muta dari debet, de hoc solvetur muta; cum vero reducitur navis ab Austria iterum dabuntur Mutario nostro pro Leza XII. den. & servis suis duo den. item cum victualia sub ab Alnchoven deducere voluerint, modium tritici Mutario nostro solvent, & si aliquem struem lignorum pro domibus suis constituendis sive reparandis deducere voluerint, de quolibet remo quatuor den. mutario nostro dabunt, & tali ordine observato nihil amplius nobis vel nostris mutariis solvere tenebitur ecclesia supradicta. Ne igitur aliquis ex nostris mutariis Ecclesiam jam dictam audeat molestare vel amplius quam dictum est exigere, præsentem chartam nostris sigillis roboratam ipsius Ecclesiæ Præposito fecimus exhiberi. Datum in Castro Schawnberch, an. Domini M. CC. LVI. Testes Haerdnidus & frater suus Leutoldus, Chunradus & Ulricus de Noternpach, Eberhardus dictus Schreyer, Chunr. de Furt. Ulricus dictus Schwer, & alii quam plures.

Ne sequantur naturam temporis, quæ geruntur in tempore, perennari solent auctoritate testium & memoria litterarum. Noverint ergo tam præsentis quam futuri temporis universi Christi fideles, quod nobis Wernhardus liber de Horbach Ratisbonens. Ecclesiæ Canonicus pro remedio animæ ac parentum suorum Curiam suam in Engelmarperge cum omnibus attinentiis suis cultis & incultis, quæsitis & quærendis manu propria & potestiva super altare sancti Nicolai juxta Patav. delegavit, ad sustentationem Canonic. regularium Domino Deo servientium ibidem. Hanc siquidem liberam traditionem frater suus Chunradus prædiorum Ecclesiæ sancti Nicolai circa Vilfam positorum advocatus eodem anno ratificavit, renunciando penitus juri suo, quod in eadem Curia cum fratre suo hæreditaria possessione habuit pro salute sua & remedio suorum progenitorum libera delegatione facta & transmissa super altare sancti Nicolai per manum Richeri Sacerdotis & Canonici ejusdem Ecclesiæ tunc Cellerarii, ea tamen interposita conditione, ut si Domino Deo concedente de sancto sepulchro, quo tunc iter arripuit, rediret, dictam curiam commutaret cum prædio in omnibus æqui-

valenti

valenti & commodius posito Canonicis supradictis, eadem libertate & pietate filio suo Chunrado tunc infanti, si eum non redire contingeret reservata. Tali utique remedio per prædictum Chunradum pie provisio, videlicet, ut nec ipse nec aliquis hæredum suorum jure Advocatiæ aliquid servitii, vel cujuscunque exactiois ab eadem Curia præsumat ullatenus extorquere, imo ad salutem eorum, qui eam libera traditione contulerunt, de retributionis intuitu libere defendatur. Acta sunt hæc anno incarnat. Dominicæ M. CC. XVII. indictione V. prius per Wernhardum de Morpach, apud sanctum Nicolaum juxta Pat. Idus Aprilis sub his testibus, Ulrico de Nordirnpach, Engelberto fratre suo, Herberto ibidem de familia sancti Nicolai, Henrico, Walthero, Sybotone, Henrico pistore, Henrico, Chrenone & servis Domini Wernhardi, Henrico & Henrico & alii quam plures. Testes secundæ traditionis per Chunradum de Horbach, V. Idus Julii in Danburck eodem anno factæ, Alramus liber de Hals, Albertus de Leubrantkirchen, Geroldus de Satilarn, Chunr. Fiwier, Erchinger de Aipach, Dietmarus de Ege. Ulricus Rudmül, qui & nuntium sæpeditæ Ecclesiæ misit in corporalem ejusdem prædii possessionem. Meingotus de Alerisperge, Karolus Judex sub Chunrado de Horbach, Sigelhofus de familia Ecclesiæ sancti Nicolai, Chunr. Faber de Pazireichstorff, Eberwinus de Plaedlinger & alii quam plures. Hæc siquidem traditio de bona voluntate Chunradi de Hoibach per Rapotonem tunc Palatinum Baviariæ in solenni placito suo, quod habuit in Chirfforff, pridie Idus Julii publicata fuerit, & hi testes, Palatinus Rapoto Walchimus liber de Roteneck, Alramus de Hals, & frater ejus Albertus, Henricus de Paungarten, Weigandus de Runting, Perchtoldus de Wengen, Ulricus de Lubolfingen, Ulricus Rudmül. Meingotus de Algerisperge & alii quam plures.

Catalogus Præpositorum Monasterii Sancti Nicolai extra Pataviam.

Ludgerus vir sanctitate & doctrina clarus, præfuit an. 17. mens. 3. obiit VI. Id. Jun. anno 1080.

Engelbertus hujus Monasterii professor & antistes vigilantiss. sedit an. 23. dies 6. obiit ipso Festo S. Jacobi Apostoli, an. 1103.

Richerus Professor & ipse hujus Monasterii, multum profuit verbo & exemplo, præf. an. 19. mortuus XV. Cal. Dec. an. 1122.

Udalricus Professor, eligitur in Præpositum Dominica Jubilate, fidelis fuit dispensator, vix. an. 17. ob. VII. Cal. Mart. an. 1139.

Bernardus Professor & Præpositus hujus loci, præf. an. 20. & ob adversam valetudinem resignavit, mor. V. Id. Junii an. 1159.

Meinhardus Professor & Præful hujus Ecclesiæ dignissimus, piam ac laudabilem duxit vitam. an. 8. mens. 2. præfuit, & in multis res monasterii auxit. Obiit XV. Cal. Sept. an. 1167.

Sibotho fidelis hujus loci Antistes & Professor cum an. 9. mens. 4. laudabiliter duxisset, in Domino mortuus est ipso Festo S. Catharinæ. an. 1176.

Albertus & ipse Professor monasterii vir admodum religiosus, & singularis amator fratrum Conventualium, vix. an. 13. dies 7. fidelis fuit Oeconomus, & bona Monasterii plurimum auxit. Mor. XVIII. Calend. Mart. an. 1189.

Engelmarus natione Bavarus, hujus Cœnobii antistes & Professor, vir doctrina & pietate insignis, pie lausit vitam XVI. Cal. April. an. 1205.

Heimo Professor hujus monasterii adhuc puer sacrum institutum Canonic. Regul. S. Augustini accepit, in quo laudabiliter diuturnam duxit vitam; cum vero 7. an. Præpositus fuisset, non sine laude ex hac vita ad cœlestem migravit, Idib. Julii, an. 1212.

Henricus vir nobilis & Canonicus Salisburgenf. XVI. Cal. Julii an. 1212. Præpositus hujus monasterii designatus est, dispensando fidelis; vivendo exemplaris, distribuendo liberalis, & corrigendo sedulus fuit, præf. an. 4. mens. 5. Ob. VI. Cal. Aug. an. 1215.

Conradus, Professor Monasterii, in oratione & religiosorum exercitiis sedulus, in dispensatione fidelis, præfuit an. 3. m. 2. mortuus est prid. Non. Maji, an. 1219.

Bernardus Professus Monasterii, virtutum pastoralium laude & misericordia in pauperes insignis, post multos exantlatos labores moritur Cal. Aug. an. 1223.

Udalricus natione Suevus, Professus Monasterii magnæ autoritatis & vitæ bonæ vir fuit, multaque bona huic Ecclesiæ præstitit; vita functus VIII. Id. April. an. 1229.

Henricus hujus Cœnobii antistes admodum vigilans, vir solidæ doctrinæ & pietatis, cum pastoralis officio an. 12. functus fuisset, diem Ob. prid. IX. Aug. an. 1250.

Gerbotho Professus & Pater hujus Cœnobii, vir religiosus & optimus Oeconomus fuit, maximaque sedulitate & discretione præfuit an. 6. mens. 3. d. 11. obiit vero VIII. Cal. Maji, an. 1256.

Leopoldus natione Francus, Professus hujus monasterii eligitur Præpos. Id. Junii, an. 1256. quo officio an. 7. d. 5. non sine laude functus est; migravit ad alteram vitam Non. Febr. an. 1263.

Conradus monasterii professus, cum sedes an. 11. & d. 15. vacasset, ac monasterium per malam administrationem secularium ære alieno valde oneratum esset, electus præfuit an. 19. mortuus XIV. Cal. Martii an. 1293.

Udalricus monasterii Professus Præpositus fit ipsa Dominica Jubilate an. 1303. & confirmatur: sed podagra & aliis morbis quotidie vexatus, non potuit officio suo præesse, brevi vita functus, nimirum VII. Cal. Maji, an. 1305.

Wolfhardus Eberbein de Wert ex Bavaria, annos 20. præfuit Præful unanimi fratrum voce electus, & confirmatus. Vir fuit solidæ doctrinæ & pietatis, functus munere an. 26. moritur Id. Aug. an. 1331.

Wernherus de Lampolding Professus hujus monasterii, designatur Præpositus XV. Calend. Septembr. an. 1331. eodemque die confirmatur, misericordissimus fuit in pauperes, præsertim in juvenes, qui liberalibus disciplinis dediti fuerunt: vitam cum morte commutavit prid. Cal. Martii, an. 1348.

Fridericus Professus Monasterii electus & confirmatus fuit ipso Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, an. 1348. bona monasterii plurimum auxit: præf. an. 17. d. 9. ob. Idib. Nov. an. 1365.

Otto professus præfuit V. Id. Novembr. an. 1365. vixit an. 17. obiit plenus dierum IV. Id. Januar. an. 1382.

Urbanus & ipse Professus Monasterii designatur Præpositus XV. Cal. Julii, an. 1382. qui in temporalibus & spiritualibus administrandis optime se gessit. Ob. XVIII. Cal. Julii, an. 1388.

Philippus Professus, Præposituræ dignitatem est affecutus III. Non. Martii, an. 1388. Omnes Monasterii parochias reformavit, & in integrum restituit; aliaque multa bona præstitit. Obiit Non. Dec. an. 1389.

Hertwicus Lezenrieder, hujus loci Professus in Præpositum eligitur III. Id. Sept. an. 1389. & præfuit an. 13. Ob. XVI. Cal. Junii, an. 1400.

Martinus ex professo monasterii Præpositus eligitur; vir bonus & religiosus, nec non optimus Oeconomus; vixit an. 20. dies 5. Ob. VII. Cal. Dec. an. 1421.

Carolus professus monasterii VI. Id. Jul. designatur Præpositus, quo officio diligenter fungens an. 3. d. 7. moritur VII. Cal. Dec. an. 1424.

Joannes Strubinger professus. & Præpositus hujus monasterii Sacella S. Spiritus & B. Virginis Mariæ exstruxit, ac bona Cœnobii in multis auxit: mortuus est V. Cal. Aug. an. 1451.

Joannes Wolf Antistes hujus Cœnobii & professus 15. an. d. 4. Ob. VI. Cal. Jan. an. 1466.

Joannes Hächinger professus. hujus Eccles. administravit eam 5. an. d. 8. iterum non confirmatus resignavit V. Id. Martii, an. 1471.

Leonardus Kalauner de Leglfenfeld Austriacus, artium M. & Professus in Tiernstein, postulatus confirmatus in Præpositum hujus Ecclesiæ præfuit an. 10. m. 2. Ob. IV. Id. Febr. an. 1489.

Stephanus Hager de Egkenfeld Bavarus, hujus loci Præful ejusdemque Professus fuit an. 17. d. 24. ob malam vitam & dispensationem depositus, Id. April. an. 1506.

Georgius Mair in hoc loco natus & professus, in Præpositum electus & confirmatus est VI. Cal. April. an. 1506. vixit an. 9. d. 11. Ob. VI. Id. Aug. an. 1515.

Michaël hujus Cœn. Præpositus ejusdemque professus, vir magnæ auctoritatis & præcipuus amator fratrum conventualium, rexit an. 4. vita functus VI. Idib. Aug. an. 1519.

Sigismundus Reilacher, præfuit an. 20. m. 6. Ob. an. 1539.

Valentinus Göttinger hujus Cœnobii professus electus est in Præfulem XI. Cal. Jan. an. 1540. eodemque confirmatus; præfuit an. 7. d. 28. vitam clausit ibid. Febr. an. 1547.

Thomas, professus & Præpositus hujus Ecclesiæ, male vixit & pessime res monasterii administravit: tandemque VI. Cal. April. an. 1560. sex Apostolos argenteos ex templo clam rapiens, in Austriam sæcum absportavit; ubi hæreticus vixit, & infeliciter mortuus est an. 1560.

Matthias Werl hujus Monasterii professus, cum secularis quidam per aliquot annos temporalia magis ad suam quam monasterii utilitatem administrasset, designatus est Præpositus; vixit an. 17. & ob adversam valetudinem resignavit. Ob. XI. Cal. Mart. an. 1569.

Augustinus Arnold Suevus professus in Polling, postulatus est in Præpositum hujus Ecclesiæ; sedulus fuit & diligens in administratione: præfuit an. 13. mens. 2. Ob. VIII. Id. Sept. an. 1577.

Hieremias Kirchmair Bavarus hujus loci Professor & Præpositus, vir religiosus & optimus Oeconomus, rexit an. 8. m. 3. d. 4. Ob. XIV. Cal. April. an. 1585.

Abrahamus Anzengruber Austriacus, hujus Ecclesiæ professus, electus est in Præpositum IX. Cal. Maji, an. 1585. sed post septennium demum confirmatus est, præf. an. 14. m. 8. d. 11. rebus neque suis, nec Monasterii bene consulit, quemadmodum eventus probavit.

Michael Hererius Bavarus, artium Magister & professus in Bâmburg, postulatus est in Præpositum hujus Monasterii; mansit an. 3. m. 7. d. 26. & iterum resignavit anno 1603.

PETENDORFIUM.

Petendorffium antiquatum Ordinis Canonico-Augustiniani Cœnobium inter Ostia Regni & Nubi Narischorum non longe a Civitate Ratisbonensi olim situm. Ludovicus Quartus Imperator dictus Bavarus hoc sanctarum Virginum Monasterium dedicavit ac construxit. Avent. L. 7. Annalium. fol. 790. de quo plura non habeo, inquit Hundius in Metrop. Tom. III. pag. 70. Unius Abbatissa nomen non interiit. Præfuisse enim huic Parthenoni Margaritam a Kœnigsfeld diserte fatetur in Kœnigsfeldiorum Genealogia Gabriel Bucelinus Part. IV. fol. 135.

PETERDALENSE

Seu Præpositura Peterdalensis Ord. Canoniorum Regularium nota illa nobis est ex Miræo de Cann. Reg. Orig. c. 55. fol. 145. sita est in Comitatu Flandriæ. Præpositus unus est ex Statibus Provincialibus, quod nos movet, ut credamus hanc Præposituram adhuc salvam existere. Non pœnituisset laboris in rei veritatem accuratius inquirere, nisi truculenta, quæ vivimus, dissualissent tempora.

PILDENREÛTUM.

Pildenreütum Canonissarum Regularium S. Augustini Cœnobium perelegans, in nemore Noribergensi, ad amplissimos lacus, non procul ab ejusdem potentissimæ urbis latomiis situm: Diœceseos Aystetenensis: sub tutela S. P. Q. Noribergensis: cœpit annum Christi circiter 1340. a quinque piis sororibus, ac Imperatorii Gynecii virginibus Elysabeta Vispeckhina, Adelheide Zolnerina, Christina Venatrice, Khunigunde ab Oddensees, ac Ofanna Oesterreicherina ex Deckendorpho Bavarico oppido nata: quæ collectis aliis etiam octo sororculis, Imperatorem Ludovicum Bavarum, Noribergæ tunc temporis Comitiam habentem, precibus persuaserant, ut sibi in hoc nemore Cœnobiolum construeretur, in quo Dei laudes in bellis ab hoc Imperatore gestis

Tom. V. Cann. Reg. Origines.

o o

omissæ

omiffæ adimplerentur, & ita quod prius in cultu Dei neglectum fuiffet, ibi refarciretur. Imperator monitis puellarum ardore quodam divini cultus flagrantium obtemperans, in die S. Lucæ Evangeliftæ anni Christianorum 1341. e Noriberga in vicinum nemus prodiit, ut Cœnobii futuri locum exploraret, quod cum in vicino pago Churnburgenfi (hodie Kornburgensem vocant) auspicari vellet, cantu quodam miræ dulcedinis inde ad nemus revocatus dicitur, ubi cum magnæ & altæ cuidam quercui, crucis quasi cœlitus oftensæ imaginem iminere vidiffet, equo mox lapsus primus securi arborem eam notavit, & se præfente excindi illam curavit, eumque locum ad construendum Monasterium destinavit: unde nomen etiam inditum est, ut ab imagine crucis, quæ apparuerit in illa nemoris parte, quæ ad construendam domum pietatis ac disciplinæ excindenda erat, Bildenreütum diceretur. Prodiert una cum Imperatore præpotens quidam Patritius Noribergensis Conradus Magnus, tunc temporis scultetus, ut vocant, Noricus: is prædium quod in ea ipsa vicinia habebat optimum, præfente Cæsare futuræ Monialium congregationi cum omnibus adjacentibus agris dono dedit, omnibus temporibus possidendum. Imperator Cœnobiolo egregium dedit Diploma anno *Christi* 1345. Ducalis Regni sui 31. Imperii vero decimo octavo. Dedit etiam (ut promiserat) certos redditus annuos & alia, nisi morte præventus fuiffet. Quarto enim anno post primum hujus loci initium bonus Imperator veneno sublatus, extremum diem clausit. Sorores, Patrono suo præcipuo amiffio, ex quotidiana hominum collatione & Eleemofynis, tantum tamen contraxerant, ut ex primo ligneo templo faxeum facerent, decimo sexto anno post primam conventionem. Tandem anno Domini 1378. subdidere sese concordibus animis Rabano Episcopo Aystentensi, petentes ab eo certum ordinem, qui misso ad eas Canonico quodam de S. Willibaldi choro Domino Burcardo de Bleyfeld, consecrari ipsas, & sub obedientiam accipi, Canoniffasque S. Augustini Regulares designari fecit: & Præpositam Gubernatricem cæterarum elegit anno 1379. in die S. Thomæ Apostoli, Mense Decembri. Catalogus ejus loci Gubernatricum (quas Præpositas vocant) talis mihi illic ostensus & communicatus est.

Catalogus Præpositarum.

I. D. Diemudis Ammonin (quæ vox judicem significat) rustici cujusdam & honesti & pii viri, ita pia, prudens, honesta & Religiosissima filia, ut ex duro ac rudi Agricola natam nemo crederet: erat vero ex vicino pago Herpersdorph nata. Hæc constituitur prima Præposita in fine anni 1379. præfuit laudabiliter & utiliter annis 26. obiit anno 1405. sepelitur honorifice sub magno saxo ante majus altare collocato, sub quo omnes (quæ eam in gubernatione secutæ sunt) depositæ cubant.

II. D. Barbara ab Haslach, nobilis & genere & virtute successit Domina Diemudi in vigilia S. Ægidii, præfuit viginti annis, præclare totum Cœnobium amplians, & novis structuris illustrans. Nam & Refectorium & dormitorium & totum hoc templum (quod hodie adhuc integrum & salvum conspicitur) ex imis fundamentis de novo construxit: in qua re pietatis & Religionis augendæ studio fideliter eam juvit Dominus Hilpoldus Kressius Patritius Noribergensis, qui sexcentum aureos Rhenenses ad templi constructionem contulit & donavit. Obit anno Domini 1426. sub ejus gubernatione obiit anno Domini 1409. Domina Beatrix Comitissa de Heydeck, Frederici conjunx, & Episcopi Aysteterensis Joannis soror, quæ in ejusdem Cœnobii templo sub Virginum choro, honorifico Mausoleo a terra in altum elevato condita & sepulta est.

III. D. Cristina Nordweynin Norica, eligitur in Præpositam Pildenreütensem postridie Ascensionis Dominicæ anno 1426. præfuit Religiose & prudenter 13. annis, magna sui Cœnobii benefactrix, cujus œconomia fuit longe etiam fidelissima. Secefferat Noribergam tempore belli Hussitici: Resignavit anno 1439. Obit tandem anno Domini 1448.

IV. D. Dorothea Heczeltorpherina nobilis herois non genere tantum & Religione, sed & virtute & morum probitate, eligitur anno 1439. præfuit 4. annis. Obit anno Christi 1443. in ipsis Januarii Calendis. Fuit Cœnobii hujus ampliatrix, & illustratrix studiosissima.

V. D. Barbara Kressina ex patre Patricio Noribergensi nata: eligitur anno Gratiæ 1443. in die S. Erhardi. Erat scemina prudentissima, Romæ etiam ob singularem suam sapientiam nota & celebris. Attulit multa e domo paterna ad hujus Cœnobii illustra-

illustrationem, cujus liberalissimi etiam benefactores fuerunt omnes ejus cognati. Præfuit utilissime annis 18. Abdicavit se Magistratu, & aliam sibi subrogavit anno Domini 1461. Sub ejus gubernatione exarsit anno Domini 1450. cruentum bellum inter Noribergenses, & Albertum Marchionem Brandenburgensem, a quibus pugnam est aliquoties ad ipsas Cœnobii piscinas. D. Præposita cum conventu fororum Noribergam secesserat, ubi tumultuante foris Marchione quasi in tuto receptaculo latitabat. Vixit post resignationem annis adhuc 12. Obiit anno 1473.

VI. D. Anna Ebina ex Barreuto Marchionum Brandenburgensium oppido in Voitlandiæ montanis, ad Mœnum rubeum sito, nata: scribendi peritia insignis cujus pater Alberti Marchionis Archimagyrus fuerat: constituitur Præposita anno 1461. præfuit utilissime annis quindecim, & senio confecta resignavit anno 1476. Vixit postea adhuc novem annis & obiit anno Domini 1485.

VII. D. Walburgis, Norica: patre Patritio viro, Stephano Volckheymero nata fœmina prudens & facunda eligitur anno 1476. inchoavit & plantavit hortum amœnissimum: præfuit septem annis utilissime. Obiit anno Domini 1483.

VIII. D. Juliana Sagittaria Norica, successit Walburgi: præfuit Religiosè & prudenter annis decem, & resignans gubernationem, vixit adhuc 7. annis. Obiit anno 1500. in die conversi Pauli.

IX. D. Anna Schluffelfelderina, Sebaldi præstantis civis Norici filia, eligitur anno 1493. præfuit annis 17. quibus & ambitum, & alia multa ædificavit. Sub ejus gubernatione magna clade affecit Casimirus marchio Brandenburgensis Noribergenses ad afflerbachium a se cæsos anno Domini 1502. postea cum anno 1504. exarsisset bellum Bavaricum, secessit Dominæ Præposita cum 20. fororibus Noribergam. Obiit anno 1510. in die S. Cyriaci.

X. D. Helena Schluffelfelderina D. Annæ germana soror, subrogatur forori unanimi Conventualium consensu. præfuit 5. annis. Obiit in die Urbani anno Domini 1515.

XI. D. Veronica Scheertina e Sulczbachio Palatinatus oppido nata, successit Dominæ Helenæ ex hac vita evocata. Præfuit 18. annis. Secessit in rusticana seditione Noribergam, & ibi cum conventu per duos menses latuit. Anno vero Domini 1533. resignans, 18. adhuc menses vixit. Obiit anno 1535. die Lunæ post Festum trium Regum.

XII. D. Magdalena Kressina patre Patritio apud Noricos nata, eligitur anno Christi 1535. præfuit annis 15. fideliter. Obiit anno 1548. Plurimum injuriarum & oppressionum passa est in bello Germanico a Cæsareanis militibus hac & illac graffantibus, a quibus tamen postea per ipsius clementissimi Cæsaris adventum liberata est.

XIII. Dorothea Sexina Noribergensis successit Dominæ Magdalenæ anno Domini 1548. præsidet laudabiliter hoc adhuc currente Jubilæo.

Hucusque Bruschius. Successit huic Dorotheæ

XIV. Agatha Stetirerin Anno 1577. quæ ultima Præposita, qua aut vivente adhuc aut mortua a Magistratu Norimbergensi totum Asceterium ad usus profanos fuit traductum prævalente Religione Lutherana haud dubie ringente cœlo, plaudente Orco, plorante Ecclesia.

PÖLLENSE.

Collegium Pöllense Canonorum Regularium ad S. Vitum sub regula S. Augustini viventium in Styria sub Archi-Diœcesi Salisburgensi inter montes in Valle satis amœna ad Confinia Ungariæ, ac etiam aliquomodo Austriæ situm, fundatum est ab Illustrissimo Domino Domino Libero Barone Joanne de Neuperg, qui cum ultimus hujus Cognominis esset, in gravem morbum incidens, & jam jam morti proximus, ut Cœlestem hæreditaret gloriam Deum ipsum bonorum suorum Hæredem scripsit, dum piissimam hanc suam voluntatem per testamentum reliquit, ut scilicet Collegium Canonorum Regularium in Castro suo Pöllan dicto, quod mœnibus ac fossis circumdatum, & in medio Oppido Pöllensi constitutum erat, erigeretur, & Canonici Regulares

lares instituerentur, quia vero præfatus Illustrissimus Dominus Joannes de Neuperg Die S. Severi, hoc est undecimo Calendas Novembris Anno Domini 1483. ad Severum Citatus Tribunal, attamen minime severum expectans Judicem Mundo valedicere est coactus, sanctissima Testatoris voluntas ob plurima impedimenta, ac continuos eo tempore grassantes bellorum tumultus desideratum finem fortiri non poterat, longo temporis intervallo institutio hujus Collegii fuit retardata, donec aliquando sedatis bellorum tumultibus piæ memoriæ Elisabetha ultimus Nobilissimæ Familiæ de Neuperg Ramusculus præfati Joannis de Neuperg Soror, ac Illustrissimi Domini Christophori Comitis S. Georgii de Pössing Conjux maximis sumptibus a Maximiliano pro tunc Romanorum Rege Anno Domini 1502. Mense Octobri impetraverit, ut in Castro prædicto fundatio Canoniorum Regularium juxta Fratris sui desiderium institui ac erigi possit, sed nimium avara & insatiabilis mors, non tantum fundatorem Joannem de Neuperg, sed etiam foundationis Propagatricem Elisabetham impetrata jam quidem licentia de instituendis Canonicis Regularibus, sed iisdem nondum institutis e vita abstulit, tandem Illustrissimus Dominus Christophorus de Pössing Comes S. Georgii, qui Elisabethæ pie defunctæ Matrimoniali vinculo catenatus erat, piissimam hanc Testatoris voluntatem etiam plene impetrato Principis terræ consensu in opere fuerit executus. Quare Primus Neoerectæ hujus Collegiæ Ecclesiæ in Pöllan Præpositus cum certis sibi adjunctis Dominis Canonicis ex Venerabili Voraviensi Collegio a præfato Illustrissimo Domino Comite de Pössing denominatus ac petitus est Reverendissimus Dominus Udalricus de Trautmonstorff. Qui petitioni huic annuens, consentientibusque Reverendissimo Domino Virgilio pro eo tempore in Vorau Præposito, ac toto Venerabili Capitulo per mandatum Celsissimi Salisburgensis Ecclesiæ Archi-Præfulis Leonardi Keydschacher &c. in præsentia plurimorum Prælatorum, Nobilium, ac ignobilium cum maxima aggratulatione in Die S. Apostoli & Evangelistæ Matthæi Anno 1504. in Neoerecto hoc Collegio Canoniorum Regularium Præpositus est institutus ac confirmatus.

Sed quia proventus institutæ foundationis tam fuerunt exigui, ut Canonici pro statu suo se honeste sustentare vix potuissent, Julius Pontifex Anno 1555. Die 6. Februarii per Bullam datam cum consensu, & ad instantiam per litteras sigillo signatas Celsissimi Archi-Episcopi Salisburgensis Leonardi Parochiam, & Parochialem Ecclesiam in Pöllan S. Martyri Vito sacram, ac Ecclesiam B. V. Mariæ in monte ædificatam Collegio Pöllensi cum omnibus juribus, & proventibus ad perpetuum univit, annexit, & incorporavit. Sic Leonardus Ecclesiæ Salisburgensis Archi-Episcopus S. Sedis Apostolicæ Legatus ad perpetuam rei memoriam cum Consensu Capituli Salisburgensis per litteras patentes Die 26. Mensis Aprilis Anno a Nativitate Domini 1551. hanc ipsam Parochiam, & Parochialem Ecclesiam Præposito ac Collegio Pöllensi donavit, dedit, cessit, & autoritate Apostolica per quendam ad hoc deputatum Commissarium incorporari, ac uniri posse liberrime concessit, tandem Georgius Waltenberger autoritate Imperiali, & Apostolica Publicus Notarius Presbyter hoc instrumentum Nominis Capituli Salisburgensis confirmavit, & ut Delegatus Commissarius dictam Ecclesiam Parochialem, ac Templum B. V. Mariæ in monte Collegio Pöllensi tradidit, & incorporatas esse publicavit.

Est autem Parochialis hæc Ecclesia Divo Martyri Vito dedicata a Pœnitentium Animarum Copia amplissima, & laborantibus in Vineâ Domini propter circumjacentes undique montes difficillima stat medio in Oppido, ac lapide præduro circumquaque suffulta, & antiquissima. Spectatur in medio Ecclesia tumulus, cui grande saxum marmoreum eleganter expositum superimpositum est, in quo in pace, uti firmissime speramus, tumultuati quiescunt Joannes de Neuperg hujus Collegii Fundator, ejusdemque soror Elisabetha Comitis de Pössing Conjux. Clauduntur uno in tumulo, qui quondam uno fuere matris in utero, ut scilicet in utero terræ (quæ communis omnium Mater est) non solum sanguine, verum etiam corporum propinquitate manerent conjunctissimi. Utriusque hujus Nobilissimæ Familiæ de Neuperg, & Pössing anniversarius Dies in Festo S. Apostoli Barnabæ a pleno Canoniorum in Pöllan degentium Choro quôtannis celebratur. Sunt præterea in hac Collegiata Ecclesia Pöllensi duo Altaria speciali Privilegio a Summis Pontificibus donata, ac a moderno Summo Pontifice Innocentio Undecimo confirmata, apud quorum unum omni Feria secunda, apud alterum omni Feria quarta a flammis purgatorii tot liberantur animæ, quot Sacrosancta Missæ Sacrificia ad dicta Altaria offeruntur.

Cæterum distat trium quatrantum spatio a Collegiata hac Ecclesia Mons magnæ altitudinis, & ascendentibus difficillimus, in cujus summitate Templum sublime, & orna-

ornatissimum maximis sumptibus est ædificatum, quod communi vocabulo *Unser Frauen Berg* (olim *der Samstag Berg*) vocatur, cui proxime adhæret Templum vel potius Sacellum Divæ Annæ Matri B. V. Mariæ dedicatum, utrumque miraculis clarum, miraculosus tamen Filiæ, hoc est Mariæ. Extat nimirum publicæ exposita Venerationi in magno Altari miraculosa Miraculosæ Matris Mariæ in statura non exigua artificiosissime ex ligno elaborata statua, quæ in Capite Imperialem gerit coronam, manu dextera Regium tenet Sceptrum, sinistra dilectissimum æterni Patris portat Filium, utriusque facies supra modum mirabilis, & a nullo etiam artificiosissimi pictoris penicillo facile tangibilis refulget, ut vera tanquam Mater pulchræ dilectionis supra montem posita omnium in se trahat amorem, ac venerationem.

Hinc fit, ut non tantum ex vicinioribus verum etiam remotioribus terræ partibus, & Provinciis undique ad benignissimam hanc misericordiæ Matrem sæpius per decursum Anni aliquot millia, maxime vero in Dominica *Exaudi*, hoc est Dominica ante Festum Pentecostes confugiant, ubi per integrum Octiduum omnibus rite dispositis, aut se capaces reddentibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam, ac remissionem Innocentius Undecimus Pontifex maximus misericorditer concessit. Præterquam quod singulis diebus Sabbathinis per totum Annum semper unus aut plures Domini Canonici montem hunc ascendunt, sunt & processiones frequentissimæ. Miracula, quæ ad miraculosas has ædes magnæ Matris patrata sunt, sunt non pauca, ubi Cæci visum, claudi gressus, infirmitatibus cujuscunque generis pressi invocato B. Virginis auxilio sanitatem receperunt, ut jure meritissimo de tanta Magistra sanitatis Collegium Pöllense possit, & audeat gloriari.

Syllabus Præpositorum.

I. Udalricus de Trautmansdorff, cujus Illustrissimæ Familiæ descriptionem affert Gabriel Bucelinus in Germania Stemmatographica Part. 3. fol. 239. sed vel maxime Jacobus Wilhelmus Imhofius in notitia Imperii anno 1699. typis Stuttgardianis in fol. edita Lib. 7. cap. 17. fol. 527. atque eadem avita stirps seu Illustrissima familia, quia in tenebris jacere, seu sub modio delitescere omnino nescia, sed supra candelabrum reponi dignissimam, non solum temporibus antiquis fulgentissimos virtutum suarum radios adeo diffudit, ut jam olim sub Ferdinando III. gloriosissimo Romanorum Imperatore unus ex illa ad Supremam aulæ Cæsareæ Præfecturam, & alius quidam ad parem Ducatus Styriæ Ministerialem dignitatem sub Leopoldo I. itidem Augustissimo Cæsare pro meritis suis uterque fuerit evectus; & quod amplius est, nostris etiam temporibus domi æque ac militiæ parentela hæc in tantum resplendet, ut unus ex illa de præfenti Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius intimus, item alius nupero bello Turcico Archistrategus, seu Generalis, uti vocant, fortissimus, Authoritate Cæsarea præfectus, inter omnes Sacri Rom. Imperii Comites potenter emineat. Cæterum ipse Udalricus primus Præpositus iste Pöllensis exacto sui Præsulatus octennio anno 1512. die 16. Maji terris defunctus tumulum accepit in Sacello, quod ipse tribus Magis Christi adoratoribus novum construi, ac dedicari fecit in propria Ecclesia sua Pöllensi.

II. Joannes Mistlberger. Hic communibus Canonorum Capitularium suffragiis ad Præposituram assumptus, ad intercessionem & recommendationem Sigismundi Poloniæ Regis pro tempore in Austria commorantis a Leone Papa X. sub annum Christi 1517. quinto die Julii usum Pontificalium aliaque privilegia mitratis Cœnobiarcho communia impetravit, prout ex sequenti Bulla videre est: Leo Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Joanni Mistlberger Præposito, & Conventui Monasterii per Præpositum soliti gubernari, S. Viti in Pöllau Ord. S. Augustini, Salisburgensis Diœcesis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Exposuit nostræ devotionis sinceritas, & Religionis promoteretur honestas, ut tam Vos, quos speciali dilectione prosequimur, quam Monasterium Vestrum per Præpositum gubernari solitum Sancti Viti in Pöllau Ord. S. Augustini Salisburgensis Diœcesis dignis honoribus attollamus. Hinc est, quod Nos vos & vestrum singulos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati estis ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, Tibi Fili Joannes & Successoribus tuis Præpositis dicti Monasterii pro tempore existentibus, ut etiam Mitra, Annulo, Baculo Pastoralis, & aliis Pontificalibus Insignibus uti, & tam in dicto Monasterio,

rio, quam extra illud ubicunque locorum, ubi Te & Successores præfatos in Pontificatibus pro tempore celebrare contigerit, Benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, Matutinorum, & aliorum Divinorum Officiorum solennia supra populum inibi tunc interessentem, dummodo ibi aliquis Antistes, seu Apostolicæ Sedis Legattis præfens non sit, vel si præfens fuerit, ad id ejus expressus accedat assensus, elargiri, ac omnes & singulos Canonicos Novitios & Servitores dicti Monasterii ad quatuor Minores Ordines simul, & semel, aut separatim, prout expediens fuerit, statutis a jure temporibus promovere, & dictos Ordines eis conferre, nec non imagines, cruces, casulas, ac omnia & singula ornamenta Ecclesiastica etiam Sacerdotalia, ac Campanas, nec non quascunque vestes, vasa & tabernacula, etiam pro conservatione Sacramenti Eucharistiæ & Reliquiarum dicti Monasterii ad Divinum cultum dedicata benedicere, ac tam ejusdem Monasterii, & alias quascunque Sæculares & Regulares Ecclesias eidem Monasterio subjectas, seu ad vestram præsentationem pro tempore pertinentes, ac super quibus Superioritatem etiam pro tempore obtinueritis, quam pro quibus, Tu Joannes & Successores præfati requisiti fueritis, illarumque cemeteria, & alia loca Ecclesiastica sanguinis vel seminis effusione, aut alias quovis modo pollutas, & polluta, aqua tamen per aliquem Catholicum Antistitem prius, ut moris est benedicta reconciliare libere & licite valeatis, ac Christi fidelibus Benedictioni per te fili Joannes & Successores prædictos, ut præfertur elargiendæ interessentibus, ut pro qualibet vice, qua homines benedictioni interfuerint, indulgentiam 40. dierum misericorditer in Domino consequantur. Nec non Canonicis, Novitiis & Servitoribus prædictis, ut propter nimiam ipsius Monasterii distantiam a vestro Diocesano ad Sub-Diaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus ordines a quibuscunque maluerint Catholicis Antistitibus gratiam & communionem dictæ Sedis habentibus statutis a jure temporibus prædictis alias rite se promovere facere possint, piæ memoriæ Alexandri Papæ III. Prædecessoris nostri, quæ incipit Abbates, & quibusvis aliis Apostolicis ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus Auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia indulgemus, ac eisdem pro tempore eligendis Antistitibus præfatos Canonicos, Novitios, & Servitores ad dictos Ordines promovendi plenam & liberam facultatem concedimus. Per hoc autem constitutioni, quæ præcipit hujusmodi reconciliationes per Episcopos tantum fieri nullum volumus imposterum præjudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, indulti, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo decimo septimo, quinto Julii. Pontificatus nostri anno quinto.

Præfuit autem Joannes iste Pöllensi Ecclesiæ suæ annis 18. & ad plures abiit anno 1530. die 6. Junii.

III. Leonardus Bachman quadriennio solum Prælaturæ fasces tenuit, præmature fatis extinctus anno 1534. die 2. Octobris.

IV. Christophorus Trückl SS. Theologiæ Licentiatus, Archi-Diaconus simul superioris & inferioris Styriæ, sub ejus regimine Parochialis Ecclesia Collegio Pöllensi fuit incorporata, tandem evocatus ad Insulam Ratisbonensem, postquam 25. annis præstitisset, fatis extinctus anno 1560. die 2. Januarii.

V. Joannes Georgius Steinhauer post sexennium in officio Prælaturæ laudatissime consummatum emigrans terris defecit anno 1565. die 22. Julii.

VI. Stephanus Mitterhauser sacra Claustrali Prælatura gloriosus, Domesticus Albo Defunctorum inscriptus legitur anno 1585. die 2. Octobris.

VII. Petrus Muchitsch SS. Theologiæ Doctor, Græciensis Ecclesiæ Parochus & Archi-Diaconus, Vir singulari doctrina & virtute præditus, acerrimusque Religionis Catholicæ Defensor, ac contra Lutheranos maxime contra Professores Wittenbergicos Scriptor egregius, cujus Zelo quamplures Indigenæ Styrii fidem orthodoxam fuerunt amplexati; quocirca tantis meritis gloriosus idem ipse Petrus iste in Præpositum Pöllensem est cooptatus, quod munus simul ac Archi-Diaconatum insigniter moderatus, demum e vivis excessit anno Sæculari 1600. die 29. Aprilis, postquam etiam fuisset Rector Universitatis Viennensis, & per plures annos Administrator Episcopatus Seccoviensis.

VIII. Valentinus Ritter, totum Collegium suum omnino novum ædificasse laudatur: præstitit usque ad annum, quem sibi fatalem habuit 1623. Cal. Novembr.

IX. Michaël Praithoffer nomen & titulum secundi fundatoris condigne promeritus 18. annis antestitit, quousque nimirum morte naturali Successori locum dedit anno 1641. Interfuit anno 1627. cum pluribus tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus primæ Dignitatis Viris solemnissimæ dedicationi novæ Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis die 25. Septembris ritu festivissimo peractæ, de quo legi poterit Franciscus Dieckher in Chron Salisburg. fol. 292. & seqq.

X. Vincentius Neuhold biennis solum Antistes factus, præter spem citius in fata declinavit anno 1643. ipso Festo S. P. N. Augustini die 28. Augusti,

XI. Casparus Kolb SS. Theologiæ Licentiatus, absoluto Prælaturæ biennio mortuis accensus anno 1645.

XII. Pancratius Perckhoffer annos 24. inter Suos Præsul pro meritis honoratus, ex tunc carne mortali resolutus, & ad plures digressus anno 1669.

XIII. Michaël Josephus Meister anno 1669. die 13. Maji communibus omnium Capitularium votis de gremio ad Prælaturam Pöllensem assumptus perspicacissima rerum gerendarum peritia omnium Prædecessorum suorum meritis longe superiorem se probavit; siquidem præ reliquis honoratus Inclytorum Statuum Provinciæ Styriæ Deputatus, ut vocant, Ordinarius etiam secunda vice delectus, idem S. C. M. Confiliarius communi Patriæ Saluti nunquam non attentissimus; Canoniam suam non tam in Spiritualibus quam temporalibus plurimum simul exornans, & adaugens, eandem Lateranensibus quoque parem fieri voluit, eorundem nempe Religiosa Confœderatione & privilegiis in id feliciter obtentis, novis & majoribus indies meritis inopina mors finem imposuit post Regimen 28. annorum die 7. Novembr. 1696.

XIV. Joannes Ernestus ab Orthenhoffen, gloriose gubernavit, eique, quidquid Pöllæ spectabile est, aut originem debet, aut augmentum; ædificia erexit quamplurima, inter quæ eminet famosum late templum D. Martyri Vito dedicatum, & Bibliotheca tam ab ornamentis, quam a libris celebris. Hujus Præsulis singularis virtus & prudentia eo magis elucet, quo in dura magis tempora incidit; sub ejus regimine Filialis B. V. Mariæ Ecclesia in Monte Pöllensi, erecta fuit in Parochialem cum consensu Celsissimi Ordinarii. Sedit in hac dignitate ultra annos 44. Professione Religiosa Jubilæus. Successit anno mihi incerto

XV. Carolus Josephus ex Illustrissima S. R. I. Comitum de Breüner familia. Qui gloriosissimo regimine Suis adhuc præest, & ut præsit diu animitus apprecamur.

POLEDENSE.

Poledenſe magnificentissimum quondam Canoniorum regulariter viventium Monasterium. Inerat illud Oppido inferioris Saxonix, anno circiter 966. fundatum a piissima Regina Mathilde, Henrici Aucupis Romanorum Regis relicta vidua, quam tria millia Clericorum in eo collocasse, illisque omnibus quæque necessaria larga manu impendisse legimus apud Continuatores Bollandi in Actis Sanctorum in ejusdem Sanctissimæ Fundatricis Vita, quæ in Tomo II. Martii die 14. ejusdem mensis cap. 4. occurrit. Meminit etiam hujus Foundationis Albertus Cranzius in sua Saxonica L. 3. cap. 12. hisce verbis: *Henrico (antedicto) moriente quod deerat & urbi & Monasterio implevit, relicta ejus, quæ etiam in Northusen extruxit Monasterium & deinde in loco, qui dicitur POLEDE &c.* Quousque vero Cœnobii hujus status regularis integer perseverarit nulla industria potui detegere. Nec mentem meam celare hic possum, incredibile mihi videri trium millium Clericorum in uno Monasterio numerum, fides itaque sit penes Authorem Anonymum, ex quo hæc referunt eruditissimi Antverpienses Hagiologi.

PONS-ROHARDI.

Abbatia Canoniarum Regularium, sita quondam in territorio Furnensi ad fluvium, qui nuncupatur Isara, nunc in Urbe est. Fundata fuit a Guilielmo de Bethunia & Elisabetha ipsius conjuge circa annum 1235. hortatu Martini ejusdem Presbyteri Bergensis, ut apparet ex charta foundationis ab Authoribus *Galliæ Christianæ* in appendicæ col. 378. relata. Hæc Abbatia una est ex iis, quarum quinque suis temporibus in Flandria superesse ac florere Myræus, sæpe laudatus, scripsit de Originibus Cann. Regg. Cap. 55. Et etiamnum floret, ut videre est ex sequenti Abbatissarum Syllabo, quem desumpsimus ex *Galliæ Christianæ* Tomo V. fol. 359.

Series Abbatissarum.

I. Mathildis per primam sui nominis litteram M. connotata reperitur anno 1237. in charta S. Augustini Tarvanensis. Ejus vero ita meminit Necrologium: III. Idus Apr. *Anniversarium duplex piæ recordationis & sectandæ conversationis ac vitæ venerabilis Mattildis, quondam matris nostræ, primæ hujus Ecclesiæ, quæ quam prudens & quam fervens Zelatrix fuerit ordinis & bonorum plantationis ejus, pretiosa multiplicatio sufficiat ad probandum. Ipsa vero de Monasterio Præmiacensi propter prærogativam meritorum suorum ad regimen hujus Ecclesiæ, Dei disponente misericordia, est assumpta, quæ Ecclesiam nostram incipiens a modico, tam bonis temporalibus, quam personis sanctitate fulgentibus copiose munivit suo tempore, sui curam officii semper agens sollicitè, fideliter, humiliter, ac devote. O! quam gregis Domini:ci benigna nutrix existit! non potestate sæviens, sed patiens, ad omnes, & compatiens, prout cuique opus erat, tunc ubera porrigebat. Si quas enim exigente disciplina, verbis duris aut fortassis verberibus puniebat, mox pia gestans viscera, verbis ea suavibus & maternæ dulcedinis uberibus leniebat. Ista namque carissima mater nostra in pascendis oviculis suis se & totum tempus vitæ suæ misericorditer consumens piam Matrem in subveniundo, in erudiendo doctricem sedulam & in ceteris se sociam exhibens, omnibus succedentibus, permaneat in exemplum, quibus clamat operibus has invitans ad simile faciendum. Hæc igitur lucerna patriæ, merentium Consolatrix, norma vitæ, religionis exemplar exitu beato terminans vitam bonam, in adolescentulæ filiæ suæ Ecclesiæ nostræ gremio requiescit humata, locum sibi dilectum sua nobilitans sepultura, in veditu sponsi laboris expectans præmium & amoris.*

II. Elifabeth I. seu Isabella de Dixmude, obiit 9. Octobr. 1303. his autem verbis notatur in Necrologio: VI. Idus Octobr. Isabellæ de Dixmuda quondam Abbatissæ de Ponte-Rohardi, quæ fuit bona persona & religiosa, & multis virtutibus conspicua.

III. Catharina de Vadis, de qua sic Necrologium: IV. Idus Januarii ipso die anniversarium solemne CATHARINÆ DE VADIS Abbatissæ hujus Ecclesiæ, quæ fuit bona Persona & religiosa, & Magistra nobis amantissima, in prosperis non elevata, in adversis patientissima, pro cuius anima nos habemus unum vasculum, in quo portatur corpus Domini in die SS. Sacramenti, & unum cyphum argenteum cum pede, & alia bona ad ornamentum Ecclesiæ nostræ.

IV. Maria I. de Waverino ita commemoratur in Necrologio, III. Cal. Apr. solemne Anniversarium piæque recordatio bonæ memoriæ dominæ Mariæ de Waverino quondam Abbatissæ hujus ecclesiæ, quæ fuit bona persona & religiosa, & ex fundatoribus nostris exorta. Sane justum est ne beneficia ab ipsa nobis impensa immemorata immaneant, sed potius ad perpetuam rei memoriam adscribantur. Sciendum est enim, quod in die obitus sui triginta solidos Parisienses ad pittance annuatim ordinavit. Item molendinum situm in parochia de Pambeka juxta mansum nostrum nobis acquisivit. Item de baculo pastorali subsequenter Prælati & ecclesiæ providit. Item pecuniam sibi de jure debitam usque ad summam LXVI. librarum vel amplius Parisiensium nobis & ecclesiæ benigne remisit. Ceterum de suis Jocalibus validis & immensis nobis & ecclesiæ competenter distribuit & donavit.

V. Elifabeth II. Belles. Locum habet in Necrologio his verbis: VIII. Cal. Junii anniversarium solemne dominæ Elifabeth Belles Abbatissæ hujus ecclesiæ, quæ fuit bona persona & religiosa & honesta, & virtutum amatrix ferventissima, quæ acquisivit nobis unum molendinum stantem in parochia de Beverne, quod vocatur Brouechmoelne, de quo habemus 21. libras Parisienses annuatim & unum vasculum aureum in quo fertur Sacramentum, & alia multa bona quæ continet bene 100. libras Parisienses.

VI. Margaretha I. de Hallines. Cujus ita meminit Necrologium: 13. Cal. Septemb. Margarethæ de Hallines Abbatissæ hujus ecclesiæ, quæ - - - contulit nobis imaginem B. Mariæ sitam supra majus altare & etiam imagines B. Annæ & S. Elifabeth, & alia multa bona.

VII. Giffena reperitur an. 1496.

VIII. Margaretha II. de Scoten, cujus & parentum habetur memoria in Necrologio, his verbis: VI. Calend. Aug. dominæ Margarethæ de Scoten Abbatissæ hujus Monasterii, quæ laudabiliter rexit - - - totum Conventum ejus & bona hæreditaria ampliavit, & multa ædificia renovavit, & magnum altare decoravit cum duobus can-

candelabris argenteis & uno capite, in quo multæ reliquiæ sunt inclusæ, & instituit unam missam perpetuam celebrandam semper in Feria V. - - - Item nobilis viri Domini Michaëlis Scoten militis & Dominæ Annæ uxoris ejus, & Domini Oliveri de Scoten militis & Dominæ Margarethæ uxoris ejus & Johannis de Scoten filiorum ejus & Mariæ Scoten Priorissæ nostræ, Leonis de Scoten & domicellæ Johannæ uxoris ejus & Catharinæ filiæ ejus.

IX. Maria II. Lands. Recensetur in Necrologio in hæc verba: 8. Idus Sept. Mariæ Lands Abbatissæ hujus ecclesiæ - - - quæ ædificia ruinosa reparavit, & imaginem S. Sebastiani Martyris, quandam solemnem cappam argenteam deauratam delegavit, ex qua nunc est compositum sacramentale, quo Corpus Christi ad infirmariam defertur, & multa alia bona.

X. Maria III. Eugghenoest, alias Ruggenroft. Sic memoratur in Necrologio 16. Cal. Octobr. solemne anniversarium Mariæ Eugghenoest Abbatissæ hujus ecclesiæ - - - quæ dedit nobis tres mensuras terræ & unam leudam jacentem in parochia de Leuseles & item 104. libras Paris. & duas ampullas & unum discum argenteos, & multa alia bona.

XI. Ludovica van Gassele.

XII. Sara Bollaerds commemoratur in Necrologio IV. Cal. Sept.

XIII. Cornelia Vastenavant renovavit dormitorium, & molendinum de novo construxit.

XIV. Catharina II. van dem Coornhuyse, cujus tempore XVIII. Cal. Jan. anno 1558. Monasterium incendio consumptum est, ipsa vero post incendium reedificare fecit Ecclesiam & mediam partem cœnobii, & duo molendina ex novo, quæ constituerunt unumquodque duodecim Libras grossorum &c. ex Necrol. nonis Jan.

XV. Emma occurrit in Necrol. pridie Calend. Julii.

XVI. Maria IV. de Renty benedicatur anno 1576. 24. Martii ab Iprensi Episcopo. Ejus tempore an 1579. ab hæreticis monasterio funditus everso moniales Audomaropolim confugerunt. Obiit 1605. 18. Junii, ætatis suæ anno 70. in ecclesia S. Nicolai sepulta & quidem in sacello S. Quirini.

XVII. Margaretha III. de Magny, electa 21. Julii 1605. obiit 1651.

XVIII. Maria V. Bonaert, obiit post 14. menses necdum accepta Benedictione.

XIX. Petronilla Cuvillon. Ex epitaphio sequenti probe innotescit: D. O. M. Icy gist la R. & noble dame, madame Pettronille Cuvillon native de la ville de Lille, Laquelle estant Agee de 71. professe de 51. Jubilaire d'un an, & ayant esté 7. ans prieure & 25. ans Abbessse eu cette fameuse Abbaye de Rousbrughe, trepassa le 21. Novemb. 1677. R. I. P.

XX. Catharina III. de Varenne, benedicta 14. Febr. 1678. obiit 23. Junii ejusd. an.

XXI. Cæcilia van Uleteren, a Rege Christianissimo designata. Brugi benedicatur 25. Julii 1679. Hæc duo de viginti ante obitum annis, defluentibus Catarrhi humoribus cæca omnino facta, in suarum nihilominus regimine, eo quo prius cœperat pede, ire porrexit. Denique obiit ætatis suæ an. 76. profess. 57. dignitatis Abbatialis 32. &c. Incarn. Dom. 1710. die 14. Octobr.

XXII. Johanna Theresia Marquant, a Rege nominata in Festo Natalis Domini anno 1710. Benedictionem percipit die 28. Junii 1711.

POLLINGA.

Vetus Clericorum *Spiritualium* ad distinctionem Clericorum *Acephalorum* Sæculo VIII. sic dictorum Canoniam in amœna planitie haud procul Weilhemio, celeberrime hodie Superioris Baviaræ Oppido, sub gradu latitudinis 47. 44. 35. longitudinis vero in Partibus Æquatoris 28. 52. 30. sita, prima sua Incunabula debet pictæ cuidam Imagini Salvatoris e Cruce pendentis, quæ exin in Ara Principe, per mille & amplius annos publicæ Venerationi exposita, usque in hodiernum diem exstat, Sanctamque omnibus, qui eam vident, Antiquitate sua Reverentiam inspirat.

Ab anno MX. quo S. Henricus, cognomento Claudus, ex Duce Baviaræ factus Imperator, Solemni Diplomate eidem restituit, & auxit Bona, Sæculo X. ob vehementes Imperii Concussiones sub Arnulphis Baviaræ Ducibus, iteratasque Hunnorum IncurSIONES distracta, continua Serie regitur a Canonicis *Regularibus*, quos Summi Pontifices, alique Scriptores Ecclesiastici Sæculo XI. & XII. ad distinctionem eorum, qui, utpote jam Re & Nomine soluta communitate, *Sæculares* facti, nullis Pontificum con-

stitutionibus, aut Conciliis ad vitam communem, regularem, & Apostolicam revocari potuerant, Nomine magis specifico *Ordinis S. Augustini* dixere, ea potissimum de Causa, quia Sanctus hic Episcopus Clerum Ecclesiae suae Hipponensis ad Regulam Canonicam, vitamque communem, ac omnis proprii expertem, praeter reliquis aliis magis adstrinxerat, Jure propterea dictus *alter Canonicorum Regularium Legislator*, seu *Reformator*, ut ex Sermonibus ejus duobus qui inter Sermones de diversis sunt quadragessimus nonus, & quinquagesimus, satis superpue patet, vel ideo etiam Regulæ Canonicorum in Concilio Aquisgranensi expresse infertis.

Quisnam autem hujus Canonice status fuerit præcedentibus tribus a prima Fundatione Sæculis, non recte scribitur a nonnullis rerum nostrarum minus peritis.

Aventinus, quem alii cum Laymano S. J. *de Juribus Monasteriorum extinctis*, plerumque ut Ducem secuti sunt, vult, Monasterium hoc ab initio pro Monialibus S. Benedicti fundatum fuisse a tribus Fratribus Landfrido, Waldramo, & Elilando Monasterii Burani Fundatoribus. Ita enim scribit L. III. *Annal. Edit. Ingolst. de Anno MDLIV. fol. 292.* „ Intra Ifaram & Lycum sub ipsis Alpium radicibus, Rectore Bojorum haud abnuente, Landofridus, Valdoramus, Elilandus fratres octo Sacratissimis Viris & fœminis sacras ædificarunt ædes, Beyrn, Schlechdorf, Siverstatt, Sandau, Vessobrunam Maribus: Pollingum, Staphelsee, Cochelsee Virginibus tradiderunt, quibus præfecerunt Gælövindam Sororem suam. Cochelsee & Staphelsee ad Lacus ejusdem Cognominis: Siverstatt vero & Sandau haud longe a Lyco ab Vgris excisa, deletaque penitus interierunt. Cætera extant. Wessobrunnam, Pollingum, Theffalonus Filius Utilonis postea ampliavit, de integro instauravit, atque hæc omnia Templata Divus Bonifacius fertur consecrasset, Cæremoniisque D. Benedicti initiasset; Schlechdorf, Pollingumque ab Vgris afflictis, excussis Monachorum jugo Mystæ D. Aurelii Augustini sunt, & appellantur.

Hundius, postquam eadem ferme verba exscripsit T. II. *Metrop. fol. 140. Edit. Monac. de anno MDCXX.* agens de Monasterio Benedicto-Burano, addit T. III. fol. 114. ubi agit de Collegio Pollingano, „ Moniales a Gisala Imperatrice, & Conradi Salici uxore, quæ obiit sexto Calend. Febr. Anno 1041. 42. vel 43. primum ejus ætas esse ex isto loco substitutis Canonicis.

M. Velferus L. V. *Rerum Boicarum fol. 291.* dum varias Monasteriorum fundationes recenset, præ stupore quasi subsistens sic pergit: „ Sed Landfridi, Valdrami, Elilandi illustrium Fratrum in hoc genere Monumenta non tam laudem, quam admirationem habent, quam fere est, ut fidem vincant, quippe quibus maximorum hodie Regum comparata Munificentia tenuis sæpe & modica videtur; Sunt qui Valtario Bliantii Comite natos, Valtarium cum Martello ex Gallia venisse tradant: alii Antortæ & Loysæ Comites aliquanto probabilius existimant. Nam Peregrinitatis fidem Potentiæ æstimatio detrahit. Octo per omnem Boicam sparsere Monasteria . . . Origines distincte excutere aliam Historiam postulat. Beurn, Schlechdorf, Vessesbrunn, Polling supersunt post annos paulo minus octingentos, sive a primo ortu incolumia, sive restituta. Siverstatt, Sandau, Staphelsee, & Cochelsee ad cognomines utrumque Lacus perierunt. Bonifacius templa dedicavit, Cœnobia Legibus ad Benedictinam Normam instituit, Prioribus Monachi, postremis tribus Virgines transcriptæ, Cochelensi Gailsvindis, trium Fratrum Soror præfecta.

Præ his omnibus autem hic a nobis recenseri debet novissimus Chronici Benedicto-burani Conditor Carolus Meichelbeckius. Clarissimus hic Vir, postquam P. I. C. I. Monasterii sui Fundationem narravit, sic ulterius progreditur: „ Cum autem tantis ad vitæ Monasticæ Rigorem aspirantium turmis non sufficeret unicum hoc Buranum Monasterium, Fundatores illi nostri mox adjecere tria alia, nempe in Vico Cochelensi unum pro Virginibus Sacris, ac Sorore Gailsvinda futura loci Antistita, & quidem sub Patrocinio S. Michaëlis: alterum Schlechdorffii sub Invocatione S. Dionysii: tertium in Insula lacus dicti Staffelsee, quem tunc vulgo Staffelstagna appellabant, & quidem iterum sub Patrocinio D. Michaëlis. „ & fol. 8. ait: Tradunt dein Chronographi nostri donationibus hæcenus recensitis tempore Landfridi accessisse plures alias a Viris illustribus, qui accensi Sancto Fundatorum nostrorum & aliorum sequacium exemplo Facultates suas Deo & S. Benedicto consecraverint, ut adeo præter quatuor Monasteria recensita ex tot oblationibus etiam erigi potuerit Sandaviense, Wessofontanum, & Pollinganum. Id certe non igna-

„ runt

„ runt præcipui Rerum Boicarum Scriptores Domestici, Aventinus, Hundius, Velfe-
 „ rus &c. „ quorum testimonia, a nobis jam allata, hic adducit. De octavo autem
 „ five Siverstattenfi Monasterio fol. 9. prorsus nihil vult scire, de quo tamen citati Au-
 „ thores omnes mentionem faciunt, imo ex hoc ipso concludit, plerosque eorum suam
 „ assertionem non hausisse ex Documentis mere Benedicto-Buranis. „ Cæterum longe
 „ (ait) absimus, ut sententiæ, quæ Thaslilonem celeberrimorum Monasteriorum Pol-
 „ lingani & Wessofontani Fundatorem adstruit, suam derogare probabilitatem con-
 „ tendamus. . . . Nemo etiam prudens & bonus, uti penitus confido, vitio mihi
 „ vertet, quod circa Foundationem Monasteriorum ab hujus nostri Fundatoribus con-
 „ structorum a communi Bojariæ Scriptorum Sententia, totque domesticis Documen-
 „ tis non recedendum existimem, donec gravioribus & Authenticis Instrumentis aliud
 „ edocear. Si enim tot præcipuis Scriptoribus illis licuit sententiam ferre potius
 „ pro Landfrido & Fratibus, quam pro Thaslilone, quis mihi domestico succenserebit,
 „ si Famam illorum modeste propugnem, paratus tamen doceri cerciora, & ab omni
 „ altercandi studio alienus. „ Hucusque Meichelbeckius, a quo utique Viro in Chro-
 „ nico, ubi ex instituto, & fusc hac de re agit, Documenta magis decisiva licuisset ex-
 „ spectare, si alia in Scriniis Archivi reperisset præter illa, quæ Bernardus Pezsius jam
 „ anno 1721. T. III. Thesauri Anecdotorum fol. 595. &c. ex diversis Codicibus Bene-
 „ dicto-buranis ipso Meichelbeckio communicante, & Raymundus Duellius Canonicus
 „ Regularis San-Hippolitensis anno 1724. T. II. Miscellaneorum pag. 3. &c. ex Codice
 „ Veteri Apographo Pollingano, cujus Authographum Benedicto-buri adhuc extare
 „ haud dubitamus, communicante nostro Eusebio Amortio, ediderant. Hæc autem
 „ cum æque ac nostra Documenta trecentis & amplius forte annis a primæva Funda-
 „ tione, de qua sermo est, ætate dissent, re ipsa tanti momenti non sunt, ut majorem op-
 „ posita nostra Traditione apud eruditos pariant probabilitatem, imo tantum abest, ut
 „ recte intellecta, nobis etiam non contrarientur, ceu inferius videbimus. Certe longe
 „ alia est veterum Documentorum adhuc extantium jugis ac uniformis Traditio: Hæc
 „ enimvero docet, Thaslilonem Bajoariæ Ducem, hujus Nominis postremum, saltem
 „ *primarium* etsi non unicam Collegii nostri Pollingani exstitisse Fundatorem, utpote
 „ quod circa annum MCCL. in Memoriam Salvatoris, cujus in Cruce morientis Imagi-
 „ nem pictam hic locorum occasione Venationis quocunque demum modo repperat,
 „ pro Canonicis in Commune viventibus necdum suscitaverat, sed etiam Prædiis quam-
 „ plurimis dotaverat, veluti postea ostendam.

Interea autem id unum agam, ut contrariam illam opinionem Aventini, Hundii,
 aliorumque, qua dicunt, Moniales primum a Gisila Imperatrice & Uxore Conradi Sa-
 lici e Monasterio Pollingano fuisse ejectas, substitutis Canonicis, manifesti erroris con-
 vincam. Id autem facile efficio ex Diplomate S. Henrici, & ex Bulla Innocentii II.
 PP. ex quibus constat, Bona ab Henrico Ecclesiæ Pollingane anno MX. restituta, jam
 ante illius Diploma, imo ante irruptiones Hunnicas sæculi X. pertinuisse ad Ecclesiam
 Clericorum Religiosorum ibi Deo famulantium, non vero ad Monasterium Monialium.
 Sic enim habet Diploma Henricianum Autographum.

„ In nomine Sancte & individue Trinitatis. Henricus divina favente Clementia
 „ Rex. Si Ecclesiarum Dei Loca alicujus Boni Incremento meliorare vel ditare
 „ studuerimus, nobis id profuturum esse minime dubitamus. Quapropter omnium
 „ Christi Fidelium, præsentium scilicet, ac futurorum noverit Universitas, qualiter
 „ Nos divini amoris instinctu, ac remedio animæ nostræ, sive Interventu atque Peti-
 „ tione Egilberti Frisingensis Ecclesiæ Episcopi tale Prædium, quale in Villis Pollinga,
 „ Wilhaim, Ubingen, Rieden, Antistetti, Ascheringen, Hunenwanc, Phasenhoven
 „ nominatis Monasterio in honore Sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in ea-
 „ dem Villa Pollinga constructo prius pertinere videbatur, situm in Comitatu Adal-
 „ beronis Comitis, in Pago vero Hôsi, & postea in Beneficium multis datum fuit,
 „ nunc etiam cum omnibus ejus pertinentiis, seu appenditiis, areis, ædificiis, Pratis,
 „ Pascuis, Sylvis, Venationibus, aquis, aquarumque Decursibus, Moleudinis, Pisca-
 „ tionibus, Exitibus, & Reditibus, Viis, & inviis, questis seu inquirendis, atque
 „ cum Familiis utriusque Sexus, sive cum omnibus, quæ quolibet modo dici aut no-
 „ minari possunt, utilitatibus, atque cum cortalibus Decimationibus in illis duabus
 „ Villis Ubingen & Askyringun dictis per hanc nostram regalem Paginam corrobo-
 „ rando, & confirmando eidem Monasterio ad usum & stipendia Fratrum inibi Deo
 „ famulantium integre concedimus atque largimur, & de nostro jure ac Dominio in
 „ ejus Jus & Dominium omnino transfundimus, ea quippe ratione, ut præscripti Mo-
 „ nasterii Provifores, & Fratres ibi Christo servientes de jam nominato Prædio, &

„ Decimationibus sive eorum Utensilibus dehinc liberam habeant potestatem, ad uti-
 „ litatem tamen Ecclesiæ, quidquid eis placuerit, faciendi, omnium hominum con-
 „ traditione remota. Et ut hæc nostræ Corroborationis seu confirmationis Aucto-
 „ ritas stabilis & inconvulsa omni permaneat tempore, hoc Præceptum inde conscri-
 „ ptum manu propria corroborantes atque confirmantes Sigilli nostri Impressione in-
 „ signiri iussimus.

(L. S.)

Signum Domini Heinrici
 Regis invictissimi.

Guntherius Cancellarius vice vviligifi
 Atch. Capellani notavit.

Datum XVI. Kl. Mai, Indictione VIII. Anno Dominicæ
 Incarnationis millesimo X. Anno vero Domni secun-
 di Heinrici regnantis VIII. Actum Regenesburg fe-
 liciter Amen.

Jam in hoc Diplomate plura sunt, quæ evincunt, Bona non a Monialibus in Ca-
 nonicos translata, sed iisdem, ad quos jam prius pertinuerant, restituta esse, nempe
 Fratribus ibi Deo famulantibus; si enim Bona ibi recensita, & Monasterium S. Salva-
 toris in villa Pollinga constructum ante vastationes Hunnicas ad Moniales pertinuif-
 sent, his, non viris restitui debuissent: reddi etiam necessario debuisset causa Transla-
 tionis, vel certe male S. Henricus ad sui justificationem id siluisset. Perpendamus
 exactius singula Diplomatis Verba: imo dicit S. Henricus se restituere Prædium,
 quale in Villis Pollinga, Wilhaim, Ubingen, Rieden, Antisteti, Ascheringen, Hun-
 nenwanc, Phafenhoven nominatis Monasterio in honore S. Salvatoris in eadem villa
 constructo prius pertinere videbatur, sub quo Nomine *Prædii* tunc intelligebatur *Fun-*
dus Allodialis, qui ab omnibus agnoscebatur, prius jam pertinuisse ad Monasterium S.
 Salvatoris; sub Nomine autem *villarum* Bona Foundationis primæva ac præcipua in-
 dicabantur. 2do dicit, eam restitutionem fieri *Monasterio Salvatoris*, non *Monaste-*
riis illis octo vel septem, de quibus supra, quæque non solum omnia inter se habe-
 bant communia, sed etiam ab uno Supremo Capite regebantur ac visitabantur. 3tio
 dicit, quod tantum *alicujus doni incremento* Monasterium *meliovet & ditet*, reliqua ve-
 ro Bona eidem præcise Authoritate suprema *corroboret* atque *confirmet*. 4to dicit,
 quod illa Bona prius *multis in Beneficium* seu Feudum fuerint collata, nempe ab Ar-
 nulpho Duce Baviaræ, qui etsi alias optimus esset, ut multis inductionibus probat R.
 P. Agnellus Candler, propterea tamen apud Authores Nomen Mali indeptus est, eo-
 quod bona Episcopatum & Monasteriorum in Pacificationis Tractatu, postquam cum
 Conrado I. & Henrico Aucupe de Corona Imperii inaniter contenderet, sibi relicta,
 postea Militibus suis, hoc est, Nobilibus in Beneficium concesserit, veluti id passim il-
 lorum temporum Historiæ testantur. 5to dicit: *de nostro Jure* transfundimus, non
 de Jure Monialium. 6to tandem & ultimo dicit, se ea Bona concedere non in usus
 Monialium, sed in stipendia Fratrum *inibi* Deo famulantium, adeoque erant illo tem-
 pore *inibi*, id est, in ipso Monasterio S. Salvatoris (de alio enim in toto Diplomate
 nulla fit mentio) Canonici seu Clerici aliqui Religiosi, quibus proprie loquendo ob-
 servitia Clericalia debentur *stipendia*. Neque dicas cum Bucelino Germ. Sac. T. I. P.
 II. fol. 72. & Khammio P. III. Hierarch. August. fol. 437. per Fratres hic intelligi de-
 bere Monachos Benedictinos. Præterquam enim, quod illorum temporum Canonici
 in Commune viventes, æque ac Monachi, passim, & in Cathedralibus etiam Ecclesiis
Fratres appellentur, id aliunde etiam ex Hundio constat, S. Henricum in suis Char-
 tis, ac Diplomatum Benedictinæ Familiæ Sodales semper *Monachorum*, eorum vero
 Antistites *Abbatum* Nomine compellasse: sic expressè anno statim insequente, nempe
 Anno MXI. S. Henricus in Additionibus Hundii T. II. fol. 24. in Diplomate ad Mo-
 nasterium Benedictinum Altaichensè inferius dato Godehardum hujus Asceterii Anti-
 stitem vocat *Abbatem*, reliquos vero, *Monachos ibi Deo famulantes*: Cur in Diploma-
 te Pollingano alia usus sit scribendi formula? Vel ex solo igitur hoc Diplomate om-
 nia adversariorum argumenta veluti Somnia Somniantium dispelluntur. Sed sermo
 de

de hac re sæpius adhuc redibit, maxime cum loquemur de Regula Pollingana, ac de occasione, qua supradicta restitutio Bonorum a S. Henrico nobis facta fuerat.

Interea audiamus nunc Bullam Innocentii II. PP. ad Canonicos Pollinganos datam MCXXXVI.

„ Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Chunoni Præposito,
 „ & Fratribus in Ecclesia Pollingensi Regularem Vitam professis tam præsentibus,
 „ quam futuris in perpetuam rei memoriam. In eminenti Apostolicæ Sedis specu-
 „ la disponente Domino constituti, sollicitè providere nos convenit, ut religiosa loca
 „ paternis affectibus diligamus, & ne pravorum hominum agitentur molestiis, atten-
 „ tam diligentiam adhibere curemus. Quam ob rem Dilecti in Domino Filii Vene-
 „ rabilis Fratris nostri Waltheri Augustensis Episcopi Precibus inclinati, vestris Po-
 „ stulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Sancti Salvatoris sitam in Villa, quæ
 „ Pollinga dicitur, in qua divinis estis obsequiis mancipati, Apostolicæ Sedis Privile-
 „ gio communimus, statuentes, ut *vita Apostolica, & Ordo Canonicus* in eadem Ec-
 „ clesia divina suffragante clementia institutus perpetuis futuris temporibus ibidem
 „ inviolabiliter conservetur. Quæcunque præterea Bona, quascunque Possessiones
 „ in præsentiarum juste & Canonice possidetis, aut in futurum concessione Pontifi-
 „ cum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo
 „ propitio poteritis adipisci, firma vobis in perpetuum & illibata serventur, in quibus
 „ hæc propriis Nominibus duximus exprimenda: Villam videlicet Pollingam, in qua
 „ eadem Ecclesia ædificata est, ubi etiam secundum Beati Augustini Regulam Omni-
 „ potenti Domino divina exhibetis obsequia, Villam Wilhaim, villam Ubingen, vil-
 „ lã Friheim, villam Rieden, villam Ascheringen, villam Hunenwanch, villam Phafen-
 „ hoven, nec non cæteras Possessiones, quas Henricus quondam secundus Rex eidem
 „ Ecclesiæ vestræ *restituit*, atque contradidit. Sancimus etiam, ut nulli absque Fra-
 „ trum licentia post factam in eodem loco Professionem ad aliam Ecclesiam liceat
 „ transmigrare; prohibemus insuper, ut nemo aliquem ex pravo studio in Ecclesia
 „ vel Monasterio suo suscipere, vel susceptum audeat retinere: quodsi iidem transfu-
 „ gæ secunda vel tertia Fratrum suorum Denuntiatione commoniti ad eandem Eccle-
 „ siam redire contempserint, Prælato & Fratribus suis in eos Interdicti vel Anathe-
 „ matis sententiam proferendi licentiam indulgemus. Decimas sane, quas concessio-
 „ ne Pontificum possidetis, aut etiam in posterum adipisci poteritis, Apostolica vobis
 „ Authoritate firmamus. Porro Chrisma, Oleum Sanctum, Ordinationes etiam Cle-
 „ ricorum, qui ad Sacros Gradus fuerint promovendi, vel si quæ alia sunt Ecclesiasti-
 „ ca Sacramenta a Diocesano suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, &
 „ & Gratiam atque Communitatem Apostolicæ Sedis habuerit, eaque vobis sine pra-
 „ vitate & exactione voluerit exhibere, alioquin quemcunque malueritis Catholicum
 „ adeatis Antistitem, qui nostra fultus Auctoritate, quod postulat, indulgeat. De-
 „ cernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat vestram Ecclesiam temere pertur-
 „ bare, aut ejus Possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel quibuslibet molestiis fa-
 „ tigare, sed omnia integra conserventur, vestris, pro quorum Gubernatione ac su-
 „ stentatione concessa sunt, usibus profutura. Si quis ergo hujus nostræ Constitutio-
 „ nis Paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove com-
 „ monitus, si non præsumptionem suam satisfactione congrua emendaverit, Potesta-
 „ tis, Honorisque sui periculum patiat, & a Sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei
 „ ac Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in Extremo Examine districtæ ul-
 „ tioni subjaceat, conservantes autem eidem loco, quæ sua sunt, Omnipotentis Dei
 „ & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Benedictionem & Gratiam consequantur.
 „ Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus SS.

Ego Guilielmus Predestinus Episcopus SS.

Ego Theodewinus S. Rufinæ Episcopus SS.

Ego Anselmus Presbyter Cardinalis SS.

Ego Inzifredus Presbyter Cardinalis tt. Vestinæ. SS.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis tt. Sanctorum Joannis & Pauli SS.

Ego Grido indignus Sacerdos SS.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii & Bachi SS.

Ego Guido Diaconus Cardinalis Sancti Adriani SS.

Ego Boetius Diaconus Cardinalis Sanctorum Viti & Modesti SS.

Datum Pisis per Manum Aimerici Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis, & Cancellarii X. Kl. Novemb. Indictione XV. Incarnationis Dominicæ MCXXXVI. Pontificatus vero Domni Innocentii PP. II. Anno VII.

(L. S.)

Ubinam autem in hac Bulla vel minima memoria Monialium, aut Monachorum Benedictinorum? si Fratres illi, qui tempore restitutionis San-Henricianæ in Monasterio S. Salvatoris Pollingæ Deo in divinis obsequiis famulabantur, Monachi Benedictini fuissent, prout voluerunt Bucelinus & Khammius, quæso quando hi fuerunt substituti Monialibus? & illis Canonici Regulares? Si Gisila Imperatrix & Conjux Conradi Salici tempore illo intermedio inter Diploma San-Henricianum & hanc Bullam, ceu Hundius scribit, eiecisset Moniales substitutis Canonis, quomodo potuisset Innocentius a tam notabili Circumstantia penitus abstrahere? imo quomodo potuisset dicere, quod ea Bona, & Possessiones, quas Henricus quondam secundus Rex *eidem Ecclesie vestrae* restituit, & contradidit, nunc Canonis Pollinganis confirmet, si tunc eadem Ecclesia non fuerit Canonis, sed Benedictinorum aut Monialium? Quemadmodum ergo tempore Innocentii II. certo fuerunt Pollingæ Canonici Regulares, & Ecclesia Pollingana ad eos pertinuit, ita etiam tempore Henrici II. certo quoque fuerunt Pollingæ saltem aliqui eorum, qui rem sacram providerent, donec crescente numero prædiorum, quæ cura Henrici restituta sunt, numerus etiam cresceret Canonis.

Id, quod nunc dixi, & ex ipsis Documentis adhuc exstantibus satis clare ostendi, adhuc magis elucescit ex Antiquissima illa Regula, quæ Pollingæ in Monasterio S. Salvatoris jam dudum observabatur, *de Vita Canonica*, cujusque præcipua Capitula in Bavaria Sancta edidit Matthæus Raderus S. J. dum T. II. differit de Gerocho seu Gerhoho Præposito Reicherspergensis, nato Pollingano. Et quamvis Raderus non videatur indicare, ex quo tempore hæc Regula *de Vita Canonica* Pollingæ viguerit, eamque ante sexcentos annos sub Hildeberto primo ejus Monasterii Præposito observatam esse, verbis nimium Generalibus, nec sat exactis, tantum asserat, minime tamen dubitandum est, quin jam dudum ante Sæculum XI. ibidem floruerit. Sæculo enim XI. quo præter Regulam Portuensem sola fere Regula Augustiniana, seu Modus vivendi Augustinianus reflorescebat, ac tandem prædominari cœperat, non solum aliæ quæcunque Regulæ de Vita Canonica, ipsa Aquisgranensi non excepta, cæperunt languere, sed etiam penitus dissolvi, emori, ac evanescere, ut omnes norunt, ac consequenter verisimile etiam non est, Regulam Pollinganam, quæ teste Raderus Pollingæ Sæculo XI. servabatur, quæque magna ex parte ex Romana, Chrodogangæ & Aquisgranensi aliisque, ut infra examinabimus, compilata erat, quamque ob hoc ipsum magnus ille Gerhohus, cum a Canonis Augustinianis, jam vulgo sic dictis, Augustinianam exposceret Regulam, nec eam alicubi reperiret, per contemptum quasi, non nisi *excerptum de Dictis Sanctorum de vita Canonica* appellavit, post medium hujus Sæculi XI. Pollingæ primum ac recens fuisse introductam, sed juxta omnia sanioris Critices Principia omnino necesse est, eam jam dudum antea ibidem debuisse existere. Accedit, quod Raderus sibi ipsi contradiceret, si hanc Regulam primum sub Hildeberto, quem alias *primum* hujus Monasterii *Præpositum* male nominat; Pollingæ inventam fuisse vellet asserere: cum enim Raderus Volumen alterum Bavariæ Sanctæ Anno c. l. c. XXIV. jam ediderit, & idem eandem Regulam ante sexcentos annos etiam in Cænobio Pollingano lectam fuisse, l. c. f. 279. scribat, manifestum est, eandem, etiam juxta Raderum jam ante Annum c. l. c. XXIV. Pollingæ fuisse lectam, adeoque jam dudum antea, ut diximus introductam, ejusque introductionem cum Regimine Hildeberti, qui ad illud primum post Annum c. l. c. LXXIII. vocatus erat, nunquam posse componi. Ex ipsa igitur Regula Pollingana satis evincitur, nec Monachos nec Monachas Sæculo XI. Pollingæ existisse, aut certe de alia Gisila quam de Gisila Imperatrice & Conjuge Conradi Salici apud Hundium sermonem esse debere, quæ inde Moniales ejecerit substitutis Canonis.

Ast ut veritas ista magis eliquescat, jam ipsa Documenta contraria penitius inspiciamus. Documentum, quod Duellius edidit; sic habet: „ Conditores primi (Monasterii Benedicto-Burani) fuerunt tres fratres Landfrid, Waldram, Elliland - - -
 „ Deinde & alia tria grandi diligentia Monasteria instituunt, primum Chochalense,
 „ in quo Venerabilis eorum Soror Nomine Gailswindis Prædii sui parte tradita cum
 „ virginali degeret contubernio, secundum Schlechdorffense, tertium Staffelense,
 „ quibus duobus duo e præfatis fratribus Waldramo scilicet & Ellilando Portiones
 „ de Redditibus suæ fortis, quæ sufficerent, singula singulis condonarent - - - Land-
 „ fridus Abbas maxima vigilantia curam & vitæ Pabula susceptis ministravit ovibus,
 „ centum videlicet quinquaginta Monachis, vel quinquaginta Monialibus, quos ipse
 „ una cum Fratribus ex diversis elegerat finibus, e quibus huic loco probabiliores
 „ quinquaginta instituit, reliquos vero in illi subjecta distribuit Schlechdorffense, Wes-
 „ senbrunense, Staffelense, Santewense; idem per singula viginti tres fratres: in Co-
 „ chelensi & Pollingensi ejusdem numeri Virgines, quas Caulas - - - certis indefi-
 „ nenter diebus - - - visitabat - - - Prædictus Landfridus post XXX. annos obiit,
 „ in cujus locum Frater ejus Waldramus promotus - - - velocius itaque fama San-
 „ ctitatis ejus pervolante concurrebant non pauci utriusque Sexus in Castris Casti-
 „ moniæ cœlestis militaturi, inter quos emicuit Kifila Regina spectabilis Francorum
 „ genere orta, quæ calcatis mundi pompis venit a finibus suis - - - cum multo Co-
 „ mitatu, & divitiis & Capellanis suis, quorum & unus Frisingensis postea extitit
 „ Episcopus. Ingressa igitur templum immensa obtulit Sacrificia librorum, Thesau-
 „ rorum, Ornamentorum, & Villas Gutingen, Bnoch, Hrnstetten una cum Ecclesiis,
 „ ædificiis, cunctisque appendiciis - - - ipsa in Vestitu Religionis ad Sancti Micha-
 „ ëlis celebrem tunc Pudicitæ aulam se contulit - - - ibique degens omni vitæ suæ
 „ tempore Cœnobitis S. Benedicti Indumentorum abundantiam præbuit - - -
 „ Post multis temporibus elapsis - - - Arnolphus Dux Provinciæ usus Tyranide Fun-
 „ dum hujus Ecclesiæ (Burane) sicut & aliarum multarum diripuit, atque partici-
 „ pibus suis & Satellitibus suis in Beneficia distribuit; itaque pretium Redemptionis
 „ animarum usque in præsentem diem Curia & Curialibus servit. „ Hucusque Do-
 „ cumentum Benedicto-Buranum, scriptum, ut videtur, Sæculo XI. quia desinit in anno
 „ cłoXXXIII. cujus apographum, dum hæc scripsi, Manu Sæculi XIII. exeuntis exarat-
 „ tum, præ oculis habui. Ex hoc autem plus erui non potest, quam quod Scriptor Sæ-
 „ culi XI. absque allegatione, ac probatione, pure ac nude testetur, in loco, qui suo æ-
 „ vo Pollinga vocabatur, & tunc temporis, quo ipse vivebat, certo a Canonicis in com-
 „ mune viventibus habitabatur, extitisse ante trecentos plus minus annos Monasterium
 „ Monialium Landfridi Sororisque suæ Gubernio ac Visitationi subjectum.

Idem, quantum ad rem præsentem pertinet, dicit etiam alterum Documentum, desumptum ex Codice Ettalensi, apud Bernardum Pezium l. c. fol. 602. „ Landfridus
 „ (ipsissima verba recito) Venerandus Abbas postquam omnia rite ordinavit, id est,
 „ singulis locis Monachos instituit, inprimis in Buronensi loco quinquaginta Mona-
 „ chos Servitores Sancti Benedicti constituit; in Schlechdorffensi Monasterio viginti
 „ quinque Monachos instituit, in Wezzezprunnen viginti quinque Monachos ordi-
 „ navit; in Santowa viginti quinque Monachos instituit: in Cochalensi Monasterio
 „ viginti quinque Sanctemoniales: in Pollinga Monasterio Sancti Salvatoris viginti
 „ quinque Sanctemoniales instituit, quorum omnium tantam curam habuit, ut in Do-
 „ minica Die Capitulum faceret in Cœnobio Sancti Benedicti Confessoris, Feria se-
 „ cunda in Cochalensi loco, Feria tertia in Schlechdorffensi Monasterio, Feria quarta
 „ in Staphalastagna Monasterio, Feria quinta in Wezzezprunnen, Feria Sexta in San-
 „ towa Ecclesia, Sabbato in Pollinga Monasterio Sancti Salvatoris. „ Hucusque al-
 „ terum Documentum, ætatis, ut videtur junioris.

Ex nullo autem horum Documentorum, etsi alias utrumque nec paucis, nec le-
 vibus scateat Sphalmatis, vel verosimiliter etiam evincitur, illam ipsam Ecclesiam S.
 Salvatoris, quam hodie dum Canonici Regulares possident, fuisse quondam Monialium,
 ac multo minus pro Monialibus esse fundatam a Landfrido & Fratribus, ut cuique pa-
 tet. Si tamen in re historica (ut quandoque ob penuriam Documentorum etiam fie-
 ri debet) locus est Conjecturis, vix a scopo me aberraturum confido, si afferam, Mo-
 nasterium illud Monialium, quod a Scriptoribus Sæculi XI. Pollingæ floruisse dicitur,
 revera in Territorio seu Districtu Pollingano extitisse, proxime nempe ad Ripam lacus,
 in antiquissimis nostris Documentis Ottelensee dicti, ubi in hodiernum usque diem ve-
 tustissima & S. Jacobo Apostolo Sacra Ecclesia adhuc exstat, ab Ecclesia S. Salvatoris
 Pollingæ haud amplius quingentis passibus distita, *Gisilamque* illam, de qua supra ser-

monem fecimus, aliam non fuisse, quam *Kifilam* Reginam Franciæ, & exauthorati Childerici quondam Conjugem, de qua tum in Documento præallegato Benedicto-burano, tum alibi apud Meichelbeckium in Chronico fol. 13. &c. expressa mentio: & quis scit, an non hic ipse locus, ubi steterat vetus ille Parthenon, a *Ripa* lacus dictus sit *Siverstatt*, quod nomen postea aut abolitum, aut immutatum est, Thassilone in Vicinia in honorem Salvatoris novam Ecclesiam construente, Kifila vero Moniales ad Parthenonem Cochelensem reducente? Certe locus ille, qui nunc dicitur *Cbochalon*, seu *Cochl*, prius alio Nomine *Matbi* vocabatur, & primum sic appellari cœpit, postquam Ecclesia ædificata, & contubernium Virginum a Kaylswinde ibidem erectum erat, ut expresse habetur in Documento II. Benedicto-burano apud memoratum Pezium l. c. fol. 600. Cur simile quid etiam hic locorum contigisse improbable videatur, maxime cum constet, Nomen Pollingæ etiam huic loco noviter fuisse inditum, postquam ibi Thassilo novam Salvatori Mundi construxerat Ecclesiam, ut inferius videbimus? Eodem modo improbable non est, Gifilam, de qua Hundius, re ipsa aliam non fuisse, quam quæ in Documentis Benedicto-buranis sæpius occurrit, atque ibidem *Regali Francorum Progenie edita*, imo *Regina & Monialis Cochelensis* vocatur, quæque alia non fuit, quam exauthorati Childerici Regis Francorum Conjug, ut recte conjicit Meichelbeckius in Chron. Benedictob. P. I. C. I. §. III. Huic enim soli ea congruere possunt, quæ Hundius falso Gifilæ Conradi Salici Uxori, ut supra demonstravimus, attribuit; cum utique tempore posterius hujus Gifilæ nullæ amplius Pollingæ Sanctimoniales fuerint. Hundium autem, ut hæc scriberet, ab Aventino deceptum fuisse, haud ambigimus: dum enim iste in suis Rapsodiis hanc Monialium ejectionem, nescio ex quibus Documentis, annotasset, a Gifila quadam factam, quam simpliciter *Imperatricem*, non *Reginam* appellabat, Hundius id absque alio Examine de Gifila Imperatrice & Coniuge Conradi Salici, cum alterius Gifilæ congruum Notitiam ad manum non haberet, interpretatus erat. Nec me latet, alios id etiam adscripsisse Gifilæ Hungarorum Reginæ, & S. Henrici Imperatoris ac Restitutoris nostri Sorori, ut videre est in *Arnulpho male malo cognominato* R. P. Agnelli Candler Ord. Erem. S. Aug. ea potissimum ductos ratione, quod tempore Gifilæ Conradi Salici Uxoris jam nullus amplius Parthenon Pollingæ exstiterit, unde Moniales ejici potuissent. Sed hæc ratio pugnat etiam adversus Gifilam S. Henrici Sororem, & Hungarorum Reginam, cum non minus constet ex jam dictis, præsertim ex Diplomate San-Henriciano supra allegato, etiam hujus Gifilæ ætate, nullas jam Pollingæ Sanctimoniales fuisse superstites, quibus substituerentur Canonici; utpote cum his tanquam prioribus, iisque legitimis Possessoribus restitutionem Bonorum a Pientissimo Imperatore factam esse intelligamus, ne Nomine quidem Sanctimonialium in prædicta Regali Charta vel unica etiam Litterula indicato, quod tamen fieri non potuisset, si reapse aliqua ex illis tunc temporis Pollingæ adhuc exstiterent. Quodsi tamen Sanctimoniales in loco, qui Sæculo XI. Pollinga vocabatur, aliquando fuerint, quæ a quadam Gifila juxta Aventinum, Hundium, aliosque inde ejectæ fuerant, eam aliam fuisse a Gifila Regina & Moniali Cochelensi, exauthorati Francorum Regis Childerici quondam Coniuge, haud credimus.

His Aventini, Hundii, aliorumque de Fundatione Pollingana Opinionibus jam præmissis, partim quoque confutatis, partim etiam explicatis; audiamus nunc, quid de illa dicant Scriptores nostri domestici. Hi profecto omnes ipsam primam constructionem ac Fundationem Collegii Pollingani pro Viris Canonicis, seu Canonicam Vitam professis factam esse asserunt a Thassilone Bojariæ Duce, hujus Nominis ultimo, Utionis ex Hiltrude Filio; & quidem occasione alicujus Imaginis pictæ Christi Domini e Cruce pendentis, in Venatione, cui prædictus Dux præfens aderat, haud procul a lacu Ottelensee dicto, repertæ: „ Miro, inquit, Dux iste (Thassilo) ad molendum opus Deo tam acceptum inductus est Prodigio; nam cum is venationi incumberet, Cervæ a Canibus infestata derepente quasi insidiarum secunda substitit, terramque pedibus effodiendo ignoratas in eam usque diem Mortalibus Opes hoc ipso prodidit indicio; quo accepto Thassilo humum altius effodi imperat, tres Cruces, incertum a quo defossas, eruit, agnitoque Favore Numinis eodem in loco pro Clericis regaliter viventibus (qui postea Canonici Regulares dicti sunt) Monasterium mox condidit, in quo Sacrum felicissimæ Venationis spoliū reposuit, illudque in honorem Salvatoris mundi dedicari curavit. „ Ita quidem, quoad Substantiam Historiæ, Pollinga hucusque semper & scripsit & sensit de sua Fundatione primæva, jugi ac uniformi Traditione a temporibus longissimis suffulta. Dixi, quoad substantiam Historiæ, licet ipsi etiam Scriptores domestici quoad alia, ipsi Traditioni extrinseca, inter se non convenerint, aut certe confuse scripserint, aut etiam fabulas immiscuerint.

rint. Sic plurimum illos variasse legimus circa annum, quo hæc Venatio a Thassilone instituta sit. Aliqui illam retulerunt ad annum DCCXL. cujus testes adhuc extant antiquissimæ Tabulæ, publice quondam in Ecclesia S. Crucem ambientes, anno MCCCCXVI. pictæ. Cum enim biennio ante, nempe anno MCCCCXIV. Ecclesia cum Monasterio igne consumpta fuerit, hæc postmodum Tabulæ confectæ sunt, ut ad quatuor cornua Crucem ambirent. Ad partem dexteram superiorem repræsentabatur Thassilo iturus ad Venationem cum hac inscriptione: *da reit Tessilo an das Gayt ain her von Bayren.* Ad lævam vero Cerva effodiens terram, quam Venator cum canibus accurrens videt, cum sequenti Epigraphe: *Tessilo bat das bilt Gejagt das ist geflochen pis an die Stat die yezunt Polling bayst da bat es geschart un bat weder leut un hunt geflochen da bat man eingegraben un gefunden treu Creuz der ains in d' tafel Stet.* Inferius ad dexteram repræsentatur Thassilo cum multo Comitatu adducens Episcopum, subscriptis his verbis: *da pringt Tessilo den Byschoff und bil die Creuz erbeben.* Ad lævam autem Episcopus genuflexus elevat Crucem e terra, adjectis his verbis: *da erbebt man die drew Creuz.* Et Thassilo adstat, tenens manibus Ecclesiam cum Scheda, cui hæc inscripta: *da man die Creuz erbebt bat da gelobet Tessilo ain Closter ze stiften in den Ern Salvatoris und des beiligen Creuz das sol haissen polling. A. D. A. Q. O.* An ante incendium similis quoque Pictura S. Crucem ornaverit, nec affirmare, nec negare audemus. Alii alligarunt Venationem Thassilonis, & Foundationem Collegii Pollingani anno quarto Foundationis Wessofontanæ, unde sequentes vetustissimi Versus extant:

Cœnobium Fons Wessonis cognomine dictum
 Illustris Princeps Thassilo considerat
 Erecta in cœlum quem Scala instruxerat: inde
 Dux idem insignis reperit ipse Cruces
 Ternas per Cervam mire terram fodientem
 Cœlitus hinc motus Thassilo Cœnobium
 Fundavit Pollinganum elapsis tribus annis,
 Sedes cui ætheras det Deus Omnipotens.
 Utraque Claustra hæc Antistes Bonifacius almus
 Ore dicat proprio, dedicat atque Deo.

Wessofontanam autem Foundationem rejicit V. C. Cœlestinus Leuttner in annum DCCLIII. in Chronico sui Monasterii, hoc ipso anno post millesimum Jubilæo, edito. Distichon quintum videtur ab imperito quodam sequioris ævi adjectum.

Rursus alii Inventionem S. Crucis distulerunt usque ad annum DCCLXXXVIII. qui fuit ultimus Ducatus Thassilonis. Denique non desunt, qui eandem ad annum DCCL. vel circiter contigisse scripserunt, cum Thassilo Venationi adhuc puer, vel certe admodum Puer interfuisse legatur.

Verum hæc confusio, seu Variatio Scriptorum, etiam Domesticorum, nostræ Traditioni, ut jam dixi, non obest, quæ vera esse potest, etiamsi ex his opinionibus determinate nulla sit vera, imo singulæ in se falsæ. Quandonam enim Thassilo sit venatus, & venando hunc thesaurum invenerit, quo anno Monasterium fundaverit, aut cœperit construere, aut consummaverit, aut iterum auxerit, locupletaveritque, id nos ex nulla Traditione habemus, nec quisquam nostrum id unquam asseruit. Cæterum quamvis prima & secunda Opinio horum Scriptorum nunquam possit esse vera, cum Thassilo non potuerit venari, antequam nasceretur, nec S. Bonifacius dedicare Ecclesiam, postquam ad Superos jam abierat, silentio tamen præterire non possumus, quod similia Sphalmata etiam in aliis vetustis Chronicis legamus. Sic breve illud, sed teste Bernardo Pezio T. III. Thesauri Anektorum f. 595. *perantiquum Chronicon Monasterii Benedicto-burani ex Codice Monasterii Ettalensis Ord. S. Bened. erutum ab Adm. R. & Cl. P. Carolo Meichelbeck, qui & notulas addidit, expresse habet Cap. 2. Beatos Vivos Landfridum, Waldramum &c. post, id est, postquam Anno ab Incarnatione Domini DCCXL. Indictione VIII. sub Zacharia Papa, Rege Carolo &c. præter Buranum tria adhuc Cœnobia jam condidissent, statim arripuisse iter in Franciam ad Sanctum Virum Bonifacium, Mogunciensis Ecclesia Archiepiscopum, ut ipsius Benedictione istæ Ecclesie cum Monasteriis adjunctis dedicarentur, idque factum esse (ait Vetus ille Chronista) cum consensu Thessilonis Ducis, ac Comprovincialium Episcoporum Consilio, maximeque Augustensis Episcopi Winciperti.* Ecce hic Iter horum Fratrum statim post annum DCCXL. vel forte ad finem hujus ipsius anni post condita Cœnobia, institutum ad Archiepiscopum Bonifacium, expresse etiam connectitur cum Ducatu Thassilonis, utpote cujus consensum expetierant. Non quidem me latet docta Animadver-

sio V. C. Meichelbeckii, qui in Notis pro *Thassilone Utilonem* legendum monet, quia *Tbessilo* seu *Tbassilo* eo tempore (ut ait:) *juxta communem Scriptorum calculum aut natus nondum erat, aut adhuc in Cunis vagiebat.* Dura tamen mihi videtur hæc veteres Historicos sic corrigendi ratio, præsertim cum id ipsum sæpius l. c. occurrat. Interim hæc non ideo a me dicta velim, ac si id ullo modo vellem defendere, donec certiora aliquando, si adhuc aliqua supersint, producantur Documenta, sed ut Eruditus Lector saltem agnoscat, non adeo desipuisse etiam eos ex nostris, qui id ipsum, & forte post alios scripsere. Porro quod attinet opinionem eorum, qui Inventionem S. Crucis differunt ad annum DCCLXXXVIII. posset forte dici, eos locutos esse de omnimoda & perfecta consummatione Fundationis, quamvis hanc ipsam Opinionem in nullo nostrorum Scriptorum reperiam; Si a Meichelbeckio pag. 12. Chron. Benedictobur. adducatur Imago dudum æri incisa, ubi ad annum DCCLXXXVIII. inventio S. Crucis Pollingana referatur, ex hoc plane non probat, hanc ipsam Imaginem sic jussu, & voluntate Monasterii Pollingani fuisse incisam, multo minus hanc esse ejus mentem circa Inventionem S. Crucis.

Demum examinanda venit eorum Opinio, qui Venationem Thassilonicam cum Inventionem S. Crucis ad annum DCCL. vel circiter referunt. Putat autem Meichelbeckius, hunc annum haud posse congruere; Arenbeckius, ait ille in Hist. Frising. T. I. pag. 40. *Thassilonis Nativitatem reponit ad annum Christi 740. Aventinus, quem sequitur Scriptor Mausolæi S. Emmerami, ad annum 741. Oculatioes vero Bojorum Historiographi Velferus, Raderus, Brunnerus, Adeltzeitterus, Rettenbacherus, ad annum 742. consignant; alii denique cum Steindelio ad annum 743. differunt.* Et post aliqua suam sententiam addit his verbis: *propius sane fortassis erit, ut ejus Natalem lucem ad annum 743. quam ad annum 742. ne dicam 741. reponamus, quod Eruditi Lectoris Crisi lubentes committimus.* Si autem Thassilo primum anno 742. vel 743. natus est, non capimus (pergit V. C. pag. 50. l. c.) *quod quidam tradunt, nempe Thassilonem anno Christi 750. ætatula suæ ad summum octavo, equo sublimem Cervos aut etiam Apros fuisse infectatum; certe si eo innocuæ voluptatis Geneve gaudere Thassilo unquam voluit, in ætatem robustiorem differre necessario debuit.* In tot Thassilonis Instrumentis Frisingæ asservatis nullum de Thassilonis etiam adulti, Venationibus vestigium occurrit. Ita Meichelbeckius l. c. Jam ponamus, Thassilonem anno 750. plus ætatis non habuisse, quam octo aut novem annorum, quid tum? An non primum Principum, dum adhuc pueri essent, Exercitium, ac quasi quoddam Præludium ad Bella crebra Venationes erant? *Olim (verba sunt Plinii in Paneg. c. 81.) hæc Experientia Juventutis, hæc voluptas erat, his actibus futuri Duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu &c.* Certe si in Partbia natus esset (ait Seneca Ep. 36.) *arcum infans statim tenderet, si in Germania, protinus puer tenerum hastile vibraret . . .* An non Ascanius, dictus Julius, Æneæ filius, adhuc puer, jam grandis Venator erat? an nunquam legit Venationes ejus, quibus ut puer operam dabat? En! ut unam earum, cui Dido ipsa & Æneas una cum Ascanio, suo filiolo, intererant, P. Virgilius Maro L. IV. Æneidos a V. 130. describit. Ibi, ubi apparatus, & Comitatum Didonis ad Vexationes abeuntis narraverat, dein a V. 140. sic ulterius pergit:

Nec non & Phrygii Comites, & lætus Julius
Incedunt, ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Æneas, atque Agmina jungit &c.

& post pauca :

Postquam altos ventum in Montes, atque invia lustra
Ecce feræ Saxi dejectæ vertice Capræ
Decurrere jugis, alia de parte patentes
Transmittunt cursu Campos, atque agmina Cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montesque relinquunt.
At Puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo, jamque hos cursu, jam præterit illos
Spumantemque dari pecora inter inertia Votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem &c.

Aliam ejusdem Pueri Ascanii Venationem L. VII. sic describit, ubi inter alia a v. 475. usque ad v. 505. hæc habet: Exploratum nempe fuisse,

Quo littore pulcher
Insidiis Cursuque feras agitabat Julius
Hic subitam canibus rabiem Cocytia Virgo

Objicit,

Objicit, & noto nares contingit odore
Ut Cervum ardentem agerent. - - -

Dein hic Cervus, qualis erat, describitur, & hunc (pergit)

Hunc procul errantem rabidæ venantis Juli
Commovere canes, Fluvio dum forte secundo
Deflueret, ripaque æstus viridante levaret,
Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore
Ascanius curvo direxit spicula cornu
Nec dextræ erranti Deus abfuit, actaque multo
Perque uterum sonitu, perque Ilia venit arundo.

Ex his quis non videt Principibus, *etiam Pueris*, laboriosissimas Venationes Cervorum aut Aprorum non solum non fuisse infuetas, sed etiam frequentes. Sic de Honorio Augusto Claudianus expresse testatur, ipsum a prima pueritia venationibus fuisse deditissimum, unde in Carmine de IV. Consulatu Honorii v. 160. canit:

- - - - - Tibi sæpe Diana
Mænaios arcus, venatricesque Pharetras
Suspendit *puerile Decus*. - - -

Id ipsum refert Xenophon non solum de Cyro *ad hoc Puer*, quod a prima ætate Venationibus fuerit addictissimus, Aprumque prostraverit, Ephebos vix egressus; sed etiam de aliis Persarum Nobilibus, quod decimo ætatis anno in omni Venationum genere jam fuerint exercitatissimi. Videatur Cyropædia Xenophontis L. I. n. 2. & 5. Ubi plura ad hanc rem invenies. Cur igitur id de solo Thassilone *imperceptibile* sit, plane non capio. Accedit, quod idem Thassilo jam Anno DCCLIV. ineunte, nempe ad Kalendas Martias more Francorum in Campo Martio comparuerit, cum Pipino Rege adversus Aistulfum Langobardorum Regem moverit, ac paulo post Obsidioni Urbis Ticinensis magna cum laude interfuerit, ceu expresse testantur *Annales Francici breves vulgo Nazariani dicti*, his verbis: *Anno DCCLIV. venit Dasso ad Martis Campum &c.* ubi in Notis V. C. Martinus Bouquetus addit: *Tassilo Bajoariorum Dux Pippinum comitatus est in Expeditione, quam Anno 755. suscepit adversus Aistulfum Langobardorum Regem &c.* Videatur le Recueil des Historiens des Gaules & de la France par Dom. Martin Bouquet &c. T. V. pag. 10. Idem testatur l. c. pag. 359. *Chronicon breve in Monasterio S. Galli scriptum* his verbis: *Anno DCCLIV. venit Dasso ad Martis Campum &c.* Erat autem ætas Thassilonis anno DCCLIV. jam satis matura ad tractanda arma bellica adversus hostem, cur immatura censeatur fuisse *Anno DCCL. vel circiter* ad sustinendas Venationes etiam laboriosas, puta, Cervorum, Aprorum &c. quæ illo tempore primorum instar Rudimentorum habebantur ad artem bellicam probe addiscendam, & in Praxin brevi redigendam? Dein juxta ipsum Meichelbeckium Thassilo saltem Anno 748. Ducatum Baviaræ jam suscepit; Arembeckius in Cronico Bajoariorum l. 2. c. 8. tradit, Thassilonem iniisse Ducatum vivente adhuc Patre Utilone Anno DCCXLVII. quem plures alii sequuntur. Quantum circa hoc Veterum Testimonia varient, eruditus Lector apud Bouquetum supra citatum T. III. & T. V. facile indagabit; Quidquid autem sit, id omnino certum est, Thassilonem Anno 749. actu Ducasse, sive Pater ejus adhuc fuerit in vivis, ut defendit Meichelbeckius, sive jam fuerit tunc mortuus, ut patet ex Annalibus Francorum Ludovici du Four de Longuerue apud Bouquetum T. III. pag. 705. aliisque præsertim Gallis Scriptoribus communiter. Quando autem Thassilonem ad Annum 749. (& jam antea) actu Ducasse assero, sub hoc veteri atque nunc obsoleto termino nil aliud intelligo, quam quod actu tunc temporis ea potuerit exercere officia, ad quæ vi status sui obligabatur. Et sic legimus Donationem quamdam a Thassilone Duce Bajoariorum (ut refert Meichelbeckius Hist. Frising. T. I. pag. 48. & 49.) *propria ipsius Manu confirmatam*, quæ Donatio facta est XII. Die Februarii in loco nuncupante Machinga, quamque idem Meichelbeckius l. c. ad Annum 749. alligat. Hanc statim alia sequitur ibidem Anno sequente 750. pariter confirmata a Thassilone Duce Bajoariorum & facta *præsente Domino illustri Duce Thassilone, & Judicium ejus consentientibus cum illo* pariter quorum Nomina ex parte ibidem scripta recensentur, qui signum Manuum eorum firmaverunt. Primum dein signum apposuit *Manus Thassilonis Ducis &c.* Quodsi vero tunc temporis jam ita ducare petuerat Thassilo, ut ipsemet præfens interfuerit publicis Judiciis, Donationibus, Contractibus, eosque propria Manu confirmaverit, Judicium ejus reliquis, qui cum illo aderant, consentientibus seu collaudantibus, cur non potuerit in hac ipsa ætate ad hunc ipsum Annum

vel circiter, ad Annum scilicet DCCL. quem vetustissimi Annales Petaviani & Masciacenses singulariter annotant *sine hoste* fuisse, Venationibus quandoque indulgere, ut ad tractanda arma, bellique incommoda sustinenda fieret exercitior? Etiam si igitur omnia, quæ Meichelbeckius de Nativitate Thassilonis, aut de Initio Ducatus ejus statuerat, essent verissima, tamen imperceptibile non foret, ut ipse quidem putat, Thassilonem in ea ætate potuisse Venationibus indulgere, quam incerta autem sit tota Thassilonis Chronotaxis, facile possem ostendere, nisi id erudito Lectori hic molestum, atque supervacaneum ducerem. Videatur Bouquetus l. c.

Porro cum Nomen novum loco Inventionis inditum esse tradant Authores, id non a latratu Canum, sed a situ loci desumptum putamus; cumque plures reperiantur Pollingæ in Bavaria, Tyroli, Suevia &c. haud dubie, sicut omnium Nomen simile est, ita commune etiam requirunt Etymon, sumptum a Verbo *Pol* vel *Pole*, quod *Planitiem* seu *Planum*, & a verbo subfixo *ing*, quod in Nominibus Mansionum *terram* significat, & quidem in appellativis *terram novam*, ceu Wachterus in Prolegomenis Glossarii Germanici pag. 28. & 32. docet, nostræ certæ Pollingæ de qua hic agimus, utpote in amœna Planitie sitæ hoc Etymon perfecte congruit. Et hæc, quæ hucusque de Fundatione Pollingana fusius adduximus, nunc dicta sufficiant.

SEQUUNTUR
ALIQUA MEMORABILIA
CUM
ORDINATA PRÆLATORUM SERIE.

De primis duobus Sæculis post Inventionem S. Crucis Pollinganæ, ferme usque ad initium Sæculi XI. haud aliquid possumus proferre in medium, quia illorum temporum Documenta, ut jam ab initio diximus, ob continua fere Bella, repetitasque Hunnorum invasiones, aut communi cum Monasterio incendio penitus perierunt, aut certe alio, si alicubi adhuc latent distracta sunt. Id solum certo scimus, Sæculo X. sub Arnulphis Bavariæ Principibus non solum pleraque Monasterii Prædia jam fuisse distracta, Militibusque in Beneficium concessa, ut expresse habet Diploma San-Henricianum supra a nobis allegatum, sed & locum ipsum Pollinganum Episcopis Augustanis sub specie Beneficii, Feudi, aut Commendæ, ut nunc loqui solemus, aliquanto tempore servasse. Vero simile est, S. Crucem Pollinganam hac ipsa ætate, ne Hunnorum Furori in Prædam cesserit, Augustæ Vindelicorum alicubi fuisse asservatam; hujus Rei Indicium non leve præbet mihi Venerabilis quidam Evangelicorum Codex Sæculo X. exaratus, & in Bibliotheca Electorali Monacensi nunc asservatus, cujus compactura ex Ebore Effigiem Crucifixi ex una, ex altera autem Parte Judicio Eruditorum Ottonem Magnum, qualiter S. Udalrico Episcopo Augustano Dona ferat, repræsentat. Certe ovum ovo non tam simile est, quam Imago Salvatoris e Cruce pendentis ibi expressa Imagini nostræ Pollinganæ.

Serviebat autem Pollinga Episcopis Augustanis tanquam *curtis*, ut loquitur Dithmarus Episcopus Merseburgensis a Leibnitio restitutus T. I. Script. Brunsw. L. IV. pag. 358. & Annalista Saxo apud Eccardum T. I. Script. med. ævi pag. 377. usque ad tempora Brunonis Episcopi Augustani, Germani Fratris S. Henrici ex Bavariæ Duce Regis ac Imperatoris Germaniæ; quo ipso tempore, cum præcipua Prædia Episcopo cesserunt, aut Militi in Beneficium data erant, non nisi pauci Religiosi Clerici, quos Matricularios aut Obedientarios Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ tunc vocabant, Pollingæ erant, quique ipsi, ut rem divinam curarent, ac S. Crucis Cultum publicum conservarent, non tam ex Redditibus Fundorum, quam ex aliis stipendiis adventitiis sub uno aliquo Provisore Episcopali, qui vices quasi Prælati gereret, inibi nutriebantur, & alebantur; donec facta tandem restitutione Prædiorum ac Fundorum, saltem primariorum, res aliam faciem induerit.

Porro Restitutioni huic ansam præbuit Transitus Funeris Ottonis III. ex Italia cum Exercitu reducis per Pollingam tunc adhuc Curtem Sigefridi Episcopi Augustani; hac namque occasione factum, ut Henricus, pius ille Bojariæ Dux Poilingam venerit, ac ipse coram præsentem illius statum fuerit intuitus, in quo scilicet pauci illi Clerici

Clerici Canonici tunc Salvatori mundi deservirent. Operæ pretium esse videtur, Rem hanc paulo fufius recensere ab ovo. Erudito Lectori ignotum esse non potest etiam ex aliis Historicis illius ævi, qualiter nempe Funus Ottonis III. postquam ad Castrum Paternum prope Civitatem Castellanam X. Cal. Februarii Anno MII. obiit, ex Italia in Germaniam conductum fuerit. Præter complures Germaniæ Proceres, Episcoposque, qui una cum Exercitu Funus Regium per Bavariam Aquisgranum comitabantur, in eo Conductu præcipui fere erant Heribertus Archi-Episcopus Colonienfis, cui brevi ante Mortem Otto Imperialia Insignia commisit, & Syfridus seu Sigefridus Episcopus Augustanus. Postquam deventum erat Bernam, quam nunc vulgo Veronam dicimus, ultimam fere Civitatem Italia, iter rectissima per Tyrolim via Pollingam, de qua nobis hic sermo, instituebatur; neque audiendus est hic Eccardus, vel quisquis alius Indicis Compilerator fuerit, dum ad Annalistam Saxonem, quem T. I. Scriptorum medii ævi edidit, in Indice, re non satis discussa, addit hæc verba: *Pollingen Curtis Suevia*. Quamquam enim in Suevia, in Diœcesi nempe Constantiensi locus sit, cui Nomen Pollingen; hic tamen de eo sermo esse non potest, ut patet ex sequentibus: Nam ubi Pollingam ventum est, Curtem Sigefridi Augustani, obviam hic Regio Funeri occurrit cum multo Procerum suorum Comitatu Henricus Dux Bavariæ, & ut se in Dominum ac Regem eligerent, tanquam proximus Agnatus multis precibus institit. Nec deerant etiam, qui hanc Electionem summopere urgerent, quos inter primus erat Sigefridus, cujus eo tempore, ut diximus, Pollinga Curtis erat. Verum cum Heribertus Archi-Episcopus Colonienfis, Imperiique Cancellarius Electionem hanc differre, vel potius in alium etiam Candidatum transferre velle videretur, Henricus Imperialia Insignia audacter ab eo petiit, nec prius destitit, donec eadem etiam obtinuerit; cumque idem Heribertus Sacram Lanceam (puta S. Mauritii) inter Clenodia Augustalia clam jam præmississet, prius inde discedendi Facultatem ab Henrico non obtinuit, quam Fratrem suum eo usque obsidem daret, donec Sacram Lanceam remitteret. His Pollingæ peractis Henricus ipse per terram suam Funus una cum Exercitu Augustam Vindelicorum deduxit. Ubi autem per *Movingam* (nunc *Meringam*) perventum est *Muneborg*, id est, *Fridbergam*, tunc Curtem seu Curiam Ducis Bavaria, haud procul Augusta disitam, a publica pace quondam ibi stipulata sic dictam, ut pronum est conjicere ex his, quæ Wachterus in Glossario germanico, Verbo, *Mund* & Schilterus in Thesauro Antiquitatum Teutonicarum Tom. III. pag. 604. docent, ubi, inquam, perventum est Fridbergam, Henricus ipse suis humeris Corpus Imperatoris in Civitatem subvexit, ac Intestina ejus in Basilica S. Afræ juxta Sepulchrum S. Udalrici, sive, ut Dithmarus & Annalista Saxo loquuntur, in *Oratorio Sancti Præfulis Otbelrici*, quod in honorem ejus Luidolphus ejusdem Ecclesiæ Episcopus in Australi parte Monasterii S. Afræ construxit, decentissime sepeliri fecit; quo facto Funus adhuc profecutus est usque ad Civitatem suam, quæ vocatur nova, ac tandem valedicens singulis, qui illud Aquisgranum ulterius comitabantur, ipse remeabat ad propria.

Hac jam occasione, cum Henricus Pollingam venisset, contigit, ut supplices illi Preces a Provifore loci hujus propterea porrigerentur, & quamvis illæ in his circumstantiis videbantur importunæ, tamen ita benigne eas excepit, ut, quemadmodum eventus docuit, suo saltem tempore fuerint exauditæ. Ad hoc autem plurimum contulit Solertia ac Vigilantia Egilberti, Henrici Cancellarii, qui & ipse tunc temporis Pollingæ una cum suo Duce præfens aderat; Hic ex nobilissimo Comitum de Mospurgo sanguine progenitus, cum postea ab Henrico Rege ad Infulas Frisingenses esset promotus, effecit etiam, ut tandem post mortem Sigefridi Episcopi Augustani, qui Pollingam usque huc in Beneficium tenuit, quemque dum viveret, Rex Henricus nullatenus in sua possessione turbare voluit, aliqua Bonorum saltem præcipuorum Restitutio sit decreta, ac paulo post, nempe Anno MX. Regali Charta, ac publico Diplomate etiam confirmata.

Ex hoc Diplomate, quod supra dedimus, & ex parte jam explicavimus, discimus insuper, situm fuisse Monasterium, in Villa Pollinga constructum, eo tempore in Comitatu Adalberonis in Pago Hôsi: quousque autem tam Pagus, quam Comitatus iste se extenderit, non est equidem tam facile limites ponere. Si loca considerentur, quæ in hoc Diplomate continentur, in variis jam Dynastiis ea sita sunt. Ad Præfecturam Weilheimensem nunc pertinent Pollinga, Weilhemium ipsum, Anstetten, seu corrupte l'Anstetten, & Ascheringa; Ad Dachaviensem Rieden, & Ubingen, seu Aubingen; Ad Landspergenssem Hunnenwanc seu Höchenwang; & ad Starenbergensem Pfaffenhoven. Verum ampliorem longe fuisse adhuc Districtum Pagi Hôsi scimus, determi-

nare autem non audemus. Dicere porro, quis aut qua de gente fuerit Adalbero ille, qui tanquam Comes huic Pago eo tempore fuerat Præfectus, videtur adhuc altioris esse indaginis. Sunt, qui existimarunt, Adalberonem illum fuisse ex Comitibus de Sempta & Ebersperg; nec caret etiam sua veri-similitudine hæc opinio; constat enim, hoc ipso tempore ex nobilissima hac Familia aliquem in vivis fuisse Adalberonem Nominem, Udalrici Comitis de Sempta & Ebersperg ex Richarde Filium, qui Richlindem Filiam Rudolphi Suevi, Sororem Wolfhardi Comitis pro Coniuge habuit, huncque absque liberis obiisse Anno MXLV. ceu Chronicon Eberspergensis antiquius ab Anonymo Sæculi XI. conscriptum, & a Viro illustrissimo, nostrique Sæculi eruditissimo, ac Rei litterariæ Boicæ Statore Summo, Andrea Felice Oefelio, Electoralis Bibliothecæ, quæ floret Monachii, Supremo Præfecto, inter Scriptores suos Boicos T. II. quamprimum Typis Augustanis luci publicæ edendum, luculenter testatur. Ulterius opinio hæc firmatur ex eo, quod de hoc Adalberone habet Meichelbeckius in Chronico Benedicto-Burano P. I. C. V. §. III. pag. 39. narrat namque, qualiter hic ipse Adalbero Prædia quædam suo Monasterio admodum contigua & vicina, imo locum ipsum Buron dictum, ubi Monasterium erat, titulo Feudi seu Beneficii possederit usque ad annum MXLVIII. ea autem hoc anno restituerit: pro confirmatione etiam affert Diploma hunc ad annum Monasterio suo datum ab Henrico III. ubi Imperator dicit se - - *Interventu atque Petitione Adalperonis Comitis nec non Gotebelmi Abbatis tale Prædium, quale in illis quatuor Villis Buron, Cochalon, Pubila, Orta, nominatis Monasterio - - - in eadem Villa Buron constructo prius pertinere videbatur, situm in Comitatu Oudalschalchi Comitis, in Pago vero Huoson, & postea in Beneficium multis datum fuit - - - nunc &c. ad usum & stipendia Fratrum inibi Deo famulantium integre concedere atque largiri &c.* Quodsi res ita se habeat, quod Adalbero ille, cujus Interventu ac Petitione restitutio hæc facta est, fuerit de Familia Comitum de Sempta & Ebersperg, qui Richlindem Uxorem habuit, quod Meichelbeckius, non tamen Diploma ipsum dicit, vix est ambigendum, hunc ipsum Adalberonem fuisse etiam illum, in cujus Comitatu tunc sita erat Pollinga, quando ab Henrico II. huic Monasterio restituta sunt Bona, quæ illi fuerunt ablata, ac aliis in Beneficium data, & forte Adalberoni ipsi, saltem aliqua, in cujus Comitatu & Pago, cui præfectus erat, hæc erant sita. Idem Meichelbeckius T. I. Hist. Frising. pag. 230. recitat Instrumentum Commutationis Bonorum, factæ inter Episcopum Frisingensem Egilbertum, & Adalberonem Comitem de Sempta Anno MXXXIII. *filium Oudalvici strenuissimi Comitis Regula justitiæ Noricæ (ut loquitur Diploma) Comitatum Provincia gubernantem.* Hundius in Metropoli Salisburgensi T. II. pag. 247. Fundationem Monasterii Chiebacensis, factam vi Diplomatis, quod ibi adducit, ad annum 1011. a quodam Fidelium Henrici II. qui Comes erat officio, Nominem Adalbero, adscribit Adalberoni Comiti de Sempta & Ebersperg. Quodsi, inquam, hæc vera essent, verosimile etiam foret, Adalberonem, in cujus Comitatu tunc situm dicitur Monasterium Pollinganum, re ipsa alium non fuisse, quam quem sub id tempus legimus Comitem fuisse de Sempta & Ebersperg.

Verum his, quæ hic attulimus, opponi posset, nec Hundium, dum loquitur de Fundatione Monasterii Chiebacensis, nec Meichelbeckium, dum loquitur de Restitutione Prædiorum quorundam sui Monasterii, vi Diplomatum ab ipsis adductorum probare, aut etiam verosimile reddere, quod Adalbero, de quo in illorum Diplomatis adductis fit mentio, fuerit ex Comitibus de Sempta & Ebersperg. Quod Hundium attinet, potest is solide refutari ex Anonymo Eberspergensis Chronici antiquioris supra a nobis allegati Auctore. Si enim Adalbero Semptensis fundasset Parthenonem Chiebacensem, ut putat Hundius, utique id Anonymus ille silentio non præterisset, cum is ipse referat Fundationem Parthenonis Geiffenveldensis factam ab Eberhardo Comite de Sempta & Ebersperg Adalberonis Fratre germano natu minore? Videtur igitur Adalbero ille, qui fundavit Monasterium Chiebacense, ex alia fuisse familia, quam Comitum de Sempta & Ebersperg. Meichelbeckius vero vult ex suo Diplomate contra testimonium Anonymi Coævi, aliorumque, Chronotaxin Adalberonis Semptensis corrigere, ejusque obitum, qui revera Anno MXLV accidit, in Gratiam Diplomatis a se relati extendere post annum MXLVIII. Verum ob id ipsum forte alius est ille Adalbero ab Adalberone Semptensi, qui jam Anno MXLV. obiisse ab Anonymo Eberspergensis dicitur, vel Diploma ipsum a Falsitatis Suspensione se non satis liberat. Certe Diploma illud a Meichelbeckio allegatum semper mihi videbatur mirum & mysticum ne dicam plura; præterquam enim quod de verbo ad verbum (exceptis Nominibus propriis Personarum & locorum) cum Diplomate Pollingano ante triginta & octo annos ab Henrico II. nobis dato (quod tamen non insolitum esse probe

be scimus) congruat, dicitur insuper in eo, quod Prædia ibi nominata sita sint *in Comitatu Oudalschalchi Comitis in Pago vero Huoson*; cumque hoc Diploma impetratum fuerit Interventu & Petitione Adalberonis Comitis &c. ipso adhuc vivente, ut explicat Meichelbeckius, penetrare plane non possumus, quomodo vivente adhuc Adalberone Oudalschalchus hunc Comitatum acquiserit, aut quo ex genere ipse fuerit, cum ex supra dicto Chronico Eberspergeni certum sit Adalberonem nullos post se reliquisse Liberos, nisi dicamus, Oudalschalchum hunc fuisse ex Comitibus Wittelsbacensibus, qui, cum extincta esset stirps Comitum Semptensium, tanquam proximi Agnati his successerunt. Cæterum advertimus adhuc, quod Gewoldus in Additionibus ad Hundium T. II. pag. 250. ait: Moniales nempe Chiebacenses alium Fundatorem ex suis vetustis Monumentis non agnoscere, quam *Comitem Wittelspacensem Adalperonem*; quisnam autem hic fuerit, ulterius non dicit, an fuerit idem cum Comite Semptensi, an alius ab illo, ut voluit Hundius, penitus abstrahit. Nos quoque de nostro Adalberone, in cujus Comitatu olim sita erat Pollinga, rem in medio relinquimus, an fuerit ex Comitibus de Sempra, vel ex alia nobilissima quadam Familia, puta, Wittelsbacensi, Schyrensi, Andecensi &c. Certe Hundius sibi ipsi non constat, quando T. II. pag. 140. aliquos Advocatos Monasterii Benedictoburani recenset, & ait: *de qua autem Familia hi fuerint, an de Sempra, an vero de Hufin, hoc est, Andecensi, ut Aventinus in Epithomate ponit, sed in Chronico nihil &c. non satis constat, puto autem fuisse Comites de Sempt.* ita Hundius; quamvis curiosus Lector nec Nomina quidem eorum apud Semptenses Comites circa illa tempora inveniet. Sed de hac re satis, donec certiora doceamur. Redeamus jam ad Propositum nostrum.

Cum tali modo paucis illis Religiosis Clericis, Canonicisque ex renuntiantibus & non renuntiantibus mixtis, qui tunc parochialia potissimum Munia in Vicinia exercebant, supra nominata Prædia una cum Pollinga ipsa, quæ jam longo tempore Episcopis Augustanis quoad redditus serviebat, a Pientissimo æquique amantissimo Imperatore, consentiente vel certe non contradicente Fratre suo Germano Brunone, jam Episcopo Augustano, quocum paulo ante Schongavii reconciliatus erat, deinceps ad eorum Sustentationem congruam iterum servire cœperant; In primum ab ipsis Prælatum assumptus est Aribo, a quo jam seriem Prælatorum ordimur.

ARIBO

Primus post Restitutionem Prælatus.

Vix S. Henricus piissimus ille Dux Baviaræ & jam Imperator potentissimus, quem merito Pollinga tanquam alterum suum Fundatorem colit ac veneratur, præcipua quædam Prædia, quæ supra recitavimus, ad Preces Egilberti Episcopi Frisingensis, Summi Benefactoris nostri, pusillo illi Gregi, qui tunc Pollingæ ex coadunatis paucis Clericis Religiosis, seu Canonicis Obedientiariis consistebat, gratiosè restituerat, & de Jure suo ac Dominio, quemadmodum Diploma loquitur, in Jus ac Dominium eorum omnino transfuderat, Ecce! statim ARIBO constituitur in primum Præpositum, & Luitericus in Decanum. An autem ARIBO a Fratribus fuerit electus, vel potius a Sancto Restitutore constitutus, vel a Brunone Episcopo Augustano e Gremio Cathedralis suæ Ecclesiæ, adhuc Regularis, prout tunc moris erat, nobis datus, vel ab Egilberto Episcopo Frisingensi, cui plurimum debet Pollinga, promotus, in nullis veteribus Membris deprehendimus; id solum aliqui nostrorum suspicati sunt, hunc ipsum, qui quondam & ante Restitutionem Bonorum provisorio modo, & Nomine Episcopi Augustani Anno scilicet MII. Pollingam gubernabat, alium non fuisse, quam ARIBONEM, quem nunc Prælatura donatum dicimus. Quamdiu autem ARIBO subditos suos Religiosos verbo & exemplo paverit, ignoramus: Diem obitus ejus duntaxat in Festivitate S. Mathæi Apostoli annotatum, ex antiquissimo Necrologio nostro scimus, cujus autem nunc non nisi Fragmenta aliqua supersunt. Sub ejusdem Regiminis principio fuere in Conventu Luitericus, qui postea Decanus, Hilteprant, Petto, Herimunt. Horum Nomina conservavit nobis ex Veteri Membrana Philippus Saller noster, cui utique plurimum debemus.

II.

ARIBONI successit HERRICH, haud dubie electus a Fratribus, quia assumptus e Gremio Fratrum; is præfuit diutissime, & juxta Necrologium decessit in Die Julianæ Virginis, id est, XVI. Februarii.

III.

HERRICUM in Prælatura excepit ARNOLDUS, videturque Annus Christi millesimus septuagesimus tertius fuisse primus Regiminis ejus. Sub hujus Præpositi, vel sui jam Antecessoris Regimine, postquam scilicet Henricus IV. in Imperio successerat, admodum tristia Fata iterum experta erat Canonica Pollingana. Cum enim ab Henrico Sancto nonnulla ei Prædia Foundationis Anno MX. ex manibus eorum, quibus in Beneficium seu Feudum data erant, fuerint restituta, circa hæc tempora iterum aliqua, & fere præcipua ex illis inique cœperunt alienari, vel quia ab Hæredibus eorum, quibus sub S. Henrico fuerunt ablata, titulo Hæreditatis vi fuerint repetita, vel titulo novo Advocatiæ & Feudi in remunerationem qualemcunque donata. Primum & præcipuum ex his Prædiis erat Villa Wilhelm, nunc Oppidum Electorale, horulæ spatio Pollinga vix distans, *Fundus* vere *dotalis* Domini Salvatoris in Pollingen, quam ob causam in Recognitionem Proprietatis non solum a Magistratu civico in Corpore, sed etiam a Particularibus Civibus, ipsisque Ecclesiis ibidem erectis certa quotannis Obolorum Præstatione, quam Germani *Jus Oblagii*, Galli autem *Broit d' Oublie, ou d' Oubliage* vocant, Dominus Salvator in Pollingen, *tanquam Dominus Fundi* hodieque honoratur. Videatur *Dufresne* in Glossario. Hac Villa inbeneficiatum sub id tempus legitur primum *Bernardum* Nominem, Virum Nobilem, cujus Posterius postea dicti sunt *Liberi de Wilheim*. Alterum Prædium erat Villa Hunnenwang, nunc Höchenwang corrupte dicta, cujus Ecclesia ob adhærentes Fundos longe lateque in illa Vicinia fertur ditissima; & hanc Villam in Feudum accepit Marquardus quidam, Homo Nobilis. Tertium Prædium, cui Phaffenhoven Nomen, quodque magna ex parte una cum Jure Patronatus Ecclesiæ ad Monasterium Benedictoburanum nunc pertinet, simili Rapina a nescio quo erat occupatum, ita, ut damnum ex avulsis hisce Villis tribus Canonice Pollingensi illatum plane ingens vocari potuerit. Bernardus, cui Villa Wilhelm fiduciario Jure possidenda obtigit, factus est postmodum etiam Advocatus Ecclesiæ S. Salvatoris Pollingæ, Electione, an alio titulo? nescimus. Hæc interim annotasse sufficiat. Annus & Dies, quo ARNOLDUS obiit, nos latet.

IV.

HILTIPIERTUS, Successor ARNOLDI, Vir vitæ integerrimæ, ac Disciplinæ Canonice observantissimus, ut primum ad Clavum sedere cœpit, animum addixit, ut collapsam injuriâ temporum Disciplinam reformaret; Cum enim Ordo Canonicus in præcipuis Ecclesiis, ac in ipsa jam Cathedrali Augustana cœperit manifeste deficere, imo penitus extingui, Sæcularesque fieri cerneret Conversatione & moribus, quos paulo ante noverat Regulares, timebat utique providus Pater, ne id malum suam quoque Communitatem inficeret. Eapropter statuit ante omnia Veterem illam Regulam, quæ a longo jam tempore Pollingæ observabatur, non nihil immutare. Regula hæc T. II. Bavaricæ Sanctæ a Radero, ubi de Gerocho seu potius Gerhoho Præposito Reicherspergeni agit, fuscè descripta, ut patet, ex Capitulis quinquaginta novem distincte ibidem adductis, constabat, quorum pleraque ex variis Sanctorum Patrum Dictis, Regulis, ac Conciliis erant excerpta; unde & Gerhohus non alio illam Nominem honorabat quam *Excerpti de Dictis Sanctorum de Vita Canonica*. Cum autem hæc Regula in primo statim Capitulo suis Professoribus licentiam tribueret *Res proprias & Ecclesiæ cum humilitate & justitia habendi*, seu quod idem est, retinendi Dominium Bonorum saltem Patrimonialium, ligatum tamen, etsi Capitulo statim insequentem ad omnimodam abrenuntiationem adhortaretur, verosimile est, Corpus Canonicorum, prout in pluribus aliis Collegiis, ita etiam Pollingæ tunc temporis constitisse ex renuntiantibus & non renuntiantibus. Porro hanc licentiam a S. Augustino, ut ex duobus ejus Sermonibus patet, nunquam approbatam, sensim tamen invecctam, ac tandem in Concilio Aquisgranensi sub Ludovico pio manifestius concessam, sed post in abusus etiam a SS. Viris non prævisos declinantem HILTIPIERTUS tanquam *specialis Ordinis Reparator* penitus sustulit, voluitque, ut nullus deinceps ad Societatem suam admitteretur, nisi ad mentem S. Augustini in jam citatis duobus Sermonibus satis expressam renuntiaret omnibus, quæ possidet, ac ejus Institutum quoad hoc purius atque religiosius observaret. Nam utrum Regula illa vulgata S. Augustini, quæ Sæculo XII. ineunte Canonicis communem vitam retinentibus a Summis Pontificibus fuit præscripta, pro Clericis suis Hipponensibus sic fuerit scripta, aut saltem his ab eodem Sancto Patre adaptata, aut utrum alia forte, quæ non amplius exstat, aut omnino nulla pro his fuerit exarata, disputatur; hoc tamen non obstante verum est, sicut in Monasteriis Cathedralibus, ita etiam in aliis Collegiis, v. g. Pollingæ, ubi Instituto Augustiniano Regula Aquisgranensis aut alia fuit superinducta, semper existisse aliquos Instituti Augustiniani veros ac genuinos Sectatores, hoc est tales, qui non tantum cum aliis

aliis vitam communem ducerent, sed etiam omnibus, quæ prius possederant, renuntiarent. Unicum duntaxat, obviumque hujus rei Exemplum afferam de ipsa Cathedrali Ecclesia Augustana, Matrice nostra: nemini dubium esse potest, quin etiam ibi inter Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, in Monasterio S. Afræ adhuc commorantes, introducta fuerit Regula Aquisgranensis, quam in omnibus Regnis sibi subditis Ludovicus pius publicari iusserat; Viguit ergo etiam ibi Regula Aquisgranensis, quamdiu vita Communis inter eos fuit conservata; nihilominus tamen inter hos ipsos Canonicos, Regulæ Aquisgranensi addictos, sicut inter Canonissas, seu Virgines Canonicas, de quibus ipsum Concilium Aquisgranense L. II. C. IX. & C. XIII. id expressis verbis affirmat, jam tum latuerunt aliqui, qui, etsi juxta datam licentiam res proprias habere potuissent, hac tamen nunquam usi sunt, sed omnibus possessionibus ad mentem S. Augustini tanquam pauperes Christi vere ac perfecte renuntiaverunt. Tales fuerunt saltem illi duo vel tres Ecclesiæ Cathedralis Canonici, qui postea initium dedere Celeberrimæ Canonice ad S. Georgium Augustæ, adhuc ex illo tempore sub Regula S. Augustini florenti. Cum enim reliqui Canonici propter abusum (ut pronum est colligere) sæpe dictæ licentiæ res proprias habendi, sensim cœperunt intepescere, ita, ut anno MXII. jam Monachos aliquot sub Abbate Reginbaldo ad psallendum, divinumque Officium in Choro peragendum, in suo hucusque Monasterio, quasi suos Vicarios assumpserint, ac demum ipsi, relicto his Monasterio una cum Ecclesia Cathedrali Veteri, ad privatam vitam descendere, novamque sibi Cathedrali, quæ hodie ad B. V. Mariam extat, ex propriis erigere egressi sint, pauci illi duo vel tres (de pluribus enim non fit mentio) pristinae Religionis, & Claustralis observantiæ leges cum cæteris de Gremio Cathedrali Canonicis infringere pertinacissime detrectantes, in tantum se opposuerunt, ut reliqui absolute coacti fuerint tantum Bonorum atque Fundorum illis relinquere, quantum ad condendam novam Canoniam, ubi Vita Apostolica & Communis ad mentem S. Augustini perpetuis futuris temporibus conservaretur, opus erat; quod & factum est ad annum circiter MLXXII. sub Episcopo Embricone. Hujusmodi autem Exempla tot fere possem adducere, quod ex Cathedralibus Ecclesiis Sæculo XI. & XII. ex Regularibus factæ sunt Sæculares. Neque hoc mirum alicui videri debet; ipsa enim Regula Aquisgranensis Votum S. Augustini de Abrenuntiatione Sæculi non solum summopere laudat, sed & urget, optatque, ut omnes Canonici essent Augustiniani, ceu evidentè ex hoc patet, quod Cap. CXII. & Cap. CXIII. integros recitet duos illos famosos Sermones, quos S. Augustinus de *Vita & Moribus Clericorum* occasione Scandali a Januario causati ad populum habuit. Inter ipsos igitur Regulæ Aquisgranensis Professores semper extiterunt saltem aliqui, qui, sprete illa Facultate *habendi res proprias*, absque ulla interruptione Institutum Modumque vivendi Augustinianum ad nostra usque tempora factum tectum conservaverunt: & ob id ipsum evenisse credimus, quod multis in locis, ubi Regula Aquisgranensis fuit invecta, tamen Nomen, Regula, ac Modus vivendi S. Augustini nunquam cœperit emori, etiamsi tunc temporis Regula ipsa S. Augustini, quam nunc præ oculis habemus, ante Sæculum XII. saltem in his partibus, (sicut id ipsum Calmetus T. I. de l'histoire de Lorraine pag. 888. eodem fere modo de Regula Benedictina in Partibus Lotharingiæ testatur) fuerit incognita. Sic Eberspergenses Canonici, qui locum, Ebersperg dictum, usque ad annum 990. incoluere, in sæpe dicto Veteri Chronico, scripto post medium Sæculi XI. ab Anonymo, ut videtur, Benedictino, expresse dicuntur *Clerici Regulares de Ordine S. Augustini*. Sic etiam Burenenses & Wessobrunnenses Canonici, qui post devastationes Hunnicas duo illa Monasteria occupaverunt, & longo tempore tenuerunt, ab eorum Successoribus Benedictinis, ceu in Chronicis eorum domesticis legi potest, constanter usque ad ultima nostra hæc tempora, crediti & dicti sunt, *Canonici Regulares S. Augustini*. Sic Canonici Cathedrales Frisingæ exeunte Sæculo X. sub Goteschalco Episcopo habiti sunt jam tum pro Affectu Institutum Augustiniani. Conradus Sacrista & Canonicus, qui floruit circa annum 1187. in Libro majori Traditionum de Goteschalco scribit: *Cum autem ad ipsum & Capitulum spectaret Præbendas conferre, concluservunt, ut nullus aliquod Beneficium cum Præbenda possideret - - - ita erant unanimes, ut nullus aliquid suum esse diceret, & quidem recte, sicut D. Augustinus Monasterium Clericorum instituit, & secundum Regulam vivere capit.* Ita Conradus apud Hundium. Et tamen tunc temporis Regula S. Augustini, quæ nunc habetur, nondum habebatur. Gerhohus primus erat, qui hanc Roma reoportabat; *nec enim satiabatur illis diebus* (ut dicitur in Chronico Reicherspergeni fol. 229.) *dulcedine illa mirabili, quam inveniebat legendo in EXCERPTO DE DICTIS SANCTORUM DE VITA CANONICA, quo & eatenus pro Regula usi fuerant Fratres sui, sed exquirebat omni animadversione, quomodo sibi vivendum esset secundum Regulam Patris nostri Augustini, vel quæ esset illa Regula, secundum quam vivere pro-*

Jessus fuerat. Nihil enim sufficere pro Regula visum est ei, quod illa non esset, quam professus fuerat. Quae Regula tamen tunc in illis locis non inveniatur, sed nec in aliis locis ejusdem Professionis. Pro qua re necessarium duxit Romanum adire Pontificem &c. Licet igitur Regula Augustiniana, nunc vulgata, tunc temporis fuerit saltem in his partibus incognita, non tamen Regula ipsa vivendi, sub qua S. Augustinus cum suis Canonicis Hippone conversatus fuerat, seu Vita ejus, a Possidio Calamensi Episcopo conscripta, in locis Aquisgranensi etiam Regulæ addictis, erat incognita. Et hinc ulterius factum esse putamus, quod Scriptores illi, qui Sæculo XI. & Sæculo XII. de Ordine nostro memoriam aliquam faciunt, haud secus de illo loquantur, quam de Ordine quodam refflorescente, qui dudum quidem in Ecclesia extitit, floruitque tanquam Membrum non adnatum sed connatum Ecclesiæ, postea autem per varias vicissitudines ac nimias licentias, tam a Pontificibus quam ab Imperatoribus indultas, commixtionem quamdam passus, fere emarcuit; tandem autem iterum, facta illa pro utilitate Ecclesiæ, ut pie ominari fors licet, divisione percelebri in Canonicum Sæcularem & Regularem, pristino suo Decoris restitutus est. Sed hæc non nisi transeundo hic dicta sunt. Ut tamen eruditus Lector videat, qualis fuerit *Regula illa Pollingana*, quæ sub HILTIPTERTO emori cœpit, quamque Gerhohus non nisi *Excerpti* Nomine dignatus est, Capita ejus, ceu ipsa jam dudum Raderus exscripsit, oculis ejus hic iterum subjicere placuit, simulque indicare, unde singula Capitula sint deprompta, maxime cum non tam ex Dictis Patrum videatur excerpta, quam ex variis antiquis Regulis, puta *ex Regula Romana*, de qua Carolus le Coite T. V. Annalium Ecclesiasticorum ad annum 757. pag. 566. ; quamque postea *S. Chrodegangus*, paucis duntaxat additis, Canonicis Ecclesiæ suæ Metensis præscripsit, *ex Regula Aquisgranensi*, aliisque compilata. Sic autem incipit :

Caput I.

Quod Canonica Institutio cæteris superemineat Institutionibus.

Hoc Capitulum desumptum est ex Regula Aquisgranensi T. IX. Concil. Labb. Edit. Venet. Colet pag. 399. edita, ejusque Capite CXV. ubi Ludovicus Imperator Canonicis, quia laxiori, quam Monachi, inserviunt Regulæ, indulget *res proprias habere cum Humilitate & Justitia*, hoc est, *ad Dispositionem Superioris, non inferioris*. Hanc licentiam, publico alicujus Concilii Decreto roboratum, quam nunc *Dominium ligatum* vocamus, Canonici hucusque non habuerunt.

C. II.

Quid sint Res Ecclesiæ? ibidem ex C. CXVI.

C. III.

Quod diligenter munienda sint Claustra Canonicorum. ibid. ex C. CXVII.

C. IV.

Ut in congregandis Canonicis Modus Discretionis sit. ibid. ex C. CXVIII.

C. V.

De his, qui ex Familia Ecclesiæ solummodo Clericos aggregant.

C. VI.

Qui Clerici Ecclesiastica accipere debeant stipendia.

Hæc duo postrema Capitula nempe V. & VI. in genuina Regula Canonicorum *juxta Romanam Ecclesiam* non extant, ut testatur Cointius l. c. extant autem in Regula Canonicorum, quam alias Chrodegango, licet perperam, D'Aherius adscribit, in Editione Regulæ hujus ab ipso factæ T. I. Spicilegii pag. 565. &c. Edit. noviss. Porro in Regula genuina Chrodegangi edita a Labbeo in Collectione Conciliorum Veneta T. IX. & ab Amortio nostro in Veteri Disciplina Canonicorum Venetiis edita Anno 1747. P. I. pag. 221. &c. etiam non extant; extant autem iterum in Regula Canonicorum ab Anonymo quodam Interpolatore apud Labbeum l. c. p. 554. & in Regula Aquisgranensi C. CXIX. & CXX.

C. VII.

Ut in Congregatione Canonica æqualiter cibus & potus accipiatur.

C. VIII.

De Mensura cibi & potus.

C. IX.

Quod a Prælatiis sit gemina Pastio subditis impendenda.

C. X.

Ut Canonici in cultu vestium teneant discretionis modum.

C. XI.

C. XI.

Ut Canonici cucullas Monachorum non inducant.

Hæc quinque Capitula desumpta sunt ex Regula Aquisgranensi a C. CXXII. usque ad C. CXXVII.

C. XII.

Qua Auctoritate Horæ Canonicæ celebrentur.

C. XIII.

De Vespertinis.

C. XIV.

De Completis.

C. XV.

De Matutinis.

C. XVI.

De Vigiliarum antiquitate.

C. XVII.

Ut Horas Canonicas Canonici religiose observent.

C. XVIII.

Quod Cantantibus & Psallentibus Domino Angelorum assint Præsidia.

C. XIX.

Quales ad legendum & cantandum in Ecclesia constituendi sunt.

C. XX.

Quis modus sit correptionis.

C. XXI.

Ut Pueris nutriendis instantissima adhibenda sit custodia.

C. XXII.

Ut ab omnibus Canonicis ad Completorium veniatur.

C. XXIII.

De Cantoribus.

C. XXIV.

Quales Vice-Prælatorum in Congregatione Canonica fungi debeant.

C. XXV.

De Præpositis.

C. XXVI.

Qualis Cellarius sit constituendus?

C. XXVII.

Cui committi debeant stipendia pauperum.

C. XXVIII.

De infirmorum ac senum cura Fratrum.

C. XXIX.

Qualiter Porta Canonicorum custodiatur.

C. XXX.

Ut Claustra Canonicorum diligenter custodiantur.

C. XXXI.

Epilogus breviter digestus.

Hucusque adducta Capitula omnia exstant in Regula Aquisgranensi, quamvis pleraque ex anterioribus Decretis Conciliorum sint excerpta. Quæ autem ulterius in prædicta Regula Pollingana sequuntur Capitula, jam recensenda, videntur partim ante introductam Regulam Aquisgranensem Pollingæ jam viguisse, partim sequioribus temporibus addita fuisse; suntque ex variis Patrum Regulis, quas Concilia diversa approbarunt, collecta. Sic

C. XXXII.

De Silentio.

Habetur in Regulis Romana, Chrodegangæa, & interpolata, videturque desumptum ex Serm. S. Augustini 214. de tempore, vel ex Regula S. Benedicti C. 6.

C. XXXIII.

De Tonfura.

Ex Ifidoro de Eccl. Offic. L. II. c. 4. & recenſetur C. I. in Concilio Aquisgranenſi.

C. XXXIV.

De Murmurantibus.

Hoc & ſequentia XV. Capitula exſtant in MS. Codice ad S. Crucem Auguſtæ, & ſunt potiſſimum deſumpta ex Regula Grodegangi aliisque.

C. XXXV.

De Diſcordantibus.

C. XXXVI.

De DetraCTORibus.

C. XXXVII.

De Accuſatoribus.

C. XXXVIII.

De Clericorum habitu.

C. XXXIX.

Quod Presbyteri aſſidue legant.

C. XL.

Ut Clericus non habeatur, qui ad cottidianum non venerit Sacrificium.

C. XLI.

De eadem Re.

C. XLII.

De Clericis, qui in Nundinis ambulant.

C. XLIII.

De illis, qui Presbyteros male tractaverint.

C. XLIV.

Ut nullus Presbyterorum ſolum Miſſam cantet.

C. XLV.

De illis, qui ex Eccleſiaſticorum Ordine aut venantur, aut accipitribus jocantur.

C. XLVI.

Ut Canonici Religionis Veſte ſemper utantur.

C. XLVII.

De Fratre, qui in levioſe culpa invenitur.

C. XLVIII.

De Gravioribus Culpis.

C. XLIX.

De Clerico ab Eccleſia ſua fugiente, & de ſervo Dominum ſuum fugiente.

C. L.

De duobus Generibus Clericorum.

Ex Ifidoro de Eccleſ. Offic. l. 2. c. 3. Et in Reg. Aquisgr. Cap. CI.

C. LI.

De ſubjectis Bonis ſub Paſtorali Regimine conſtitutis.

Ex S. Gregorio. Et in Reg. Aquisgr. Cap. CIII.

C. LII.

Quales oporteat Clericos eſſe.

Iterum ex S. Gregorio. Et in Reg. Aquisgr. C. CII.

C. LIII.

Quod Præſationes tenendæ ſint.

De hoc & ſequentibus Capitulis nihil adhuc inveni apud alios.

C. LIV.

De obſervanda Menſa Chriſti.

C. LV.

C. LV.

Ut Corporale ex purissimo Linteo sit.

C. LVI.

De eo, si quid ex Calice stillaverit.

C. LVII.

De eo, qui evomit Sacrificium.

C. LVIII.

De Evcharistia veneranda.

C. LIX.

De illis, qui non bene custodiunt Corpus & Sanguinem Domini.

Hucusque Regula Canoniorum Regularium in Polling, ut habet Raderus. In fronte præfixa erat Imago, Reginam representans Diademate insignitam, quæ Dextra gestat Coronam, quam Obedienti Canonico imponit, Sinistra fascem virgarum, quibus contumacem umbilico tenus nudatum cædit. Distichon adscriptum erat sequens, quod latus utrumque & Caput Reginæ ambiebat:

Norma pari cura, trutinans claustralia Jura,
Dono muneribus, corrigo verberibus.

Circa Diadema utrinque perscriptum erat:

Sancta Regula.

Supra Religiosum obedientem

Supra Religiosum contumacem

Obediens.

Inobediens.

Sed jam satis de hac Re. Plura videantur apud Amortium nostrum in *Veteri Disciplina Canoniorum* T. I. a pag. 285.

Ulterius advertimus HILTIPERTUM nostrum in Hundii Metropoli vocari *Archipresbyterum*: verosimilius autem est, ipsum fuisse Archi-Diaconum hujus Regionis in Diœcesi Augustana, sicut Præpositus Raittenbuchensis Vicinus noster fuit & etiamnum est Archi-Diaconus in Diœcesi Frisingensi. In vetusto Libro Manu sæculi XIV. exarato exstat de *Confinibus Episcopatus Frisingensis Ecclesiæ Archi-Diaconatum Rayttentbuch respicientibus* Annotatio quædam, quæ ita sonat: *In Antiquissimis apud nos Litterarum Notitiis continetur, quod terminatio Episcopatus nostri ab eo quidem loco, ubi Ilacha influit Licum, deorsum per medium ejusdem Lici tendit ulveum, usque dum in eundem Licum cedit Rota, qui fluvius inter Apfeldorff & Richlingen decurrit, inde sursum per Rotam usque ad Ryedar, inde contra Orientem usque ad medium Wezinaprunense Monasterium, inde contra Meridiem ad Gysalobrunen, inde in Waltbotam, quæ Balteris Cellam præterfuit, inde deorsum per Waltbrotam usque in Wyserotam, inde in Ambram, sursum per Ambram usque Gotesacha influit Ambram sursum per Gotesacham usque ad Fromperch, inde in Ramasacha deorsum per Ramasacha, ubi eadem Ramasacha influit Luibsacham, inde sursum per medium campum Hagana ad Haldewanch, inde ad Fontem S. Udalvici, inde super Luipvelt, inde ad Fontem minoris Hegipach, inde super Hawichowe contra Sifinboven, inde in Vadum qui vocatur Mulisteti, inde ad Dyetpruccam, inde usque dum Wyrma cadit in Lacum Wyranssee.* Hucusque illa Annotatio. Sive autem Archipresbyter, sive Archi-Diaconus fuerit hujus Regionis, non tamen diu hæc Dignitas perduravit apud Præsules Pollinganos.

Inter alias Donationes sub hoc Præsule Ecclesiæ Pollingensi factas in Rotula nostra etiam sequens continetur his verbis expressa: *Notum sit tam futuris, quam presentibus, quod Bernbardus Advocatus Ecclesiæ Domini Salvatoris contradidit Ecclesiæ eidem dimidium Mansum, quem habuit in Villa Hetiningen, pro remedio animæ suæ, & pro Calice ponderante octo Marcas Argenti, & uncam Auri, quem ablatum ab eadem Ecclesia vendiderat, & in usum proprium redegerat receptis tribus talentis ab Hiltiperto ejusdem Ecclesiæ Præposito. Hujus rei testes sunt &c.* Obiit HILTIPERTUS altera Nicolai, hoc est, Septimo die Decembris, cum hoc Elogio in vetustissimo Necrologio specialiter annotato, quod *specialis Ordinis Reparator* fuerit. Annum obitus determinare non audemus; obiisse autem ante Annum 1128. non videtur.

V.

Sancta Vestigia HILTIPERTI presso pede secutus est CHUNO ejus Successor, Vir multum Venerabilis, ac Disciplina Canonica optime imbutus. Hic Opus Reformationis, quod Prædecessor suus pio Conatu inchoavit, tandem perfecit, & Canonici ipsi, qui hucusque in unum habitandes ex Renuntiantibus & non Renuntiantibus permixti erant juxta Indultum Veteris Regulæ Pollinganae, etli jam dudum Gerhoho teste dicti fuerint Canonici S. Augustini, cœperunt jam omnes proprium abdicare, & vivere secundum Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam, quam apud hos Canonicos Hippone olim S. Augustinus invexerat. Cumque Innocentius II. ex Canonico Regulari Lateranensis Monasterii factus Summus Pontifex sub id tempus Institutum Augustinianum summopere urgeret, facile erat CHUNONI ejusque Canonicis solemnem desuper Confirmationis Bullam ab eodem Pontifice impetrare, maxime cum Waltherus Episcopus Augustanus suas quoque Preces pro Pollingano Grege interposuisset. Bullam hanc, qua Innocentius II. dilectis Filiis CHUNONI Præposito, & Fratribus in Ecclesia Pollingensi Regularem vitam professis ad Preces Waltheri Episcopi Augustani annuit, statuitque, ut Vita Apostolica, & Ordo Canonicus in Ecclesia S. Salvatoris Pollingæ institutus, perpetuis futuris temporibus ibidem inviolabiliter conservetur, jam supra dedimus; de qua duntaxat hic annotare volumus, tres ibidem Villas, nempe Villam Wilhelm, Villam Hunnewanch, & Villam Phafenhoven, quas S. Henricus restituit, propriis Nominibus adhuc exprimi, confirmarique Ecclesie S. Salvatoris Pollingæ, quamvis tunc temporis in actuali earum possessione illam fuisse vehementer dubitemus; cum constet, eas post Restitutionem S. Henrici, ejusque Mortem brevi post iterum avulsas, ac priorum fortasse Possessorum Hæredibus in Beneficium ac Feudum fuisse concessas.

Sicut autem CHUNO Ordinem Canonicum Pollingæ ad meliorem statum reduxit, ita studuit etiam novellæ suæ plantationi, quantum poterat, de omnibus necessariis rebus in victu & vestitu abundanter providere, bene gnarus, unam ex præcipuis causis relaxatæ Disciplinæ & dissolutæ tot in Ecclesiis Cathedralibus Communitatis Canonicae, etiam hanc fuisse, quod ob malam rei domesticæ administrationem sæpe etiam necessaria defuerint. Bonus itaque Oeconomus non solum Prædia Domus optime coluit, sed & auxit, ut patet ex Libro Traditionum seu Rotulæ nostræ. Inter alia multa dono etiam accepit Prædium valde insigne, tribus consistens Curiis in vicino Vico Odratingano situm, a Conrado ex Comitibus Dachaviensibus hujus Nominis II. ac postea *ob magnæ Virtutis Exercitium*, ut scribit Conradus Schyrensis pag. 14. Dalmatiæ Duce. Erat nempe Conradus pro more Comitum Schyrensum, ex quorum Sanguine procreatus erat, Cultui Sanctæ Crucis apprime deditus; quin igitur mirum, si Crucem etiam Pollinganam, cujus Antistitem CHUNONEM dilexerat, Dono etiam aliquo honorare voluerit? audiamus! quibus Verbis expressa sit hæc ipsa Traditio! Sic habet: *Notum sit tam futuris quam præsentibus, quod Chonradus Comes & Dux Dachwoe tradidit Prædium suum, quod habuit Odratingen simul cum hominibus utriusque Sexus in Fide in Manus Chonradi Comitæ de Valer delegandum & nunquam in alios nisi in usus proprios absolvendum Ecclesie Domini Salvatoris in Pollinga. Hujus Rei testes sunt Dux Welfo Senior, Chonvat puer, & Arnolt Comes de Dachwe, Eberhardus de Friccbendorf, Otaker de Talmutesdorf, Avibo de Tatendorf, Pilgrimus de Wolmutesbabe, Gebehardus de Oetenburc, Baltwinus de Burestal, Fvidericus de Bangen, Odalricus & filius ejus Odalricus de Lobbusen, Adelbertus Zollo de Pfafsenboven, Eberhart de Maysach, Adelbero & Frater ejus Marewart de Mobingen, Marewart & Adelbertus de Gruonhartesboven, Degenbard de Sepheldt, Wolfsvigil de Chuniswisen, Otto Comes de Valai, Otto de Aschaim, Heinricus de Buron, Odalricus de Sandowe, Fvidericus & Ortolf de Sigmarbusen, Pilgrimus & Filii ejus Heinricus & Chonvat de Eckenbusen, Werinberus & Filii ejus Ortlieb & Witelieb de Biberach, Amelbertus & Heveman & Dietmar de Otersbusen, Willebart de Ribgersboven, Witelieb & filii ejus Volmar & Witelieb de Pelebaim, Wato de Gekenbund, Burchart & Gotefrit de Rotbab, Berbtold de Mukersbab, & alii quam plures de Familia ejusdem Comitæ & Ducis. Pro! quanti testes! quam potentes! quam nobiles! & tamen tota hæc Donatio post sexaginta & ultra annorum quietam Possessionem a quodam Nobili, Hainrico de Pisenberch, ceu ad annum MCCII. videbimus, ad Forum contentiosum deducta est. Interea idem Comes Chonradus paulo post iterum aliud Prædium nobis donavit, cujus traditio cum tanta solemnitate non est facta. Hæc ita habet:*

Notum sit tam futuris, quam præsentibus, quod Chonradus Dux & Comes de Dachwoe tradidit Prædium suum, quod habuit Runne (nobis incognitum, nisi sit Prædium in

in Tyrolī situm, & ipsum lapsō Sæculo alienatum) *integrum Mansum Ecclesiæ Domini Salvatoris Pollingæ cum viro colono ipsius Prædii simul cum Prædio illius.* Hujus rei testes sunt *Otto de Ascbaim, Adelbero de Mochingen, Volmar de Wikershoven, Fridericus de Sigmarbusen, Berhtolt de Mukersbach, Adelbertus de Baigendorf, Henricus de Merane, Rodeger de Rötzbach, Pilgrim & filii ejus Chonrat & Henricus de Ecenbusen, Sigfrît de Dabmoe, Diepolt de Arcebab, Witelieb de Belebeim, Henricus de Ozzenbab, Purbart de Ombach, Henricus de Swainbab.*

Reliquas Donationes, quas Odalscalcus de Rieth, Hartmannus de Tutenhusen una cum Filia sua Hailica & duobus Filiis ejusdem Hailicæ, Boto de Igilingen, alique ad ampliandum Cultum Sanctæ Crucis Pollingænæ sub CHUNONE Præposito contulerunt, brevitatis causa omittimus.

CHUNO post multa præclare gesta *Vir verè Gloriosus*, utpote quò titulo a Coævo Calamo honoratur, obiit circa annum Domini 1147. VII. Idus Martii. An autem præfuerit annos 44. ut aliqui ex nostris, & post ipsos Hundius scribit, dubitamus, saltem hucusque non invenimus, ex quibus Documentis id desumpserint. Id solum certum est, ab anno 1073. ARNOLDUM, HILTIPTERTUM & CHUNONEM in Prælatura Pollinga sibi invicem succedentes perdurasse usque ad annum Domini 1147. circiter.

Id autem adhuc memorare debemus, Pollingam sub HILTIPTERTO & CHUNONE Præpositis haud secus respectam esse, quam Seminarium honorum Clericorum, a Vicinis Episcopis; ex quo, tanquam ex Trojano Equo, præstantissimi Viri prodire. Hos inter principem facile locum obtinet Vir de Ecclesia Dei optime meritus, ac Disciplinæ Canonicæ adversus Canonicos Acephalos Defensor acerrimus, nulli sua ætate scientia & Eruditione Sacra secundus, *Venerabilis Gerbobus*, natus Pollinganus, primum ex Schola Pollingana, promovente Hermanno ex Comitibus Wittelspacensibus Episcopo Augustano, cui acceptissimus erat, Canonicus & Scholasticus in Ecclesia Cathedrali Augustana, paulo post ingravescente Schismate Sacerdotium inter & Imperium, cum Fautoribus Imperatoris nollet communicare, inde transfuga, & aliquamdiu hospes in vicina Canonica Raittenbuchensi, Pontificiis cum Welfone Fundatore addicta (Pollingam namque in Patriam suam nolebat ire, quia verosimilliter ibi tunc stabant ex parte Cæsaris) exin factus subito Parochus Chambensis in Diocesi Ratisbonensi, ac tandem post varia fata Præpositus Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in Reichersperg, una cum Fratribus suis, ex una saltem Matre cum ipso procreatis, quorum quatuor post hausta in Schola Pollingana prima Scientiarum Rudimenta adeo excelluerunt, ut Vitam Canonicam hi omnes amplexi, ad prima Ordinis hujus fastigia fuerint promoti; unus quidem eorum *Marquardus* Nomine successit Sancto *Hartmanno*, ad Infulas Brixinenses translato, in Prælatura Claustro-Neoburgensi, alius Nomine *Arno* ipsi *Gerbobo* in Reicherspergensi: duo alii *Ruodigerus*, & *Fridericus* ob eorum merita insignia adoptati sunt inter Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ; Cum autem Ruodigerus factus Decanus, Disciplinam Canonicam cum Communi Mensa & Dormitorio ibidem restituere pro virili satageret, ambo derepente vi inde expulsi ad Fratres suos Reicherspergam & Neoburgum confugerunt, ubi pariter ex Canonicis Sæcularibus facti sunt Regulares. Videatur Gerhohus ipse in doctissimis suis, quos edidit Libris, maxime autem in Pf. CXXXIII a pag. 2039. ubi Fatum hoc Fratrum suorum fuscè narrat. Placet, cum aureus iste Commentarius non sit in omnium Manibus, non nulla hic exscribere. I. c. hæc habet:

„ Jam quasi transcensū quindecim gradibus in domo Domini esset jubilandum.
 „ Sed quia filii Cedar, cum quibus aliquando corporaliter habitavi, etiam nunc, licet longe positum, graviter infestant, non incongruum puto succincte commemorare, quomodo incolatus meus inter eos prolongatus gemendi mihi causa fuerit,
 „ qualiterque nunc licet absentem gravaverint, & gravent adhuc.

„ Eram quippe in juventute mea Ecclesiæ Augustensis dictus Canonicus, Imperatore Henrico quinto adversus Papam Calixtum Grandia moliente in ea Conceratione, qua Imperator idem coarctabatur, Investituras Ecclesiasticarum Dignitatum jam dicto Papæ resignare. Quod ille diu renuendo ab ipso Calixto, ejusque duobus Antecessoribus Paschale ac Gelasio fuerat excommunicatus cum suis fautoribus & in hac re Adjutoribus, quorum unus fuerat Augustensis Ecclesiæ Episcopus, cujus, quia tunc Sacramentis communicare nolui, cum essem per idem tempus Magister Scholarum, nec sine meo adminiculo potuissent ordinari Episcopalia Officia in Augustensi Ecclesia, tanquam rebellis Episcopo compulsus a Civitate fuge a facie persequentium me Filiorum Cedar, diverti ad Cœnobium Rettingen-

„ gense, ibique aliquamdiu latui, donec cessante illa commotione, in qua non erat
 „ Dominus, venit Sibilus auræ lenis, in qua erat Dominus, faciens utraque unum,
 „ concordia reparata inter Sacerdotium & Imperium tribus Legatis Apostolicæ Sedis,
 „ Lamberto videlicet Hostiense tunc Episcopo, qui postea factus est Papa dictus
 „ Honorius, & Gregorio Diacono Cardinali Sancti Angeli, qui postea factus est Papa
 „ dictus Innocentius, & Saxone Presbytero Cardinali: Tribus, inquam, illis tunc Legatione
 „ fungentibus excommunicatio Imperatoris & Principum simul excommunicatorum
 „ de medio sublata est, & similitate inter Sacerdotium & Regnum utcunque
 „ mitigata pax inter Dominum Imperatorem Henricum & Papam Calixtum firmata est.
 „ Sic post tempestatem magnam subsequente magna tranquillitate, revera ventis & mari
 „ favientibus, Imperium Summi Pontificis & Imperatoris & obedientibus ei pax facta est.
 „ Sic per gratiam Dei adunata Ecclesia, quæ a tempore Gregorii septimi pro contentione
 „ Investituræ scissa videbatur: ego a jam dicto Beate memoriæ Herimanno Episcopo
 „ Augustense Augustam sum revocatus, & ab ipso & cum ipso Romam adductus ad
 „ Concilium Præsidente Papa Calixto celebratum, in quo etiam de Concordia Regni &
 „ Sacerdotii coram Legatis Imperialibus tractatum est, prout Sapientibus illic adunatis
 „ visum est.

„ Ex tunc mihi habitanti in Civitate Augusta cum habitantibus Cedar fuit pax
 „ aliquantula etiam *cum his, qui oderunt pacem*, cum nihil contra se loquenti qualem-
 „ cunque servabant amicitiam. Sed *cum loquebar illis*, de Religione Clericalis conversationis,
 „ *impugnabant me gratis*, non tamen aperta persecutione, sed infestatione clandestina
 „ per morum dissimilitudinem gravantes me, volentem pie vivere inter impios, iuste
 „ inter injustos, religiose inter irreligiosos, quales erant illi tunc mei Concanonici
 „ exceptis paucis, iusto Loth consimilibus, non tamen per omnia: Quia non cum illo
 „ exhibant & ascendebant ad montis altiora, sed quasi remanentes in Segor parvula
 „ gemuerunt super Civitatis magnæ magna ruina in destructione morum potius quam
 „ murorum. Nam quantum ad muros, magna erat Ecclesia, sed nulla seu parva erat in ea
 „ Disciplina Ecclesiastica. Cohærebat ipsi Ecclesiæ Claustrum satis honestum, sed a
 „ Claustrali religione omnino vacuum, cum neque in Dormitorio fratres dormirent,
 „ neque in Refectorio comederent, exceptis rarissimis Festis, maxime, in quibus
 „ Herodem repræsenterent Christi persecutorem, parvulorum interfectorem, seu ludis
 „ aliis aut Spectaculis quasi theatralibus exhibendis compararetur Symbolum ad
 „ faciendum Convivium in Refectorio aliis pene omnibus temporibus vacuo.

„ Cogor hic reminisci propriæ stultitiæ in amaritudine animæ meæ dolens & pœnitens,
 „ quod non semel talibus insaniis non solum interfui, sed etiam præfui utpote Magister
 „ Scholarum & Doctor Juvenum, quibus ad istas vanitates non solum modo frænum
 „ laxavi, sed etiam stimulum addidi pro affectu stultitiæ, quo tunc infectus eram,
 „ & in quo supra multos coætaneos meos profeceram. Cum autem placuit ei, qui me
 „ segregavit de utero matris meæ, Augustensis Ecclesiæ, & vocavit me ad altius &
 „ arctius propositum communis vitæ, continuo non acquievi carni & sanguini. Nam
 „ relictis consanguineis & couterinis fratribus tribus in Sæculo, ego assumptis mihi
 „ duobus in Regulari vita conservabar, ad quam tertius frater a Scholis Franciæ
 „ reversus me secutus reliquos duos in sæculo reliquit, videlicet Ruodigerum & Fridericum.
 „ Quos ambos Augustenses Canonici susceperunt in consortium sui, aliquantulum
 „ provocati amore mei, sed magis attracti per felicitatis memoriæ Herimannum tunc
 „ Augustensis Ecclesiæ Antistitem. Quo defuncto successit eidem Waltherus Episcopus,
 „ ad Regimen Ecclesiæ piger, utpote homo senex & grandævus: attamen in exterioribus
 „ augendis valde utilis, non solum dispersa colligendo, sed insuper hereditaria sua
 „ bona, quæ multa erant, conferendo sub firmissima & quasi testamentali conscriptione,
 „ ut quicumque Successor ipsius eadem vel infeudaret sive alio modo alienaret, sub
 „ Anathemate maledictus Deo & Ecclesiæ redditurus esset rationem. Accessit ad
 „ hujus Anathematis confirmationem Sedis Apostolicæ Auctoritas: quia tunc Legatus
 „ Apostolicæ Sedis Octavianus cooperantibus illi tribus Episcopis, videlicet Walthero
 „ Augustense, Ottone Frisingense, Emehardo Episcopo, candelis extinctis excommunicavit
 „ successuros Episcopos, qui de mensa Episcopi alienarent bona per jam dictum
 „ Waltherum Episcopum Ecclesiæ Augustensi collata vel ab eodem recollecta. Aderant
 „ autem & huic sententiæ intererant omnes Augustensis Ecclesiæ Prælati,
 „ Abbates, Præpositi, Archidiaconi, & de aliis Episcopatibus multi, quorum unus
 „ ego fui.

„ Sed cum prædicto Episcopo Walthero successisset Chuonradus Episcopus, ita
 „ omnia Episcopalia bona dissipavit partim infeudando, partim impignorando, ut
 „ sicut hodieque apparet, mensa Episcopi antehac opulenta, nunc sit pene penitus de-
 „ stituta redicibus Episcopalibus. Hæc desolatio cum litterarum mearum testimonio
 „ per Augustenses Canonicos, maxime autem per fratrem meum uterinum jam di-
 „ ctum Ruodigerum delata est ad Romanum Pontificem Adrianum. Quo judicante
 „ ipse frater meus cæterique Canonici causam justam prosequentes addicti sunt pœ-
 „ nis, & Episcopus dilapidator dimissus est cum honore. Qui ad sua reversus ita
 „ excanduit in me ac fratres meos uterinos, ut omni bellua ferocior illis existeret,
 „ meque in ipsis, prout voluit & valuit, molestaret. Sed hæc ejus infestatio mitiga-
 „ ta est per Domnos Cardinales Heinricum Presbyterum Sanctorum Nerei & Achil-
 „ lei, & Jacinctum Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ in Cosmidin. Qui median-
 „ te, simulque cooperante Welfone Duce reconciliaverunt nos in pace, ut ego pu-
 „ taveram, firmissima, sed ut postea persensî, dolosissima. Nam discedentibus Dom-
 „ nis Cardinalibus, qui unum de fratribus meis illic Decanum fecerant, videlicet
 „ Ruodigerum, quem etiam Domino Episcopo arctius commendaverant manu Episco-
 „ pi sibi data velut in Arrham Gratia ac pacis erga illum perpetualiter servandæ,
 „ ipse oblitus per manum datæ fidei eundem crudelius infestavit reperta occasione
 „ ex officio Decania.

„ Instigavit namque ipsum Fratrem meum tunc Decanum, ut viriliter ageret in
 „ refecandis vitiis inolitîs, & plantandis disciplinis tunc insolitîs, quia desueverant in
 „ Dormitorio dormire, ac plurimi eorum ludicris vanitatibus occupati a Choro, a
 „ Capitulo se absentantes in sæcularibus desideriis evanuerunt. Quos cum restrin-
 „ gere studisset ipse Decanum juvante ad tempus Episcopo, Episcopus ipse, ut vidit
 „ Fratres adversus Decanum graviter exacerbatos, junxit se illis contra Decanum,
 „ compellendo ipsum Decanum, ut dimitteret Decaniam, nec prætendentibus nec
 „ prætendere valentibus Fratribus ullam causam, nisi voluntatem suam, quam dixe-
 „ runt & judicaverunt solam sufficere ad mutationem Decaniæ, quam nullus deberet
 „ ipsis invitîs tenere. Hoc judicio gravatus Frater meus, cum propter imminens
 „ Schisma nesciret, quis inter duos Papas nominatos esset verus Petri Successor, ge-
 „ nerale appellavit Concilium, quod sperabatur cito habendum pro solvenda Quæ-
 „ stione ipsius Schismatis. Audita igitur hac appellatione gavisi sunt Fratres tan-
 „ quam porrecta sibi occasione contra Decanum, per id, quod in appellatione specia-
 „ liter non nominavit Victorem suum, sicut dixerunt, Papam, quem & Episcopus re-
 „ ceperat, & Curia Papiensis collaudaverat. Conclamabant ergo Episcopus & Fra-
 „ tres contumeliam factam Cæsari & suo Papæ Victori, cum salva utriusque Gratia
 „ potuerit hæc appellatio recepta fuisse, præsertim parato Decano in omni Prætorio,
 „ etiam coram Cæsare, suæ appellationis rationem reddere, quod injuste gravatus
 „ juste appellaverit Generale Concilium, quod expectabatur futurum, quodque ipse
 „ Dominus Imperator pro suo jure nitetur & adhuc nititur aggregare, non aliquas
 „ Ecclesiasticas personas ad judicium suum constringendo, sed eas benigne invitando
 „ ad Concilium, sive tam grande Consilium, quo exterminari possit grande periculum
 „ Schismatis ac dualitate Romani Pontificis, quem constat nisi unum esse non posse
 „ uno eodemque tempore, ita ut semper uno decedente atque uno succedente unitas
 „ perseveret in una universali Ecclesia. Nondum vero plenarie discussa hujus dua-
 „ litatis quæstione, cum duo Romani Pontifices dicuntur esse, non incongrue a gra-
 „ vatis Generale appellatur Concilium, quo talis Schismatis malum refecandum est,
 „ quod angularibus & particularibus Conciliis vix aut nullatenus refecari potest.

„ Appellatione igitur non indecedenter facta tunc ad Generale Concilium nimis
 „ incongrue Fratres Augustenses cum suo Episcopo fecerunt non tam angulare Con-
 „ cilium, quam Conciliabulum, in quo & dicebant: Quid faciemus, quia hic Deca-
 „ nus noster multa gravamina inducit? si dimittimus eum sic, omnes opprimemur.
 „ Unde nobis expedit, ut unus iste foras pellatur, & non omnes opprimamur, aut
 „ iram Cæsaris atque Victoris Papæ incurramus. Audito hujusmodi Consilio cogi-
 „ taverunt, ut expellerent eum simulato Cæsaris ac Victoris timore, quorum neuter
 „ sciebat, quid fieret. Vocatus ergo jam circa Vesperam ad illorum Capitulum præ-
 „ sente ac præsidente eorum Episcopo quasi altero Caïpha sic est judicatus, quasi Vi-
 „ ctoris excommunicatus & Cæsaris proscriptus. Unde rebus omnibus nudatus &
 „ spoliatus præter sola instrumenta equitandi occasu jam solis imminente projectus
 „ est a Civitate. Remanserat autem in ipsa Civitate alter Frater suus & meus no-
 „ mine Fridericus tanquam semivivus, & incipiens mori, utpote jam diu ægrotans in
 „ Tom. V. *Cann. Regg. Origines.* Y y Janua

„ janua mortis positus. Hunc de domo sua, imo etiam de lecto ægritudinis ejicient-
 „ do atque alimenta necessaria illi auferendo residuum spiritus, quo adhuc spirabat,
 „ cruciatibus istis ejecerunt. Nam de domo sua pulchra primo ejectus in coquinam,
 „ de coquina in textrinum, de textrino in pristrinum projectus (nec) habitaculum
 „ neque habens victum, nisi emendicatum, coactus est per decursum fluminis descen-
 „ dere. Nec enim aliquo vehiculorum genere duci potuit, sed navigio usque ad me,
 „ deinde usque ad Fratrem nostrum uterinum Niuwemburgensem Præpositum gra-
 „ tia medendi properavit. Sed homo ægrotus, sed vexationibus & victualium de-
 „ stitutionibus vexatus, nullo Medicorum studio reparari valuit, eo quod nimis inva-
 „ luerat infirmitas per Dominum Augustensem suosque fautores exulcerata & aggra-
 „ vata, qui persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde
 „ mortificare studens in Zelo Herodiano, quo me Fratresque meos odivit, & quasi al-
 „ ter Decius velut in Crate ferrea ustulavit. Carnifices denique urgentes ministra-
 „ bant Carbones subter Cratem ferream, dum carnales carnalis Episcopi Consiliarii
 „ consilia pessima ipsius indurata nequitia suggerebant ad me cruciandum in Fratri-
 „ bus meis, maxime autem in Fratre jam incipiente mori, quem non sinebant in do-
 „ mo sua vel in lectulo suo mori, sed ejecerunt illum spoliatum & nudum.

„ Fieri autem potest, ut ad excusandas excusationes in peccatis dicant, vivere
 „ non potuisse ipsum nec in ipsa domo sua propter vehementem ipsius infirmitatem.
 „ O si mihi nunc vel in Sede Apostolica, vel in throno Regni Davidici daretur alter
 „ David sive prophetans, ut decet Papam, sive regnans, ut decet Imperatorem, non
 „ esset mihi dubium, quin gravissime puniret istud homicidium nullatenus per hoc
 „ excusabile, quod ille, quem occiderunt, cujus mortem acceleraverunt, vivere non
 „ poterat, post ægritudinis immanem ruinam Augustensibus cunctis notam, nec Dom-
 „ nis Cardinalibus, qui in Domo ejus manserunt, ignotam. Ille namque Amalecites,
 „ qui Saul Regem occiderat, per hoc apud Regem David excusari non potuit, quod
 „ dixit de Saul: *Sciebam enim, quod vivere non poterat post ruinam.* Saul quippe
 „ graviter vulneratus incumbbat super hastam suam suo proprio gladio graviter sau-
 „ ciatus, & revera vivere non poterat post ruinam. Sed tamen ille Amalecites, qui
 „ mortem ejus acceleraverat addendo vulnus vulneribus, judicante David reatui san-
 „ guinis addictus est, & propter homicidium perpetratum velut homicida judicatus
 „ est. Ipse autem Frater meus taliter occisus beata morte obiit: quia sentiens im-
 „ minere sibi exitum vitæ mortalis ad immortalitatis Auctorem confugit sæculo re-
 „ nuncians & jugum Domini suscipiens, regularem vitam professus in Cœnobio San-
 „ ctæ Mariæ Niuwemburgensi. Clamor tamen sanguinis & mortis ejus Deo volen-
 „ lente audietur, & hic in Ecclesia peregrinante longo incolatu, de quo in primo Can-
 „ tico graduum supra egimus, & in Ecclesia fursum regnante, *unde venit auxilium*
 „ *mibi gradui secundo innitenti, prout subvenire dignabitur ipse, cui dico: Auxilium*
 „ *meum a Domino, qui fecit Cælum & terram.*

„ Porro spolia prædictis Fratribus meis ablata, si Deo placet, cum vel Apostoli-
 „ ci vel Imperialis Regiminis Deo aspirante arridebit prosperitas, requirentur favente
 „ Dei Clementia vel a me vel ab aliquo Successore meo in Richerspergenfi Cœ-
 „ nobio, in quo, cum adhuc vivat Frater superstes, jam dictus Decanus, quem so-
 „ lum jam contingunt bona ipsis duobus Fratribus ablata & Ecclesiæ Richerspergenfi
 „ oblata, ipsa Ecclesia, in qua superstes Frater vivit, qui se suaque ipsi Ecclesiæ ob-
 „ tulit, judicium exposcet vel hic, vel in ultimo examine, quando *stabunt justi in ma-*
 „ *gna Constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum,*
 „ sicut ipsi Augustenses abstulerunt labores Fratrum meorum computatos in Benefi-
 „ ciis, in libris, in vestimentis, in ædificiis aliisque Bonis mobilibus & immobilibus
 „ ultra pretium ducentarum marcarum. Dico autem *labores eorum* non solum sua
 „ propria, sed etiam Ecclesiastica Beneficia, quæ per alios alienata ipsi cum labore ma-
 „ gno recollegerunt, & ex parte suis pecuniis redemerunt, quæ nunc ab inimicis eo-
 „ rum possidentur, quibus propter mortiferas vexationes Friderico nostro illatas re-
 „ cte ac vere dici potest: *Occidistis, insuper & possedistis.* Parum quippe aut nihil
 „ differunt ab his, qui dixerunt: *Venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem*
 „ *ejus.* Atque utinam pretium sanguinis ejus provenisset in sepulturam peregrino-
 „ rum, videlicet in requiem & consolationem Religiosorum fursum in Cœlis conver-
 „ santium, & hic in terra peregrinantium, esset hoc utique magna consolatio nobis
 „ Fratribus adhuc superstitibus. Nunc autem sola hospitali domo excepta, quam pau-
 „ peres habent, pretio sanguinis & mortis ejus ditati sunt, qui eum pariter cum Epi-
 „ scopo suo cruciaverunt mortiferis vexationibus, quorum præcipui sunt Sigfridus
 Præ-

„ Præpositus, Hermannus Plebanus, Frater ejus Oudalricus, Tiemo Archidiaconus,
 „ qui quali fama vel potius infamia sint notabiles, liquido cognoscetur, si talem se
 „ ostenderit Romanus Pontifex, ut ei confidenter dici possit: *Fili hominis fode pa-*
 „ *rietem.* Nam perfosso pariete illo intus luteo, nec foris dealbato apparebunt ma-
 „ jores abominationes, quam nunc sint perpetratae in duorum Fratrum nulla culpa
 „ notabilium depulsione. De qua, ut perfecte poeniteant, optamus & oramus.

„ Et quidem nunc altero Fratrum defuncto, & sicut expositum est, occiso, alte-
 „ ro vero sub Regula Beati Augustini apud nos religato, non est, qui repetat vel De-
 „ caniam vel Canonicales Præbendas. Attamen, qui eas injuriose abstulerunt, Sa-
 „ crilegium commiserunt judicante Papa & Martyre Calixto; qui in suis decretis
 „ ait: *Decania præbendæ, cæteræque res Ecclesiæ elemosynæ sunt fidelium, pretia pec-*
 „ *catorum, redemptiones animarum, patrimonia pauperum, quæ gratis debent accipi,*
 „ *gratis dari, unde pauperes Christi pasci debent, quas legibus debent obtinere & erogare.*
 „ *Quas qui legibus obedienti abstulerit, sacrilegus & Judæ proditori similis ha-*
 „ *beat.* Qui vero inobedienti dimiserit, honoris sui reus judicetur. Ab hac sen-
 „ tentia Romani Pontificis & egregii Martyris Calixti non discordabit, quisquis est
 „ vel erit Successor ejus legitimus, qualis erat Sanctæ Memoræ Papa Eugenius mi-
 „ hi, ut notum est, Clementissimus, quod adhuc patet ex Litteris ipsius ad meam par-
 „ vitem clementissime directis. Item Litteræ aliorum Pontificum Romanorum In-
 „ nocentii, Cœlestini, Lucii ad me directe satis indicant, quanta dignationis Aposto-
 „ licæ clementia sui habitus illorum tempore, qui me noverunt, quosque ego novi.

„ Sed Adriano Papa, qui me non cognovit, præsidente traditus sum in manus
 „ hostium. Nam Litteræ nostræ verum testimonium continentes contra Dominum
 „ Augustensem devenerunt in manus ejusdem Augustensis me meosque fratres odio
 „ habentis. Quis traditor fuerit in Curia, non est mihi notum, sed hoc scio, quod
 „ antehac nunquam mihi sic accidit, cum plurima scripserim Pontificibus Romanis
 „ me diligentibus & tuentibus contra meos adversarios, quales multos habui certans
 „ pro lege Dei, maxime in temporibus Schismatum Burdini, & Petri Leonis, a quo-
 „ rum fautoribus multa contraria sustinui, sed juvante Gratia Dei, atque tuente me
 „ Apostolicæ Sedis Auctoritate cum Sancta & in Sancta Ecclesia triumphavi, & ad-
 „ huc de imminente Schismate triumphum spero, licet multiplicati sint, qui nunc tri-
 „ bulant me dicentes animæ meæ: *Non est Salus in Deo ejus.* Hucusque Gerhohus.

VI.

CHUNONE ad Superos translato, Sors cecidit super CHONRADUM, cui simi-
 lem Pollinga aut nullum, aut certe paucos habuit. Erat is vulgo dictus *Chonradus*
de Pollinga, an a loco Originis vel Professionis, nescimus; Vir vitæ venerabilis, stre-
 nuus, fidelis, prudens & familiaris, ac eo ipso tempore, quo a Fratribus electus Præ-
 laturæ munus, licet invitatus, in se suscepit, Sancti Hartmanni Episcopi Brixinensis, ne-
 scio, an dicam, *Capellanus*, *Director*, aut *Vicarius generalis in Spiritualibus æque ac*
temporalibus, communiter ab omnibus alter Episcopus seu Magister Episcopi appella-
 tus. Quamprimum Hartmannus ex Præposito Canonorum Regularium Claustro-
 Neoburgi ad Infulas Brixinenses vocatus fuerat, adscivit is ex Collegio Pollingano in
 Socium laborum suorum CHONRADUM nostrum, Virum omnibus virtutibus præditum,
 litteris ornatum, ac Sancta sibi Familiaritate jam dudum intime conjunctum. Unde
 autem Familiaritas ista Originem sumpserit, non est tam facile dicere. Persuasio quæ-
 dam est, Hartmannum æque ac Chunradum, quo minus Pollingæ, aut in hac saltem
 vicinia natos, in Schola certe Chunonis ambos esse educatos, aut saltem aliquanto
 tempore conversatos; Persuasionem hanc firmat Donatio cujusdam Prædii, in Vici-
 nia nostra siti, facta nobis a Sancto Hartmanno, inferius ad annum MCLXIII. recitan-
 da; & quamvis Biographus ejus Anonymus ille Canonicus Claustro-Neoburgensis
 apud Hier. Bezius T. I. Script. Rerum Austriacarum pag. 495. scribat: *Hartmannum*
in Territorio Pataviensi ortum - - Parentibus non valde magnis juxta Nomen Ma-
gnorum - - Infantia teneviori decursa, Parentum Oblatione traditum esse Monasterio
Sancti Nicolai in Pataviensi Civitate litteris erudiendum, ut secundum Regulam Ca-
nonicorum Professionem Domino ibi famularetur; Certum tamen videtur esse, Hart-
 mannum in sua adhuc tenera ætate apud nos conversatum esse, vel quod Pater aut
 Mater ejus hic locorum, aut saltem in Vicinia suos Natales habuerit, quod nos suspi-
 camur, aut alia ex causâ adhuc latente, donec plenior illucescat Dies. Si notius no-
 bis esset Genus Hartmanni, plura utique liceret e tenebris eruere, quæ nunc satius est,

dum non nisi divinare debemus, silentio suppressere. Certe ipse Biographus Hartmannianus supra a nobis allegatus non videtur sufficientem habuisse de ejus Profapia notitiam, quam ipsam, ut fatetur, ex traditione collegerat; alias terminis tam generalibus, tamque ambiguis abstinuisset utique, nec dixisset duntaxat, quod *in Territorio Pataviensi ortus sit Parentibus non valde magnis juxta Nomen Magnorum*; neque enim Natales, nec Profapiam, nec Nomen Parentum, nec locum Nativitatis, nec quidquam aliud profert. Ex Documentis autem Seccoviensibus P. I. Diplom. Ducatus Styriæ §. XVI. ab Erasmo Frælichio, docto S. J. Sacerdote nuper editis discimus, Patrem *Hartmanni* vocatum fuisse *Popponem*, & Matrem *Azewib*; Genus tamen utriusque adhuc ignoramus. Id interea tacendo præterire non possumus, Hartmannum, quoad viveret, dilectum suum *CHONRADUM*, a cujus ore unice pendeat, nunquam a se dimisisse, etiamsi hic jam fuerat in Specula Pollingana constitutus, ceu per decursum videbimus.

Et si autem *CHONRADUS*, corpore ut plurimum absens, non nisi admodum raro, aut certe non sine suo Hartmanno, cujus lateri in omnibus negotiis ac itineribus adhærebat, Pollingam inviseret, mente tamen illam semper adeo præsentem habuit, ut in Spiritualibus æque ac temporalibus rebus nihil unquam negligeret, quod aut pro ampliando Cultu S. Crucis, aut pro restauranda Disciplina Canonica, aut pro Augendis Redditibus Famulorum Dei profuturum speraret.

Erat tunc temporis, quando *CHONRADUS* ad Prælaturam venerat, Advocatia Canonica Pollingana adhuc penes Nobiles de Wilhelm, sic dictos, quia hac Villa Pollingana olim inbeneficiati erant. Id patet manifeste ex duobus Documentis cœvis, quæ ex Rotulo nostro omiſſis aliis hic adscribo. Primum sic habet:

Notum sit omnibus Fidelibus Christi tam futuris, quam præsentibus, quod Prædium Odratingen situm, quod Imma Uxor Odalrici de eadem villa, quamvis injuste, possederat, dimidium scilicet Mansum, de quo inter ipsam & Fratres Monasterii Pollingensis controversia exstiterat, Boto de Igilingen medius intervenit dato Precio ipsi Immae, & Filiabus ejus, ac Marito ejus Rodegero litem ipsam diremit, & per Manum Marquardi de Marpach, cui delegatum fuit, Ecclesie Domini Salvatoris Pollingæ rogante & agente ac præsentem eadem Imma, impetrante & suscipiente etiam ejusdem Ecclesie Præposito CHONRADO, & Advocato Bernardo contradidit. Quod testantur prioris Traditionis testes Hartman de Tutenbusen, Rodeger de Riet, Becilinus de Chirbdorf, Marquart de Marbab, Gerbart de Beckingen, & cæteri supra taxati. Compositio hæc primo statim aut altero Anno Regiminis inita est a CHONRADO sub Advocato Bernardo. Alterum Documentum brevi post subjectum sic habet:

Notum sit tam futuris, quam præsentibus, quod quædam Mulier Nobilis Adelbeit Nomine, Filia Bernbardi de Rotese Prædium suum, quod Magis habuit (locus hic Tyroleos prope Meraniam nunc Maias seu Mais vocatur) & quod ei a Patre & Fratribus in Partem hæreditariam provenit, tradidit Ecclesie Domini Salvatoris Pollingæ, pro quo cuidam Herburgæ Ministeriali Domni Adalberti Comitis de Tyrol data sunt XXX. talenta ab eadem Ecclesia, & eo amplius, quæ idem Prædium in Beneficio & Vadimonio habuit. Hujus rei testes hi, Bernbardus Advocatus ejusdem Ecclesie, Bernbardus, & Engilingus & Gebino Filii ejus, Hartman, & Aribi, & Adelbertus de Tutenbusen, Rodeger, Odolscalc, Heribort de Rieth, Gotescalc, Berhtold de Perge, Sigibot, Menbart, Cbonvat, Alberib, Cbonvat de Wilhelm, Arnolt, Wernber de Bobberc, Gerolt, Hademar, Rodeger, Swiker de Odratingen, Waltger, Henricus, Adelbertus, Lantfrit, Ribart, Cbonvat, Odescalc, Reginbart, Gerwic, Cbonvat, Berhtold, Waltger, Bernbart, Rembertus de Pollinga.

Cum autem Nobiles isti turbulentis illis temporibus, ubi quisque pro suo affectu Præpotentia sua abutebatur, aut forte non satis essent potentes, ut ab injustis oppressionibus Ecclesiam nostram defenderent, aut certe quandoque indulgentius agerent, quam par erat, aut ipsi etiam in exigendo Jure Advocatitio excederent, *CHONRADUS* totus in id incubuit, ut huic Malo Remedium afferret. Res hæc suis difficultatibus non carebat; sed cum Anno 1156. Hartmannum ad Comitiam Ratisbonensiam comitaretur, ubi lis inter duos Henricos coram Friderico Imperatore finita, & Henricus Leo Bavariæ Ducatu investitus erat, apud novum Principem præcedente & intercedente Hartmanno tam valide se insinuavit, ut jam tunc Protectionem suam specialem Henricus ipsi promitteret. Verum hoc nondum satis. Cum paulo post Bernardus, qui

huma-

hucusque Ecclesiæ nostræ Advocatus existit, ex hac vita, ut videtur, excederet, adeo humanum ac liberalem sese Henricus erga Ecclesiam Domini Salvatoris in Pollingen exhibuit, ut non solum ad Preces Chonradi ab Hartmanno Episcopo Brixinensi Advocatia ejus investiri se passus sit, sed insuper hæc pactum inierit, ne aut ipse, aut alii Successores eandem Advocatiam alteri delegent, sed Monasterium Pollingenfense perpetuis futuris temporibus immediate solis Baviaræ Ducibus subiectum permaneat. Diploma seu Litteræ Reversales Henrici sic sonant:

In Nomine Sancte & individue Trinitatis. Henricus divina Clementia Bavarie atque Saxonum Dux. Quotiescunque super Ecclesiasticis Negotiis Religiosorum Petitiones admittimus, a Christo, cujus Ministri sunt, devotionem nostram remunerari æterna retributione non dubitamus. Quapropter notum esse volumus, tam præsentis quam futuri temporis Christi Fidelibus, quod Nos ad Petitionem Præpositi & Fratrum Pollingensis Ecclesiæ Advocatiam ejusdem Loci a Domino nostro Hartmanno Venerabili Sancte Brixinensis Ecclesiæ Episcopo feudali Jure recepimus, eo nimirum tenore, ut nunquam a Manu nostra, vel Heredum nostrorum ad Sub-Advocatos vel Vicarios beneficiarii Jure descendat, sed personaliter Ditioni ac Protectioni Nostræ pertineat, & si forte in aliquo casu hoc per Nos vel per legitimos Successores nostros immutari contigerit, prædicti Fratres reclamandi, & alium sibi Advocatum eligendi liberam habeant Facultatem, factumque existimatione careat. Præterea decernimus nullam Exactionem vel paratam a nobis, vel a Vicario nostro, seu Heredum nostrorum inibi fieri, nisi juxta Antiqua Jura, & Constitutiones Imperatorum vel Regum. Emolumentum enim nostrum vita æterna. Ut ergo hujus Deliberationis vel Constitutionis nostræ solemnitas rata permaneat, Cartam banc conscribi, & Sigillo nostro insigniri jussimus. Testes vero qui huic actioni intererant hi sunt Fridericus palatinus Comes, Marchio Bertoldus, Adelgoz Augustensis Advocatus, Eberhardus de Vrichentborp, Henricus de Wida.

Acta sunt hæc Anno Dominica Incarnationis MCLX. Indictione VII.

Anno Imperii Domini Friderici invictissimi Romanorum Imperatoris VI.

Hoc ipso Anno supra millesimum centesimo sexagesimo consecravit ad Instantiam CHONRADI nostri Hartmannus Brixinensis Præsul Indictione VII. III. Nonas Novembris magna cum Celebritate duo in Ecclesia nostra Altaria, quæ nescio CHONRADUS an Hartmannus ipse novo splendore fieri curaverat; Unum ex his a Sancta Cruce nomen accepit & titulum, quia Imago Domini Salvatoris e Cruce pendentis suam ibi deinceps Sedem habeat; alterum autem a Beata Magdalena. Et vix non persuademur, Solemnitati huic interfuisse etiam Henricum Leonem, ibique ab Hartmanno Episcopo Advocatia Ecclesiæ Pollinganae fuisse investitum. Diploma quidem jam recitatum, quo idem Dux gloriosus Advocatia Pollingana ab Hartmanno investitum se agnoscit, loco ac Die Dati caret; alias autem scimus, Henricum circa hæc tempora in Castro suo Landespurch ad Lycum fluvium, sex circiter horas Pollinga distante, tanquam in Confinio Bavaras inter & Suevicas terras amœnissimo, dulces sæpe moras traxisse; unde facile fieri potuit, ut ad tantam solemnitatem invitatus Pollingam excurreret. Sive autem huic conjecturæ locus sit, sive non, id capere non possumus, etiam ex Scriptoribus domesticis, quos secutus est Raderus, dum agit de Sancto Hartmanno pag. 269. fuisse quosdam, qui autumarunt, Advocatiam Ecclesiæ Domini Salvatoris Pollingæ stetisse quondam penes Episcopos Brixinenses: fuerat in ejusdem (Hartmanni) tutela (ait Raderus) uti & priorum Episcoporum Pollinganum in Boica baud procul Weilbainio Opido nobile & perantiquum Monasterium (quod etiam Prædio avito Obrolvingano, cum ex Conventu Principum, quem Imperator Moguntiæ celebravit, rediret, auxit, natum ibi nonnulli existimant, ut mihi Præses Cænobii Kilianus coram retulit) id inquam Asceterium, quod longius abesset Brixina, Henrico Leoni Bojorum & Saxonum Principi in Clientelam volentibus & petentibus Patribus Pollinganis commisit, cujus bodieque Tabulæ extant Anno d. C. LX. signata, & apud Hundium expressa, quorum nos Autographum vidimus. Ita Raderus. Sed ut candide loquar, quamvis Hartmannus, ejusque Prædecessor Reginbertus multa nobis bona fecerint, litteris consignata, in nulla tamen Charta Archivii nostri eos legi Titulo Advocati honoratos; imo eodem tempore alios Advocatos non lego ab annis fere nonaginta, quam duos Bernardos, Patrem scilicet & Filium, Nobiles dictos de Wilheim, ut jam ostendi. Si quis dicat, Sub-Advocatos eos fuisse Præsulum Brixinensium; si id probet, non contradico; attamen hunc ipsum Titulum Sub-Advocati nusquam inveni. Quod aut Henricus Leo ad Petitionem Præpositi & Fratrum Pollingensis Ecclesiæ Advocatiam ejusdem loci ab Hartmanno Episcopo Brixinensi feudali Jure receperit, non sequitur Ad-

vocatiam prius penes ipsum fuisse; imploratus enim a Fratribus Intercessorem agere potuit, quem & egisse, cum Summis Principibus acceptissimus fuerit, non dubitamus.

Cæterum sub novo hoc Advocato Pollinga brevi aliam faciem induit, cum multa Prædia Ecclesiæ Domini Salvatoris aut fuerint de novo donata, aut adjudicata, aut restituta. Ex multis aliqua seligo. Sic de Prædio & Capella, sitis in Riet, litem nobis movit Berhtoldus de Hohenwanc, plane temerariam, utpote jam diu possessis a nobis. Hanc Henricus breviter sic finivit:

Notum sit omnibus Fidelibus Christi, quod Prædium Riet situm cum Capella possederunt Otrammus & Filius ejus, qui fuerat de Familia Ecclesiæ Domini Salvatoris facta lite inter Fratres ejusdem Ecclesiæ, & Berhtoldum de Hohenwanc adjudicatum est Ecclesiæ Domini Salvatoris judiciario Ordine coram Henrico Duce Bavarie & Saxonie, & Berhtoldo Comite de Anedebse. Hujus rei testes sunt hi, Fridericus & Otto Palatini de Witelinespach, Heinricus Præfectus de Regenspurch, Heinricus de Stoufen, Heinricus de Buron, Eberhart de Fricendorf, Hartman & Fratres ejus Harvicus, & Walchon de Williburgeriet, Adelbertus de Pfafenboven, Chonrat de Irenesburc, Berhtold de Tombrunnen, Heinricus de Widab, Manegolt de Sibenaiben, Jordan, Heinricus de Bursen, Dietericus, eo tempore Præpositus Ducis Heinrici, de Cebmanneshusen, Adalbertus de Bittengow. Post hoc vero Gisila Ministerialis Brixinensis Ecclesiæ accepit illud de Manu Fratrum Pollingensium ad Servitium trium Denariorum singulis annis usque ad obitum suum. Hujus rei testes sunt Rodegerus de Riet, Rodolfus, Marquart, Heriman de Bitengow, Engilbard de Mamenboven, Chonrat de Wilheim, Heriborte, Chonrat, Odalricus de Riet, Menbart, Chonrat de Wilheim. De Congregatione Wernber Præbiter & Decanus, Chonrat Præbiter, Dietericus Sub-Diaconus, Ortolf, Heinricus, Dietericus, Manegolt, Rodolf. De Familia vero hi Ribart, Lantfrid, Heriman, Heriman, Odolscalc, Odolscalc, Aribio, Menbart, Marquart, Gerlob, Lantfrit, & alii quam plures de eadem Familia. Gesta sunt autem hæc ab Incarnatione Domini Anno M. C. LXII. quo etiam destructa est Mediolanum, & quo celebratum est Concilium in Decollatione S. Joannis B. in Episcopatu Bisunti super Fluvium Saona, cui interfuit Fridericus Imperator Romanus & Ludewicus Rex Franciæ, & Heinericus Dux Saxonie & Bavarie. Factum autem Judicium de Prædio Riet sito Ecclesiæ Poll. in Castro Landespurch coram Principibus supra taxatis cum quibus ipse Dux idem adiit Concilium.

Prædium hoc cum Capella censemus id ipsum esse, quod nunc vocamus *Pollingerriedt*, Parochiæ Ebrovinganæ, & adhuc possidemus.

Alia Judicaturæ Notula super Prædio in Odratingen sic habet:

Notum sit omnibus Fidelibus Christi, quod Prædium Odratingen situm in superiori Villa Mansus integer, & dimidius cum Molendino in inferiori, quod possederant Odalricus, qui fuit de Familia Domini Salvatoris Pollingæ, & Lantfridus Filius ejus hæreditario Jure, cum lis inde facta fuisset, a multis adjudicatum est Ecclesiæ Domini Salvatoris Pollingæ coram Judicibus Henrico Duce & Berhtoldo Comite de Anedebse: insuper & prædictus Lantfridus de Odratingen pro remedio Animæ suæ idem Prædium tradidit Ecclesiæ eidem cum unica filia sua. Eodem tempore dimidius Mansus Arberriet situs, quem possederat Heinricus Filius Meregarte, qui fuit de Familia Domini Salvatoris Pollingæ, eadem ratione, & eodem Jure adjudicatus est eidem Ecclesiæ. Hujus rei testes sunt Walchon de Steinbach, Hartman de Tutenhusen, Arebo de Tatendorf, Rodeger de Riet, Grifo de Anedebse, Engilbart de Mammboven, Sigibot, Chonrat, Albericus, Menbart, Chonrat, Heinricus, Chonrat, Heinricus, Heriman, Mereboto de Wilheim. Gerolt, Hademar, Rodeger, Sigfrit, Switger, Chonrat de Odratingen, Heinricus, Chonrat, Bernbart, Engilbart, Odalscalc, Menbart, Marquart, Adelbertus, Heriman, Berhtolt, Waltger, & alii de Pollingæ.

Subjungimus huic aliam Conventionem eodem tempore factam, ex qua Lector cognoscet, qualiter etiam sub Chonrado Præposito Scholæ Pollingænæ floruerint, & nobiles ibidem pueri educati, litterisque instructi fuerint. Sic habet:

„ Notum sit omnibus Fidelibus Christi, tam futuris, quam præsentibus, quod
 „ Ekehardus de Werde delegavit Prædium Walhenspach situm, duos scilicet Mansos, pertinens ad Monasterium Rote in Manus Filii sui Hugonis conservandum Berngero de Pfafenhoven, qui emit illud XX. & VI. Talentis Ratisponensis Monetæ a
 „ Fratribus Pollingensium Monasterii quibus usus ipsius tunc pertinuit, ipsi & Uxori ejus
 „ Hilti-

33 Hiltigundæ & Filiis ejus Berngero, & Chonrado & cæteris Filiis ejus, factum est
 33 autem hoc Peticione Diemotæ & Odalrici de Johhufen, & Eberhardi de Fricchen-
 33 dorf. Hujus rei testes sunt hi. Rodegerus, & Henricus, & Filius ejus de Lindahæ,
 33 Bernhart, Berhtolt, Sizo Wirnt, Pero de Pfafenhoven, Aribo & Gotefrit de He-
 33 tenhufen, Adelbertus de Pollinga. de supra dictis vero Talentis - - - t' est, &
 33 vestitus, & Litteris instructus est Puer Pabo Filius Diemodis de - - hufen in Mo-
 33 nasterio Pollingensi pæne per annos XII. cætera autem attributa sunt - - - Ide
 33 Sorori ejus inibi perpetuo mansuræ.

Eodem adhuc anno, nempe sexagesimo secundo supra millesimum centesimum
 magnam Pollingensibus Fratribus Gratiam fecit idem Dux Henricus, ceu ex sequenti
 Traditione constat :

„ Notum sit omnibus Fidelibus Christi, quod Rodegerus de Pforzheim tradidit
 „ Prædium suum Ecclesiæ Domini Salvatoris Pollingæ in eadem Villa situm, Mansum
 „ unum, Germaringen dimidium, Sligen dimidium, & IIIItam partem unius licentia
 „ & Autoritate Domini sui Henrici Ducis. Hujus traditionis testes sunt Rotper-
 „ tus, Rodegerus, Otto, Walther, Alewicus, Alewicus, Henricus, Purchart, Hein-
 „ ricus Præbiter, Dietericus, Marquart, Henricus de Pforzheim, Gerunc Præbiter,
 „ de Sligen. Ipse Dux Henricus ipsa Prædia eidem Ecclesiæ concessit petente eodem
 „ Rodegero in Castro suo Landespurch, & cæteris Ministerialibus licentiam indulgit
 „ conferendi seipfos, & amicos & Filios, & Filias ad Monasterium Pollingæ. Hujus
 „ rei testes sunt Gotefrit Comes de Rumesperc, Henricus de Stoufe, Manegolt de
 „ Sibenaichen, Henricus de Berdernowe, Henricus de Dahsperc, Hartman de Si-
 „ benaichen, Henricus de Ubingen, Heriman & Ortolf de Boholon, Odalricus de
 „ Sandow, Adelbertus & Sigbot de Bitengow, Sigbot de Stoufen.

Anno statim insequente, Hartmannus Episcopus Brixinensis in ipsa Inventione
 Sanctæ Crucis, quod Festum jam tum summa cum Solemnitate apud nos habebatur,
 Pollingæ adfuit, & fors etiam ob Reverentiam Salvatoris e Cruce pendentis Divina
 hic habuit. Id omnino certum est, in hac ipsa die tradidisse nobis illud Prædium
 suum Ebrolvingen situm, ut Fratres hac etiam die lautius deinceps haberentur. Tra-
 ditio hæc ita sonat :

„ Notum sit omnibus Fidelibus Christi, quod Venerabilis Hartmannus Brixinen-
 „ sis Episcopus Anno ab Incarnatione Domini MCLXIII. in Inventione Sanctæ Cru-
 „ cis rediens a Curte Regali Imperatoris Friderici quæ habita est Mogontia, cum &
 „ ipsa destructa est, tradidit Ecclesiæ Domini Salvatoris Pollingæ Prædium suum Ebrol-
 „ vingen situm, Mansum unum, quod postea accepit Arnoldus Miles d. Bernhardi a
 „ Fratribus Ecclesiæ ejusdem non in Beneficium, sed in servitium more Coloni, scilicet
 „ duarum Urnarum in Inventione Sanctæ Crucis eisdem Fratribus reddendarum
 „ usque ad obitum suum, quod nullus Filiorum suorum Hæreditate Jure Beneficii pos-
 „ sidere poterit. Hujus rei testes sunt hii Chonradus Præbiter de Pollinga, Hein-
 „ ricus Præbiter de Uugene, Regenhart Purchart & Filius ejus Purchart de Velles,
 „ Arnolt Wigant de Rot - - - cker & Fridericus de Brixen, Rodeger de Riet,
 „ Rodeger de Pforzheim, Wernher de Uffingen, Chonrat, Chonrat, Odalricus de
 „ Wilhelm, Rotpertus de Riherspuren, Hartman, Marquart de Tutenhufen, Hart-
 „ man de Barchirchen, Odalricus de Perge, Fridericus & Marquart de Pisenbere,
 „ Arnolt Wernher de Bohperch, & plures de Familia F. F.

Diximus supra, Persuasionem nostram, quam de Natalibus, & Educatione Hart-
 manni hic locorum habemus, firmari quodam modo Donatione hujus Prædii. Qui
 enim habuerit Sanctus Præsul Prædium seu Allodium aliquod in nostra Vicinia, ad se
 pertinens, & quod vix horæ spatio Pollinga distat, situm in Ebrolvingen, seu ut nunc
 scribimus in Eberfingen, nisi illud hæreditate paternâ, aut maternâ, aut saltem avita
 acquisierit? accedit, hoc ipsum Prædium, quamvis in juniore Charta, expresse nomi-
 nari avitum ejus Prædium, ceu illud etiam Raderus vocat; ex quo sequeretur, saltem
 Majores ejus hoc Prædium in nostra Vicinia aliquando possedisse, & ab his tandem ad
 Ipsum jure utique hæreditario devenisse. Nos hoc Prædium adhuc possidemus. Ve-
 rum licet Hartmannus sit ortus *Parentibus non valde magnis secundum Nomen Magnorum*,
 ut loquitur ejus Biographus, quemque loquendi modum nitium deprimunt Hun-
 dius & Raderus, certum tamen est ex Ligurino Guntheri, Poetæ coævi, Hartmannum
 habuisse *Natales sanguine conspicuos*, ac saltem in Ordine Nobilium constituisse. hic Li.
 VI. pag. 372. Editionis Reuberianæ de Friderico Imperatore Barbarossa ita canit :

Rurfus Vangionum Campos, Luthramque revisit
 Regalesque sibi, quos struxerat, ipse Penates
 Incoluit, paucis sedata Mente diebus.
 Dum sibi Consilio Sanctorum cuncta Virorum
 Rite gerenda putans Vicinis munera larga
 Erogat Ecclesiis, turbæque benignus egenti
 Dilargitur opes, Auctorem nactus in hac re
 Hartmannum meritisque gravem formaque venustum
Sanguine conspicuum: qui tempore Præful eodem
 Brixinensis erat, cunctis quos Teutona tellus
 Tunc habuit, Claræ Prælati Nomine Famæ.
 Unde Viri Monitis ad magna Negotia tendens &c.

Radevicus autem, itidem Coævus Author, Canonicus Frisingensis, dum de hac ipsa Imperatoris Expeditione loquitur, L. I. C. XIV. sic habet: *His autem in Negotiis (Fridericus) specialem habebat Præceptorem, & salutis animæ suæ fidum Secretarium Hartmannum Brixinensem Episcopum, Virum qui tunc inter Germaniæ Episcopos Singularis Sanctitatis opinione, & austerioris vitæ conversatione præeminēbat &c.*

Cæterum quis fuerit ille Chonradus Præbiter de Pollinga, inter Testes hujus Traditionis primus, an Chonradus Præpositus ipse, ob humilitatem forte se ipsum non nisi Præbiterum de Pollinga subscribens, an alius ex Gremio Canonicorum, quorum tres tunc temporis Nomine Chonradi insigniti erant, nescimus. Id autem Annotatione adhuc dignum censemus, unum ex testibus hic nominari Fridericum de Brixen: Fridericum hunc alium non fuisse putamus, quam de quo Liber Donationum Brixinensium, cui Rubrica est B. B. B. hæc verba habet: *Hartmannus dedit Friderico, & Uxori suæ Berbich Mansum illum Rodunch, in quo edificaverat sibi Castrum (nunc Trunt vocatum teste V. C. Roschmanno in Documentis de B. Hartmanno mecum perbenigne communicatis) quod suum erat Beneficium. Hoc Castrum a longe in Monte vicino, & celsiori Colle prope Brixinam (addit in notis Roschmannus) baud equidem ampla, sed satis modicæ structuræ, ferunt B. Hartmannum extruxisse ad æstatis refrigerium, quod Brixinensibus ob vehementes solis calores necessarium est.* Jam hunc ipsum Fridericum, qui postea fuit ex Ministerialibus Ecclesiæ Brixinensis, fuisse ex Familia nobili dictorum de Witoltshoven & Ebrovingen, in quibus duobus locis, uti etiam Pollingæ hi sedem suam & Prædia sua potissima habuerunt, constat ex Documentis indubiis: sic idem Fridericus inter testes alicujus Traditionis, nobis factæ ab Amelgero Ministeriali Brixinensis Ecclesiæ, primus expresse vocatur *Fridericus de Witoltshoven*. Videatur Rotulus N. 42. Anno 1173. II. Idus Februarii idem Fridericus de Witoltshoven tradit Prædium suum situm in Waltrammesperch, quod eum hæreditario Jure attigit (Prædium hoc in Waltersperg duabus Pollinga horis distitum adhuc ad nos pertinet) ibidem N. 39. & rursus N. 45. Idem *Fridericus Ministerialis Brixinensis Ecclesiæ tale Prædium, quale ipse in Pago Witoltshoven dicto possedit, in pascuis & pratis, & Agriculturis, Ecclesiæ Sancti Salvatoris Pollingæ potenti Manu simul cum investitura contradidit &c.* quod factum est Anno 1176. XV. K. Mart. sub testibus Conrado, Ludewico, & Ottone de Ebrovingen. Hæc omnia autem, nempe quod Hartmannus Episcopus Brixinensis donaverit nobis Prædium suum Ebrovingen situm, quod is ipse factus Episcopus assumpserit in Ministerialem Ecclesiæ suæ Fridericum de Witoltshoven, qui sua Prædia in nostra Vicinia habuit &c. innuunt plane aliquam specialem Conjunctionem, forte etiam sanguinis, quam tamen hucusque sufficienter probare non possumus. Sed fere extra rhombum ambulamus.

Missis aliis compluribus Donationibus ac traditionibus, quas sub Chonrado Præposito eodem fere tempore Wulfiez de Pollinga, Henricus de Mungifingen, Rodegerus de Riet, Adalbertus de Perge Ministerialis Augustanus, Arnoldus de Pisenberc, Eberhardus & Filii ejus de Oulstat, Wernherus de Bohberch Ministerialis Nobilium de Wilhelm, Marquardus de Mammenhofen, aliique Viri Nobiles Ecclesiæ Domini Salvatoris fecerunt, usque ad annum 1172. duas præcipue sèligo; Prima sic sonat:

„ Notum sit omnibus Fidelibus Christi, quod quidam homo nobilis Odalscalcus
 „ Nomine de Ufelendorf tradidit Ecclesiæ Domini Salvatoris Pollingæ Prædium suum,
 „ quod habuit Waltrammesperc, videlicet VII. agros cum unius curtis Jure. Hujus
 „ rei testes sunt hi, Chonradus Augustensis Episcopus, Odalricus Canonicus & Præs-
 „ biter

„ biter majoris Ecclesiæ, Adalbertus, Chonradus Præbiter de Steigademe, Eberhart,
 „ Gotescalcus, Perhtoldus de Perge, Hiltibertus, Eberhart de Eschinloh, Berhtold de
 „ Hufen, Berhtolt de Poule, Chonrat de Wilhelm, Riherus, Egilolf de Burenbah,
 „ Dietericus de Zaizmannigen, Lantfrit, Lantfrit, Bernhart, Rodolf de Pollinga.

Odalcalcum ejusdem sanguinis fuisse, quo Nobiles de Wilhelm, vix ambigimus, aliis fulti chartis; cum autem Chonradus Episcopus Augustanus in Capite testium occurrat, haud dubie tanquam cognatus, vix non persuademur, ipsum fuisse ex Comitibus de Poule feu Pel, quem alii ex Comitibus de Lüzelstain deducunt. Videatur Khammius.

Altera autem Traditio, vel potius restitutio Villam Forstarriedt, prope Monachium, nunc Baviaræ Metropolim, sitam, ac una duntaxat supra dimidiam hora distantem concernit: Hæc jam dudum ab Ecclesia Domini Salvatoris in Pollingen ablata, ac multis successive possessoribus in Feudum ac Beneficium concessa erat. Inter alios fuit etiam unus, Henricus de Ubingen; hic, cum esset Vir teneræ conscientia, plenamque a Chonrado notitiam accepisset, rem detulit ad Advocatum Ecclesiæ Pollingensis Henricum Ducem Baviaræ, statimque restitutio facta est, ut ex sequentibus Documentis palam fiet. In Rotulo N. 29. Restitutio hæc his verbis exprimitur:

„ Notum sit omnibus Fidelibus Christi, quod Henricus Dux Baviaræ & Saxo-
 „ num, & Advocatus Ecclesiæ Pollingæ Prædium Vorstersriet dictum, quod antiqui-
 „ tus eidem Ecclesiæ pertinuit, & quo ipse ab Imperatore Friderico inbeneficiatus fuit,
 „ prius de Manibus omnium, qui hoc Jure Beneficii possederant, legitime solutum, &
 „ libere receptum, dein regali potestate & liberalitate Imperatoris Friderici sibi con-
 „ cessum per proprium Clientem suum Dietericum de Cehemanneshufen transmisit
 „ Ecclesiæ Pollingensi delegandum quod & factum est. Hujus actionis & Traditionis
 „ testes sunt Otto Comes Palatinus junior, Odalricus de Lapide, Henricus de Wi-
 „ dach, Jordan, Henricus, Henricus de Ubingen, qui Mediator hujus rei fidelissimus
 „ extitit, Rodegerus de Riet, Gotescalcus Berhtoldus de Perge, Chonradus Mancus,
 „ Becilinus, Meinhardus, Chonradus, Albericus, Odalricus, Odalricus, Chonradus,
 „ Henricus, Chonradus, Herimannus, Chonradus, Aribo de Wilhelm, Lantfrit de
 „ Pollinga.

Cum autem Henricus Dux Baviaræ, ac jam Advocatus Ecclesiæ Pollingænæ, ut diximus, Villa Vorsterrieth dicta ab Imperatore Friderico inbeneficiatus esset, non omisit is Imperatorem ipsum adire, ut hanc Restitutionem ratam, gratamque haberet, quod & feliciter executioni dedit, ut ex sequenti constat Diplomate:

Fridericus Dei Gratia Romanorum Imperator Augustus. Decet Imperialem Clementiam Fidelium suorum rationabiles preces exaudire, & pro desiderio petentium felici eas effectui mancipare, & præsertim illas, quæ ad bonorem & Ecclesiæ Dei Utilitatem pertinere dignoscuntur. Eapropter Universis Imperii nostri Fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse volumus, Prædium quoddam Vorsterriedt Nomine de Ecclesia Bollingen jam dudum ablatum fuisse, & ad Henricum de Ubingen per Successionem occupantium esse devolutum. Idem itaque Henricus rei veritatem intelligens, & distictam Superni Judicis offensam pertimescens, ut idem Prædium prædictæ Ecclesiæ restitueret, Domino suo Ulrico de Lapide, a quo receperat, resignavit: Ulricus vero propter eandem causam Ottoni Palatino Comiti de Witelinesbac, Palatinus Duci Henrico de Saxonia, Dux vero in Manus nostras reposuit. Nos igitur eorum intentionem considerantes & Zelum approbantes, idem Prædium cum omnibus suis pertinentiis Ecclesiæ de Bollingen hæreditario Jure divinæ retributionis intuitu restituimus, & præsentis Paginae attestacione perpetuo possidendum confirmavimus. Hujus rei testes sunt Henricus Dux Baviaræ & Saxonia, Otto Palatinus Senior de Witelinesbac, Marchio Berhtoldus de Foburg, Henricus de Stoupha, Everardus de Vrikendorf, Cunradus de Bocsberg, Henricus de Ubingen, & alii quam plures. Datum apud Heligstat Anno Domini Incarnacionis M. C. LXVIII. Kl. Febr. Feliciter. Amen.

Manus coæva extrinsecus hæc superscripsit: *item Littera Confirmationis & Donationis pro Villa Vorsterriedt. Ex quibus verbis desumitur, Prædium hic summi pro Villa, prout re ipsa integra Villa hæc una cum adito Prædio Poschtriet nuncupato ab hoc tempore restitutionis ultra trecentos & amplius annos ad nos pertinuit. Prædium Poschtriedt, quod nunc Firstenried vocatur, Albertus IV. Dux Baviaræ titulo Permutatio-*

tationis a nobis accepit Anno MCCCCLXXXIX. alia tres Curia sequioribus temporibus avulsæ sunt. Reliquæ adhuc subjectæ manent. Brevi post hanc Restitutionem, quam Fridericus Imperator regali charta, & Sigillo suo sic confirmavit, venit Pollingam Henricus de Stouphe, seu Stauffen, eaque omnia, quæ in prædicta Villa Vorsterried adhuc in Beneficio tenebat, in ipsa die Inventionis Sanctæ Crucis solemnè traditione Ecclesiæ Domini Salvatoris restituit, ceu in Rotulo N. 35. ex sequentibus patet.

„ Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus quod Henricus de Stoufe
 „ Prædium de Forstarrieth quod ipse ab Imperatore Friderico tradendum Ecclesiæ
 „ Domini Salvatoris Pollingæ suscepit in Fide, petente Henrico Duce Bavariæ
 „ & Saxonie, Advocato ejusdem Ecclesiæ, & Ministeriale ejus Henrico de Ubingen
 „ eidem Ecclesiæ contradidit. Hujus Traditionis testes sunt Heinrich de Stouphe,
 „ Henric de Selwa, Heinrich de Ubingen, Marquart de Tutenhusen, Wernher de
 „ Puchperg, Heinrich Ungerecht de Marechpach, Arnold de Wilhelm, Otto de Pi-
 „ senperch, Gebene de Wilhelm, Luitfrit de Purren, Friderich de Pisenperch, Ol-
 „ rich de Oppenrieth, Waltrich de Wilhelm, Heinrich Mereche, Adolt & Ol ich
 „ Ministeriales Sanctæ Mariæ de Ospurch, Rudiger & Walther de Pforzhaim, Mar-
 „ quart & Heinrich de Antorph, Otto Servus Domini Rudigeri de Rieth. De Fami-
 „ lia autem ejusdem Ecclesiæ Albrecht, Walker, Walther, Waltrich, Oskal h, Cun-
 „ rat, Heinrich, & Frater ejus Arnolt de Incenmos, & quam plures alii de Familia
 „ Sancti Salvatoris. Actum est autem in Inventione Sanctæ Crucis, scilicet V. N.
 „ Maji. Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXVIII.

Poffem hic complures Principum, Nobiliumque Traditiones inferere. Sic Marquardus de Mammenhofen contradidit Prædium Pueheim petente Nobili Hernusto de Howedorf, & uxore ejus Bertha cum quatuor filiis.

Welfo Dux Bavariæ tradidit Prædium Ostendorf cum Ecclesia & Dote ejus, situm in Suevia cum Manu Ministerialis suæ Gertrudis, & Filiorum ejus Swikeri & Utonis.

Odelricus Archipresbiter Brixinensis Ecclesiæ & Engirramus filius Chaldelhohi de Sets tradiderunt Prædium Slat dictum Nebilriet petente nobili Gertrude Matre Alberti Burgravii Brixinensis.

Nobilis Fridericus de Witoltshoven tradidit Prædium de Waltersperg, & alii duo Ministeriales Ducis Welfonis, Ulricus & Bernardus (ejusdem, ut putamus, Familiæ de Witoltshoven) alia Prædia in Witoltshoven & Perge Anno MCLXXIII.

Berhtoldus Comes de Tirol tradidit duas Vineas & unam Curtem bene ædificatam, cum horto &c. omnia in inferiori *Mais sita*. Traditioni interfuere de Familia Ecclesiæ Pollingensis Conradus Presbiter, Henricus Diaconus, Conradus Sub-Diaconus, Berhtoldus Accolytus, Herliebus, Albertus, Henricus &c.

Amelgerus, iterum Ministerialis Brixinensis; Berhtoldus & Filius ejus Berhtoldus de Lôhdorf; Walchun & Frater ejus Hartnidus de Stainegebach; Hartmannus de Tutenhusen; Conradus de Hohmotingen; Fridericus Comes Palatinus Rheni; Eberhardus de Marhpach, & Lantfridus de Dietelhoven; Wernherus de Puchberg, Ministerialis Bernardi de Wilhelm; Manegoldus de Gennahe; Bernhardus de Funfsingen; Berhtoldus & Marquardus de Hohinwanc; Rudigerus Filius Milonis & Gisilæ de Abazan; aliique alia, & varia hinc inde Prædia Domino Salvatori in Pollingen tradiderunt; Sed has Traditiones omnes, uti multas alias, brevitatis causa hic omittimus. Unam, aliamve hic feligimus, nostra attentione digniorem. Prima ex his sub N. 37. sic habet:

*Notum sit omnibus Christi Fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod Welfo Dux cum Manu Ministerialis suæ Gertrudis & duorum Filiorum ejus Swikeri & Utonis tale Prædium, quale ipsi Ostendorf legitime possederunt, cultum & incultum, quasi-tum & inquisitum simul cum Ecclesia & Dote ejus, Ecclesiæ Sancti Salvatoris Pollingæ potenti Manu simul cum Investitura tradidit. Hujus Rei testes sunt, qui viderunt & audierunt Comes Berhtolfus de Anedebs, & fidelis ejus Egilolf de Antorf, Comes Diepold de Vobeburch, Comes Henricus de Eppan, & Fideles ejus Swikerus de Gurdan, & Volkmarus de Flies, Comes Berhtoldus de Wizzenhorn, Olricus nobilis de Antorf, Ortolph de Pisenberch, Wulfwin de Monte Albano, Manegolt & Frater ejus Hartman de Sibenaiche, Rudolf de Chikelingen, Olrich de Husen, Chunrat de Hopben, Ribbart de Hennertingen, Heinrich de Mortare, Swiker de Egelingen, Berhtolt de Iginespach, Ol-
 rich*

vich de Sardes, Ludowich Plebanus, Tragebote Plebanus de Chufervingen, Reginbote de Wale Churat de Löben, Berhtolt de Richelingen, & alii quam plures de Ministerialibus Ducis Welfonis & Familia Ducis Heinrici, & prænominatorum Principum. Actum Widergeltingen in Domo Welfonis Ducis Anno ab Incarnatione Domini MCLXXII. Indictione V. VII. Kl. Februarii.

Altera est sequentis tenoris sub N. 38.

Notum sit omnibus Christi Fidelibus tam presentibus quam futuris, quod Odelricus Archipresbiter Brixinensis Ecclesie, & Engirammus Filius Chaldelbobi de Sets Prædium Slat dictum, vel Nebilviet, quod nobilis Mulier Gertrudis in Manus eorum traderat, quia eam Hereditario attigerat, illo tradendum, quo Filius ejus Albertus Burcravius expeteret, hoc ipsum Prædium Petitione ipsius Alberti in Manus Marchionis Perhtoldi de Andesh tradiderunt cultum & incultum, quasitum & inquisitum cum Sylvis & Pratis, ut ipse bona Fide & inconvulsa Ecclesie Sancti Salvatoris Pollingæ extraderet. Et hujus Traditionis Testes sunt per aurem tracti. De Nobilibus Otto de Irnsburg, Hugo de Tufers. De Ministerialibus vero ipsius Marchionis Gotefrit de Vningen, Ditericus Galla, Olfcalcus Galla, Rudolf de Hobinvein, Olricus de Rotinburcb. De Ministerialibus quoque Brixinensis Ecclesie Olfcalcus de Stilvis, Rupertus Conanguineus ejus de Rifinstein, Willibalmus de Velturnis, Rembertus Garro, Merboto de Chastilrut, & ipse Burcravius Albertus, Ebruumus & Frater ejus Witigo de Monte, & alii quam plures de Ministerialibus ejusdem Ecclesie. Actum Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXIII. Indictione VI. K. Febr. infra Ambitum Ecclesie in dextro latere.

Ex his patet, Berhtoldum hujus Nominis II. ex Comitibus Andecensibus ante annum MCLXXII. nondum fuisse Marchionatu Istriae donatum, ut quidam falso asserunt, & ex hoc errore IV. Berhtoldos cum eruditis Benedictinis Andecensibus, Joanne Davide Koelero, & aliis Arbori Genealogicæ Comitum Andecensium affingunt, cum non fuerint nisi tres Berhtoldi, Stemmatibus hujus nobilissimi Propagatores, ut etiam ex aliis certis indubiisque Documentis compluribus, quæ in celeberrima Canonica Diesensi asservantur, demonstrari potest, & actu in quadam *Dissertatione de tribus Berhtoldis Stemmatibus Andecensibus Propagatoribus* mecum communicata eruditissime ex meritis Documentis Domesticis demonstravit V. C. Ferdinandus Kellertzhover, modernus Celeberrimæ illius Canonice Decanus dignissimus. Suboluit hanc rem illustrissimus Comes Coroninus de Quifeka &c. in *Tentamine Genealogico-Chronologico* Anno MDCCLIII. edito, quando non nisi tres Berhtoldos in Stemmate Andecensi statuit, & C. III. n. 6. pag. 96. sic scribit: *hactenus solo Comitibus titulo usus est Berhtoldus II. uti & primus. Ab anno 1174. Berhtoldus Marchio Istriae atque deinceps ita invenitur. Inde factum credo, ut Aventinus hunc Marchionem Berhtoldum a Comite diversum crediderit, duosque ex uno formaverit. Aventinum sequitur Koelerus in Dissertatione de Ducibus Meraniae pag. 25. & 26. &c.* Id ipsum eruditissime repetit in suo *Specimine Archontologiae Carinthiae* Anno 1758. Viennæ &c. edito P. II. C. IV. pag. 64. doctus Jesuita Erasmus Frölichius, ubi de *Marchionibus Istriae, & Ducibus Meraniae* ex instituto agit, addita etiam speciali *Tabula Genealogica Comitum Andecensium*; Documentum autem quod ibidem pag. 64. jam dictus Frölichius ex Hundio Gewoldi mihi T. II. pag. 276. 277. & 278. de Monasterio Eberspergeni citat, cum nostris jam recitatis Traditionibus non omnino convenit. Ibi in *Charta Henrici VI.* Anno millesimo septuagesimo tertio (lege anno millesimo centesimo septuagesimo tertio, alias Henrico VI. non posset adscribi) data apud Wirzburg 15. Kalend. Junii. B. (id est Berhtoldus II.) simpliciter adhuc vocatur *Dux Meraniae* absque Titulo *Marchionis Istriae*. In nostra autem Traditione posteriore, facta Anno MCLXXIII. Indictione VI. VI. K. Februarii, prædictus Berhtoldus II. bis jam Marchionis Titulo honoratur. Unde autem apparet hæc Contradictio? ego, salvo meliori aliorum judicio, nil aliud scirem oggerere, quam Acta illius Chartæ Henrici VI. quibus Berhtoldus, adhuc Dux Meraniae tantum, interfuit, multo fuisse priora, quam Charta ipsa apud Wirzburg data sit, quod sæpius evenisse scimus, Berhtoldumque, de quo nobis sermo est, re ipsa Anno MCLXXIII. VI. K. Februarii jam fuisse Marchionem Istriae, qualis tamen in vim præcedentis Traditionis nostræ a nobis relatæ Anno MCLXXII. VII. Kl. Februarii nondum fuit. Nisi forte hæc ipsa Charta Henrici VI. ab Hundio adducta, sublestæ sit Fidei. Plura enim ibi concordant, ut id tantum obiter notem. Inter Testes ibi primus adducitur *Henricus Würtzburgensis Episcopus*, constat autem certo, nullum ad annum MCLXXIII. sedisse in Episcopatu Würtzburgensi Episcopum, Hen-

vicum Nomine, sed qui tunc in Specula Würtzburgensi præerat, vocatum fuisse *Reinbardum*. Videatur *Laurentius Fries von Mergetheim* ad hunc annum apud *Ludewigii Geschicht-Schreiber von dem Bischoffthum Wirtzburg* pag. 524. Alter testis adducitur *Otto Frisingensis* Episcopus; sed ad Annum MCLXXIII. sedebat Frisingæ *Albertus*; *Otto I.* Anno MCLVIII. jam decesserat, Prædecessor *Alberti*, & *Otto II.* Successor *Alberti* hunc ante Annum MCLXXXIII. vel IV. in Regimine non excepit, ut videri potest apud *P. Meichelbeck* Hist. Frising. T. I. pag. 349. &c. Reliquas notas Characteristicas hujus Diplomatis jam non est opus examinare. Sed hæc pro illustranda Historia Comitum Andecensium hic dicta sunt.

His Traditionibus jam recensitis adhuc aliam subjungimus sub N. 45. hæc ita habet:

„ Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Fridericus Ministerialis Brixinensis Ecclesiæ tale Prædium quale ipse in Pago Witoltshoven dicto possedit in Pascuis & Pratis & Agriculturis Ecclesiæ S. Salvatoris Pollingæ potenti Manu simul cum Investitura contradidit, ea conditione, quod Fratres prænominatæ Ecclesiæ sibi persolvant XIII. Talenta, quæ persolvit Arnoldus Presbiter de Giltichingen pro remedio animæ suæ & pro adjutorio Gisilæ puellæ quam inibi posuit perpetuo mansuram. „ Cum igitur primo constiterit, quod in Christo migraverit, aut ipsum Prædium vivens abnegaverit, & Ecclesiæ S. Salvatoris bona fide confirmaverit, prænominata VI. Talenta sibi aut Filiis suis Fratres debent persolvere; quodsi noluerint, ipsum Prædium ipse & Filii sui quoad usque persolvant, in Vadimonio debent possidere. „ Hujus Traditionis & Conditionis testes sunt hii, Chonrat Spinze, Ludewicus, Otto, de Ebrolvingen, Wicman, Chonrat, Reginhart, Hartlieb de Vellenbach, Chonradus Stolz de Wilhelm, Heinrich de Zames. De Familia Ecclesiæ Waltker, Perhtolt, Rudolf, Heinrich, Marquart, Durinch, Megenwart, Perhtold de Lohdorf, Gerhoh, Meinhart, Perhtolt, Dietrich, Ulrich, Hantil, Arnolt, Lantfrit, Rihprecht, Chonradus Mancus, & alii quam plures de Familia. Anno MCLXXVI. VI. K. Mart.

Hæc verba *cum igitur &c.* quibus apposita conditio continetur, linea sunt deleta expunctoria ab ipso, ut videtur, Scriptore Rotuli, quibus forte significare voluit, eandem fuisse aliquo modo purificatam. Prædium autem, de quo hic sermo, adhuc in nostro Dominio est. Quæ autem hic referuntur de quadam Puella, Gisila nomine, *inibi* (id est Pollingæ) *perpetuo mansura*, suspicionem movere possent, an non etiam eo tempore Canonissæ Kegulares Pollingæ fuerint; sicut certo scimus, tales Virgines Canonicas fuisse institutas a Venerabili Gerhoho in Reichersperg (& sic forte etiam de aliis nonnullis Ordinis nostri Collegiis, v. g. de Monasterio in Dieffen id ipsum facile probari posset) tamen quia nulla alia Documenta certa de hac re habemus, nec ulla etiam alia Vestigia deprehendimus, merito dubitamus, an hæc Verba de quadam Communitate Virginum Canoniarum eo tempore Pollingæ florente re ipsa sint intelligenda.

Recensebamus paulo ante, qua ratione restituta nobis fuerit Villa Forsterried; vigilavit itaque Chunradus, ut Decimas quoque, quæ penes Episcopum Frisingensem erant, suo ibidem acquireret Collegio. Hunc in finem proposuit quamdam Permutationem, quam Albertus Episcopus cum RRmo suo Capitulo Cathedrali etiam ratam gratamque habet. Patet id ex sequenti Tractatus hujus Instrumento, quod jam semel Juris publici fecit V. C. Meichelbekius in sua Historia Frisingensi T. I. P. II. pag. 560. Nos illud hic ex Authographo damus.

„ Notum esse cupimus cunctis Christi Fidelibus tam præsentibus quam futuris
 „ Concambium quod factum est inter Dominum Albertum Frisingensem Episcopum,
 „ & Venerabilem Fratrem Chunradum Præpositum de Pollingen. Tradidit namque
 „ idem Præpositus C. cum conniventia cunctorum Fratrum suorum, & consensu Advocati sui Ducis Heinrichi, Mansum unum id est Hobam in Mosahe sitam Alberto præfato Episcopo, & proinde ab eo recepit legitimo Concambio omnem Decimationem in Vorstarriete Ecclesiæ Pollingensi perpetuo Jure possidendam. Huic Concambio interfuit & assensum præbuit Otto Advocatus ejusdem Ecclesiæ Frisingensis, Palatinus Comes major, factumque est idem Concambium anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXVII. quo anno terminatum est Schisma, quod fuit inter Imperium & Romanam Ecclesiam præsidente eidem Romanæ Ecclesiæ Alexandro Summo Pontifice, & regnante Friderico Romanorum Imperatore feliciter amen. In
 „ dictione

„ dictione X. Anno Domini Alberti ejusdem Ecclesiæ Frisingensis Episcopi XVIII.
 „ assentientibus ei, & præsentibus ejusdem Ecclesiæ Canonicis, quorum hæc sunt No-
 „ mina. Rudolfus Decanus, Albano Pataviensis quondam electus, Marquardus Pres-
 „ biter, Hainricus Præpositus de Slierse, Liutpoldus Cellerarius, Vilschalcus de Mai-
 „ saba, Hartmudus Archipresbiter, Perhtoldus Præpositus de Ifene, Chunradus Ca-
 „ pellanus, Chunradus Præpositus S. Viti cum aliis pluribus. Hujus autem Con-
 „ cambii Testes sunt Otto palatinus Comes major & Advocatus, Engilschalcus de
 „ Vrahe, Chunradus de Werd, Hainricus felix puer, Vritel de Ismanningen, Megin-
 „ hart de Hage, Chunrat de Wihse, & filius ejus Dhunrat, Wichnant de Zulsdorf,
 „ Ortolf de Haitenchaim, Rapoto de Gundingen, Chunrat de Puhslage, Chunrat de
 „ Vochene, & Frater ejus Fridrich, Fridrich de Pömgarten, Arnold Salewe, Pernger
 „ de Gartenhusen, Wolfher Spifare, & alii plures. Actum Frisingæ II. Idus April.

Sigillum, cujus in Charta nulla fit mentio, appendet unicum, sed nimium læsum, ut nihil dignosci possit, censemus tamen, fuisse Sigillum Alberti Episcopi. Cæterum Annus, quo hæc facta sunt, Imperio æque ac Ecclesiæ ob terminatum diuturnum Schisma, tam memorabilis videbatur, ut Scriba hujus Instrumenti illud etiam hisce Litteris publicis voluerit inferere.

Non multo post, nempe ad finem hujus anni, sive, ut habet Rotulus, inchoante Anno MCLXXVIII. VI. Kal. Jan. in die S. Joannis Evangelistæ, computando initium anni a die XXV. Decembris, Chunradus noster insignem Donationem accepit a Bernardo de Wilhelm, quam integram statim hic recitabimus. N. 60.

„ Notum sit omnibus Christi Fidelibus tam præsentibus, quam futuris, quod Do-
 „ minus Bernhardus de Husen Partem Nemoris, per quod manat aqua, quæ dicitur
 „ Liutaske ad XL. Mansus, & Prati ad præsens ad centum Carradas Fœni eo jure,
 „ quo ipse possederat, Ecclesiæ S. Salvatoris pro remedio animæ suæ, & Parentum
 „ fuorum tradidit. Et hujus Traditionis Testes sunt Arnolt, Ulrich, Chunrat, Bern-
 „ hart, Fideles ipsius Bernhardi, Hartman, Marquart, Diepolt, Hartman de Tutenhu-
 „ sen, Otto & Filius ejus Grifo de Huneshoven, Siboto & Otto de Portenhufen.
 „ Hainric & Filius ejus Chunrat, & Servus ejus Chunrat de Zammes, Vitus de Ty-
 „ rol, Perhtolt de Lohdorf, Rudiger de Phorzheim, & Servus ejus Hainrich, & alii
 „ quam plures. Actum inchoante anno ab Incarnatione Domini MCLXXVIII. In-
 „ dictione XI. VI. Kal. Jan. in die S. Evangelistæ sub Advocato Duce Hainrico, &
 „ Chunrado Præposito ejusdem Ecclesiæ.

Monere hic eruditum Lectorem debemus, Nobiles de Wilhelm, dictos etiam esse de Husen, adeoque unum eundemque esse Bernardum de Husen, & Bernardum de Wilhelm, ut certum est, & paulo post magis constabit, dum iterum redibit sermo de hoc loco Liutaske dicto, ac in Tyroli sito. Quamvis autem Nobiles isti elapso Sæculo in complura Prædia nostra fuerint immissi, nec exigua Ecclesiæ nostræ Damna intulerint, ut jam semel inuimus, negare tamen non possumus, eos postea valde erga nos fuisse liberales, atque beneficos, usque dum nobilissima hæc Familia penitus fuerit extincta. Forte compensationi tacitæ quandoque locus datus est.

Cæterum Conradum, quem extranei æque ac Domestici Scriptores *Beati* titulo honorarunt, fuisse unum ex præcipuis Prælati, quos Ecclesia Pollingana habuit, haud est ambigendum. Transitus ejus ad æternam Requiem post tot labores pie exantlato incidit in Diem secundam Novembris, Anno MCLXXX. quo ipso paulo ante Otto Major, seu Senior ex Comitibus Witelsbacensibus exauthorato a Friderico Imperatore Henrico Leoni, optimo quondam suo Fautori ac Benefactori, non solum in Ducatu Bavariæ, sed etiam in Advocatia Ecclesiæ nostræ successit.

In veteri Membrana hoc ejus Elogium, quod Hundius jam exscripsit, continetur:

„ Chunradus Præpositus hujus loci piæ Memoriam obiit Anno Domini MCLXXX.
 „ qui hanc Ecclesiam Libris & Sacris Vestibus diligentissime decoravit, & iste Chun-
 „ radus fuit Canonicus nostri Monasterii Pollingensis, Vir vitæ Venerabilis, strenuus,
 „ fidelis, prudens, & familiaris, Capellanus Beati Hartmanni Brixinensis Episcopi, sibi
 „ adeo fideliter & constanter rigido animo assistendo, ut propter severitatem Morum
 „ alter Episcopus vel Magister Episcopi diceretur. Hujus quoque Consilii, & piæ
 „ voluntatis affectu Fabrica in Novacella initium accepit. Mortuo igitur Chunone
 „ ejusdem nostri loci Præposito Chunradus iste Præposituræ illius Dignitatem licet
 Tom. V. Cann. Regg. Origines. Bbb invi-

„ invitus suscepit, ubi venerabiliter degens, Deoque devote serviens religiosam vitam
 „ beato fine conclusit anno quo supra, die vero animarum, seu altera Novembris, &
 „ præsuit Prælaturæ XXXII. annos.

Documenta Brixinensia MS. communicata mihi a V. C. Roschmanno, vocant Conradum nostrum *Domus suæ* (Hartmanni) *Præfectum & Procuratorem*.

Biographus supra citatus S. Hartmanni hæc de B. Hartmanno, & nostro Chunrado scribit: *Ut autem liberius posset divinam vacare contemplationi* (Hartmannus) *tribuit ei Deus desiderium animæ suæ, dando ei adiutorium simile sibi Cbunradum Capellanum, Virum strenuum, fidelem, & prudentem, per quem exteriora disponderet, ipsi vero per interiora sollicitudinem suam exerceret. Idem ergo Cbunradus Officium sibi injunctum ita sollicitè procuravit, ut & beatum Virum ab hujusmodi Impedimento exoneraret, & Ecclesiasticis Utilitatibus nihil deperiret, qui etiam post mortem ipsius in Pollingensi Præpositura devote Deo serviens religiosam vitam beato fine conclusit.* Plura adhuc ibi Lector inveniet, ex quibus, quantæ quoque Sanctitatis fuerit Chonradus noster facile innotescit. Quando autem hic *post Mortem Hartmanni* in Pollingensi Præpositura devote Deo servisse dicitur, non sic hæc verba accipienda sunt, quod *ante Mortem Hartmanni* nondum fuerit ad Pollingensem Præposituram promotus: Contrarium enim clare loquuntur Documenta jam allegata, & Traditiones factæ sub Conrado Præposito, nisi duos Conrados post Chunonem sibi invicem succedentes gratis fingere velimus; quod autem vel Titulus Rotuli refellit, qui ita sonat: *Hic est Descriptio Prædiorum, quæ obtinuit, & acquisivit Ecclesia Pollingensis sub Viro glorioso Cbunone ejusdem Ecclesiæ Præposito, & ejus Successore Cbunrado Præposito.* Nulla hic mentio de duobus Conradis, sibi invicem succedentibus inter Chunonem, & Berchtoldum mediis. Sed jam satis de his.

VII.

CONRADO successit BERHTOLDUS. Dedisse hunc nobis hodieque gloriatur vicina, celeberrimaque Canonica Dieffensis, & merito; fuit enim Vir incomparabilis, ac Collegio nostro plurimum utilis, insistens vestigiis sanctis Prædecessorum suorum. Hæc namque habet Vetus Codex Dieffensis post medium Sæculi XIV. scriptus (ubi agitur de Chunrado Præposito Dieffensi XIII.) in fine: *Resat etiam, ut adhuc Religiositatis ejus* (Conradi) *& Providentiæ maxima & laudanda memoria non subticendo transeat, quia dicit Scriptura: Gloria Patris est Filius sapiens; ipse enim multorum Spiritualium Filiorum Sapiencia & Religione jocundabatur, quorum quatuor temporibus suis ad Prælaturas aliarum Ecclesiarum honorabiliter & ipso non mediocriter laborante sunt vocati, & digni inventi, scilicet Dominus Ulricus Saller in Pernried, Dominus Cbunradus Filius Burchardi in Weirn, Dominus Arnoldus de Purgthor ad S. Crucem extra Muros Civitatis Augustanæ, & Dominus Cbunradus Schondorfer in Polling. Temporibus autem Antecessorum suorum quidam successive ex nostris Canonicis a Prælaturas quasdam sunt locati, scilicet Dominus Albertus, & Dominus Gerungus ad S. Crucem superscriptam, Dominus Cbunradus, & Dominus Rembotus in Pernried, & Dominus Berhtoldus in Polling. Ecce testimonium laudabile bujus loci æternaliter commendandum, quoniam prænotati Patres & Domini tanquam Radii Solares in suis locis verbis & factis laudabiliter micuerunt. Hucusque præfata Chronica Prælatorum Dieffensium scripta circa Annum MCCCCLXV. Undenam autem Author hic Anonymus post annos ducentos istam Notitiam sumpserit, latet; nisi forte illam hauserit ex Necrologio, seu ut vocant, Veteri Calendario Dieffensi, ubi Berhtoldi nostri Obitus his verbis exprimitur: *XV. Kal. Aprilis Berhtoldus Pollingæ Præpositus n. c. f. ☉.* Si autem Congregationis Dieffensis Frater fuit, facile supponi potest, eundem ibi etiam fuisse professum; antequam ad Clavum Præfecturæ Pollinganae fuisset promotus. An autem ex Canonica Dieffensi immediate fuerit ad Prælaturam Pollinganam promotus, dubitare licet; ad annum enim MCLXXIII. inter Canonicos Pollinganos in charta aliqua occurrit, tanquam Testis, Berhtoldus, tunc adhuc juvenis, quia *Accolitus*, quem ipsum, cum post annum MCLXXX. inter nostros Confratres non amplius compareat, hoc anno Prælaturæ admotum esse putamus. Quo supposito Berhtoldus ex Canonico Dieffensi factus primum Canonicus Pollinganus, dein autem Canonicis Pollinganis etiam in Prælatum datus esset.*

Quidquid autem sit, Berhtoldus sive Dieffæ, sive Pollingæ Canonicum Regularem induerit, Prælatum, quem induit Pollingæ, egit egregie. Ante omnia, & a
 Exor-

Exordio statim sui Regiminis in id totus incubuit, ut vallis ad fluvium Liutaske hucusque Nemore confita, de qua ad annum MCLXXIII. locuti sumus, ad XL Mansus haud absque magnis Expensis & labore improbo excoleretur, exulta hominibus in habitationem fieret, & nova ibi pro plebe Ecclesia sub Titulo plebesanæ Ecclesiæ erigeretur. Hæc omnia ab Henrico, hujus Nominis tertio, Episcopo Brixinensi, in cuius Diocæsi hæc vallis sita, una cum aliis juribus ac Privilegiis facile obtinuit, ut ex sequenti constat Diplomate:

„ In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Henricus Dei Gratia Brixinensis Episcopus, omnibus Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse cupimus, quod ad Petitionem dilecti Fratris nostri Bertoldi, Venerabilis Pollingensium Fratrum Præpositi Decimationem omnem, quæ provenire potest in Novalibus, quæ possunt excolere circa fluvium Liutaske in Prædio, quod Bernhardus Nobilis de Wilhelm, (Ecce ! qui supra Bernhardus de Hufen vocatur, hic Bernhardus de Wilhelm nominatur, unus nempe idemque erat, ut supra monuimus) „ eidem Cœnobio potenti Manu donavit, consentientibus Fratribus nostris Katedralibus Canonicis, in adminiculum sustentationis Fratrum inibi Deo famulantium, simul cum tertia Parte Decimationum novalium, quam colunt Fratres de Wiltin in loco superiori, eidem Monasterio concessimus. Hujus autem Concessionis Testes sunt Baldwinus Abbas Fratrum in Monte S. Georgii, Henricus Wiltinensis Præpositus, Chunradus in nova Cella Præpositus, Chunradus S. Andreæ in Frisinga Præpositus, Frisingenses Canonici, Otto nobilis, Tageno, Eberhardus, universi quoque Katedrales nostri Canonici cum omni Clero nostræ Ecclesiæ. Actum Dominicæ Incarnationis MCLXXXVI. in Conventu Generali. Succedente vero tempore anno scilicet Incarnationis Dominicæ MCXCV. cum Ecclesiam inibi construxissent, Sepulturam mortuorum, Baptismum, & omnem Curam Ecclesiasticam, quam habet plebesana Ecclesia, prædictis Fratribus inibi tam in Novalibus suis, quam in Novalibus Fratrum de Wiltin de Consilio Chori Auctoritate nostra indultam pleno jure concessimus. Hujus autem Concessionis testes sunt Burchardus Decanus, Wernherus Presbiter Canonicus de Olag, Chunradus Presbiter de Pfalnze, Wernherus Presbiter de Wiltin, Ulricus Presbiter de nova Cella, Chunradus Presbiter, Capellanus, & alii quam plures. Ut autem hujus Concessionis in posterum firmior habeatur Auctoritas, hanc inde Cartam conscribi, & Sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Simili modo obtinuit ab Ottone, hujus Nominis secundo, Episcopo Frisingensi Jus Parochiale pro Ecclesia in Forstenried, cujus Vici prædia supra nobis restituta commemoravimus. Jam prius quidem hanc ipsam Capellam in Forstenried dederat Conrado Præposito nostro in Beneficium Albertus Episcopus Frisingensis, ceu patet ex Epistola Ruperti Abbatis Tegernseensis ad Fratrem suum Germanum Ottonem Præpositum Raittenbuchensem, quam Auctor Originum Guelficarum T. II. L. VI. Probationum N. CXXXI. pag. 612. ex Pez. Cod. Diplom. Part. II. pag. 6. ad annum 1170. refert. Audiamus autem ipsum Diploma Ottonis, & quidem correctius quam illud quondam edidit V. C. Meichelbeckius Hist. Frising. T. I. P. I. pag. 383. sic habet Autographum:

„ In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus Christi Fidelibus tam præsentibus quam futuris, ad quos scriptum istud pervenerit, quod ego Otto Gratia Dei Frisingensis Episcopus Capellam in Forstenriecht, quæ quondam subjecta fuerat Ecclesiæ Niwenriet, Jure Filiacionis respiciens eam, sicut Filia Matricem Ecclesiam; Hanc inquam Capellam a Proprietate & Jurisdictione, & omni subjectione prædictæ Matricis Ecclesiæ exemi, concedens ei Jus Baptismi, & Jus Sepulturæ, & pleno jure dans eam suæ libertati. Factum est autem hoc cum Voluntate Alberti Præpositi de Reitenbuch, (omissus est hic in serie Prælatorum apud Hundium) „ qui eo tempore prædictam Ecclesiam de Niwenriet tenebat. Hic ideo suum adhibuit consensum, nam Præpositus de Pollingen ad Recompensationem istius Exemptionis Prædium quoddam in Parschalchriet prædictæ Matrici Ecclesiæ donavit, Decimatione excepta & sibi reddenda. Factum est hoc Anno ab Incarnatione Domini M. C. VIII. IIII. Pontificatum tenente Papa Cœlestino, Regnante quoque Gloriosissimo Imperatore Henrico. Hujus rei testes sunt Ortwinus Decanus, Magister Chunradus, Chunradus Archidiaconus, Felix puer, Henricus majoris Ecclesiæ plebanus, Fridericus in Angulo, Hermandus, Lutewinus, Magister Henricus, Pabo, Ulricus Præpositus Ifenensis, Otto

„ de Erigenpurch, Henricus de Strubestorf, Ortolfus de Utingen, Arnoldus de Giltechingen, Henricus Vertingus.

Pertinere hanc Cartam ad annum millesimum centesimum nonagesimum quartum, norunt omnes Eruditi, & Rei Diplomaticæ gnari, nec opus est aliqua probatione. Si enim Meichelbeckius non omisisset Tò IIII. usus forte mendoso Apographo, errorem certo in Librarium non rejecisset. l. c.

Ex his autem patet, utramque hanc Parochiam, Forstenriedensem scilicet & Leutachensem, reipsa fundatam esse ex propriis Monasterii Mediis accedente bona voluntate Episcoporum, quorum intererat.

Quadriennio post idem Præpositus Berhtoldus dono accepit a Nobilibus de Tutenhusen Ecclesiam Parochialem in hoc loco, unde ipsi Nomen habuerunt, haud procul Weilhemiō & Pollinga Orientem versus sitam, quam Udallscalcus ex Comitibus ab Eschenlohe Episcopus Augustanus pleno jure exin Monasterio incorporavit, ut ex sequenti Instrumento patet :

„ In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Ego Ulscalcus Dei Gratia Augustensis Ecclesiæ Episcopus tam præsentibus, quam futuris, quibus præsens Pagina manifesta fuerit, Salutem in eo, qui Salus est omnium. Quoniam ex Antiquorum Patrum Tradicione, eorumque Auctorabili Confirmatione nostro attinet officio, non solum Ecclesiis verum Congregationibus universis pro posse providere, & Victualia eorum competenti Amminiculo adampliare; eapropter omnibus præsentia scripta legentibus notum facimus, quod nos dilectis Fratribus nostris in Bollingen ad ampliandas eorum Præbendas, in quibus magnum jam diu passi sunt defectum, per manum Venerabilis Filii nostri Hartmanni & Filii sui Hainrici Ecclesiam in Tutenhusen cum usibus inde provenientibus in perpetuum contradidimus, & eis perpetualiter confirmamus, & stabilimus. Ut autem hæc nostra Donacio rata permaneat, hanc paginam conscribi iussimus, & Sigillo nostræ Auctoritatis communivimus. Sunt autem hi testes, qui prædictæ interfuerunt Collacioni, Præpositus de Staingaden, (Gebiz videlicet, ut infra videbimus), Episcopus Conradus Moguntinus, Frater ejus, Dux Otto, Frater suus Balatinus, Otto, Bertoldus de Scilperhe, Otto conversus, Ulricus Arcidiaconus, & alii quam plures. Sunt autem hæc acta, quod præsentem donavimus Paginam, anno Incarnacionis Domini millesimo CCmo. Imo. Indictione II da.

Ex hoc Diplomate nobilissimis testibus munito constat insuper, Conradum ex Comitibus Witelsbacensibus Archi-Episcopum Moguntinum, cujus Obitum V. C. Georgius Christianus Joannis *Rerum Moguntiacarum* Vol. I. L. V. pag. 581. anno millesimo ducentesimo alligat, adhuc anno millesimo ducentesimo primo supervivisse. Cum autem hæc ipsa Donatio postmodum quoad Jus investiendi a quibusdam Nobilibus *Fuezz*, seu *Fuess* dictis fuerit controversa, brevi iterum sermo redibit.

De insigni hoc Prælato, qui triginta duos annos circiter Pollinganam Ecclesiam inter adversitates sat multas gubernaverat, plura adhuc forent dicenda, quæ in aliud tempus & locum differimus. Obiit autem Berhtoldus post innumeros labores Anno MCCXII. die XIX. Martii, ut habet Necrologium Pollinganum, quod secutus est Hundius. Vetus Calendarium Dieffense obitum ejus uno die anticipat, affigitque ad XV. Kal. Aprilis, id est XVIII. Martii.

VIII.

EGLO substitutus BERHTOLDO a Fratribus ex Gremio in ea incidit tempora, ubi in nostra vicinia ob rixas ac pressiones Principum omnia Sus-deque ferri videbantur; his tamen calamitatibus haud attritus, integris duodecim annis, providum se Patrem erga filios exhibuit, donec tandem in pace quieverit Die XXVI. Julii Anno MCCXXIV.

IX.

Post mortem EGLONIS transtulerunt Fratres unanimi Electione nubilis istis temporibus non tam honorem, quam onus Prælaturæ in MANEGOLDUM, Virum prudentem, sed jam admodum senem. Hic statim a principio Regiminis sui tricas habuit cum

cum nobili Familia *Fuezz* seu *Fuess* germanice, latine autem *Pes* dicta, ratione Ecclesie Tutenhusanæ, seu potius Juris nominandi ac præsentandi ad hanc Parochiam, quam Hartmannus & Filius ejus Henricus Nobiles de Tutenhusen cum consensu Udalscalci Episcopi Augustani, & in præsentia Testium valde illustrium, ut supra recensuimus, Ecclesie Domini Salvatoris in Pollingen pleno Jure donaverant. Quo autem titulo Jus investiendi hanc Ecclesiam sibi arrogaverint Nobiles hi, an tanquam hæredes ac proximi Agnati Nobilium de Tutenhusen circa hæc tempora, ut videtur, extinctorum, an ex alia ratione? haud equidem fatis liquet; id scimus, hanc litem brevi in favorem Monasterii fuisse decisam teste Tabula, quam hic adducimus.

„ Ne Rei gestæ Notitia fumo oblivionis evanescat, & pereat, scriptis so-
 „ let commendari. Unde notum esse debet tam præsentibus, quam futuris, quod Do-
 „ minus Hartmannus, & Filius ejus Hainricus Jure Patronatus Ecclesiam in Tuten-
 „ husen Jure perpetuo Ecclesie Domini Salvatoris in Bollingen contradiderunt. Ve-
 „ rum processu temporis post obitum Berhtoldi & Egelonis ejusdem loci Præposito-
 „ rum, qui præfatam Ecclesiam Tutenhusen tali titulo possessione quietissima per
 „ XXVI. annos possederant, Philippus Hermanni Pedis Filius, & Patruj ejus Hainri-
 „ cus & Otto Jus investiendi eandem Ecclesiam sibi vendicaverint, litisque contesta-
 „ tione pro Investitura sint agressi. Citatis autem Partibus cum intellexissent suam
 „ nullo æquitatis jure partem muniri, in audientia Domini Ludewici illustris Ducis
 „ Bauvariæ, ejusdem Ecclesie advocati, nulla præhabita ratione liti renuntiaverunt.
 „ Ut autem hæc actio perenniter inconcussa permaneant testium Nominibus subnota-
 „ tis, Sigillis Dominorum ipsius Ducis, atque Venerabilis Sifridi Episcopi Augusten-
 „ sis præsentem Paginam obtinuimus insigniri. Testes Chunradus Abbas de Wez-
 „ zensbrun, Hainricus Præpositus de Diezen, Pernhardus liber de Wilhaim, Hain-
 „ ricus liber de Schovmburch, Hermannus Pfenare, Otto Pes, Sifridus Pes, Eber-
 „ hardus Torare, Gotscalcus de Widersperch, Chunradus de Paierprunnen, Sifridus
 „ de Drozlingen, Otto de Etisloch, & alii quam plures; hæc acta sunt apud Diezen
 „ in Domo Perhtoldi Musingarii Anno ab Incarnatione Domini M. CC. XXIII.
 „ VIII. Idus Novembris Manigoldo Præposito antedictam Ecclesiam Bollingen re-
 „ gente.

Advertimus, causam hanc jam tunc temporis coram Ducibus Bavariæ æque ac coram Episcopis cumulative fuisse tractatam, & quamvis Manegoldus Præpositus cito potuisset liti huic plane temerariæ finem imponere, edendo Titulum & Tabulas, quibus traditio Parochiæ Tutenhusanæ ab Episcopo Augustano Udalscalco fuerat firmata, id tamen non fecisse, sed contra adversarios suos in nuda se Possessione tenuisse. Potuisset etiam Manegoldus causam suam fulcire testimonio omni exceptione majore Præpositi Staingadenensis, qui traditioni Parochiæ Tutenhusanæ ipse personaliter aliquando interfuerat, & adhuc in vivis erat, non tamen id eum fecisse legimus: sola namque possessione se tuebatur, & hoc solum ei sufficiebat, ut justam causam pro se in Judicio possessorio cito evinceret. Adeo sacra res erat illis temporibus quæcunque etiam quieta possessio adversus Turbatores quoscunque, ut alio titulo vix quis indiguerit. Conferatur hoc Documentum cum illo, quod supra ad annum MCCII. in causa Odratingana adduximus; utrumque Historiam Boico-Ecclesiasticam valde illustrat.

Cæterum Attestatnm Præpositi Staingadenensis, de quo jam diximus, sic habet:

Universis in Christo Fidelibus, quibus præsens Pagina delata fuerit, Gebizo in Staingaden Conservus & Confrater sibi Commissorum Salutem in eo, qui est Salus omnium. Innotescat Universitati vestræ harum representatione litterarum, quod Dominus Ulscaicus Augustensis Ecclesie Episcopus per Manum Hartmanni & Filii sui H. (Henrici) Ecclesiam Tutenhusen dictam contradidit Ecclesie Domini Salvatoris in Bollingen jure perpetuo possidendam. huic Traditioni ego personaliter interfui. ad hujus rei evidentiam comprobendam, quomodocunque sententiatum fuerit, testis ero paratissimus.

Ex quo intelligimus, in Catalogo Prælatorum Staingadensium apud Hundium in Metrop. T. III. pag. 367. gratis fingi duos Gebefones, seu Gebizones, cum anno MCCXXIII. unus idemque Gebiz adhuc supervixerit, qui anno MCCI. ipsi Traditioni præsens intererat. An Waltherus & Bertholdus fuerint re ipsa intermedii Præpositi, & anno MCCXXIII. prout ibi ponitur, Gebiz, qui jam anno MCCI. ad Cla-

vum federat, iterum & secunda quasi vice ad Prælaturam fuerit promotus, nostrum non est hic examinare.

Causa hac feliciter finita Manegoldus integro Biennio in Prælatura non omnino exacto inter calamitates vivere desiit XIV. Kal. April. Anno MCCXXVI.

X.

Junior ad Regimen Fratrum venit, unanimi Calculo electus, HENRICUS hujus Nominis I. MANEGOLDI Successor, Vir inter perpetuas vicissitudines boni & mali semper sibi constans & æqualis. A multis jam annis, ceu sub Prædecessoribus ejus inuavimus, Pollinga variis continuisque afflictabatur miseriis, oppressionibusque; ex quo namque Otto Comes Palatinus Rheni ex Domo Witelspacensi Philippum, Regem Germaniæ proditorie in Babenberg occiderat, quod XXI. Junii Anno MCCVIII. accidit, omnia non solum in Imperio, sed etiam in Bavaria turbabantur. Cum enim Otto Sicarius brevi post in Francofurtensi, dein etiam in Augustano Conventu una cum Henrico Comite Andecensi, & Marchione Istriæ, tanquam sceleris conscio, imo instigatore juxta Legem Boicam ab Ottone IV. Philippi occisi quondam in Imperio Corrivale, nunc Successore publice proscriberetur, Res Indies fere ibant in pejus, ita, ut quique Magnatum potentium pro suo, quo in Partes ferebantur, Studio, alter alterius Possessiones, Castra, Prædia promiscue igni ferroque vastarent; cumque proscripserit Otto Anno statim insequente MCCIX. similiter ab Henrico Marechalco de Calatin fuerit occisus, & hac occasione Ludovicus Dux Baviariæ Palatinatu Rheni augetur, Henricus autem, Comes Andecensis, similiter proscripserit, & Marchionatu Istriæ jam spoliatus fuga Saluti suæ prospiceret, passim in ejus Bona, quæ in Bavaria possedit, invasum est, Castrumque Andecense, Sedes ejus, in nostra vicinia situm, a Ludovico Duce Baviariæ, & Ottone Comite Phaleyensi &c. conjunctis viribus, & multa effusione sanguinis penitus tandem destructum est; quo tempore Canoniam nostram, etsi sæpe memoratus Dux Baviariæ Ludovicus ejus esset Protector & Advocatus, ingentia tamen damna tulit, & quamvis furor hostilis exciso Castro aliquantulum remitteret, quies tamen ab exactioibus, & aliis oppressionibus haud erat, quoad usque fere Henricus inter vivos degeret; accidit autem Obitus ejus Anno MCCXXVIII. Porro cum Henricus Comes Andecensis nullos post se Liberos relinqueret, Castrumque Andecense, quod jam in Dominium Ludovici Ducis Baviariæ transferat, adhuc desolatam jaceret, nec spes affulgeret, quod illud brevi restitueretur, cumque defuncti Henrici Frater Otto, ex Comitibus Andecensibus Dux Meraniæ, a Ludovico Duce Baviariæ, jam hujus loci Possessore, impediretur a capienda Fratris sui jam defuncti hæreditate, has ipsas inter turbas Henricus Præpositus noster subito, ac præter omnem spem mira quadam consolatione a Deo delibutus est. Res hæc ita contigit:

A multo jam tempore erat in Capella Castri Andecensis Imago quædam Christi Crucifixi affabre ex ligno facta, quam Comites Andecenses multo honore & cultu pio jam dudum prosequerentur. Hanc tandem Anno MCCXXIX. cum etiam hinc auferre, ac in suum Monasterium transferre vellent duo illi Capellani Andecenses Isaacus & Jacobus Monachi, ut ajunt, Seonenses, qui hucusque in Castro Andecensi, utut jam diruto, Altari adhuc inserviebant, ecce! subito animalia, Sacrum hunc Thesaurum ad destinatum locum suum in Seon transportantia, Forstenriedæ, ubi transire debuerant, subsistunt, ita, ut nulla humana vi inde amplius moveri potuerint; quo facto boni illi Monachi pie conjecerunt, Crucifixum hoc in loco Sedem sibi ipsi elegisse; quod & factum est, dum in hodiernum usque diem Crux hæc Andecensis ultra quinque jam Sæcula, Miraculis & Beneficiis clara ibidem prostat. Est autem Forstentieda locus, duabus circiter horis Monachio Baviariæ Metropoli distans, & pertinens, cum Parochia & Curtibus ibidem, ad Dominum Salvatorem in Polling, ut sæpius jam memoravimus, quæ quoque hodie per Canonicum Regularem Pollinganum ibidem residentem regitur. Hucusque dicta de Cruce Andecensi Eruditus Lector in Veteri Missali Andecensi, quod adhuc ibi exstat, annotata reperiet, ut patet ex Epistola Cælestini Abbatis Andecensis, data XXI. Febr. Anno MDCLVI. ad R. P. D. Augustinum Baader Canonicum Regularem Pollingæ, ac. p. t. Vicarium expositum in Parochia Forstentiedensi. Ibi inter alia Memorabilia de Cruce Andecensi, nunc Forstentiedensi, tria potissimum exprimuntur, ex jam laudato Antiquissimo Missali deprompta.

1mo. Prædictam Crucem, cum adhuc in Sacra Capella Arcis Andecensis servaretur, jam tum fuisse variis signis, Miraculis ac Beneficiis insignem, nec solum a Comiti-

mitibus Andecensibus, sed etiam ab aliis Fidelibus publice cultam, singulariter autem ab Agnete Berhtoldi Ducis Meraniæ & Comitis de Andechs filia, quacum, cum aliquando ferventius oraret, Christus iterum iterumque voce intelligibili ex hac Cruce locutus fuisse perhibetur: ac primo quidem petiisse ab ea Coronam, non aliam autem, quam spineam, hanc autem, ut offerre posset, promississe ac prædixisse, Agnetem futuram esse Reginam Franciæ; quæ omnia quidem impleta sunt, quamvis Agnes Regina Franciæ Philippo II. Regi nupta, priori Matrimonio pro valido declarato, iterum fuerit repudiata. Ita Missale Fol. H. XVII. Ant. Brunnerus in Annal. Boicis P. III. l. 23. pag. 612. &c.

2do. Mathildem, Comitissam Garitiæ, Berhtoldi II. Marchionis Istriæ Filiam, & Berhtoldi III. Ducis Meraniæ Sororem, cum diuturna jam Infirmirate detineretur, Crucem hanc Andecensem, quam toties Andecii venerabatur, in visu aliquando sic præsentem habuisse, ac si claris verbis Sanitatem illi promitteret: Visionem hanc etiam non fefellisse; quamprimum enim ex Consilio Directoris sui, cui illam revelaverat, Vo um Crucifixo fecerat, Mathildem illico pristinae Sanitati fuisse restitutam, Coronamque, quam voverat, ex auro & Margaritis pretiosam, ipsam ex post Crucifixo suo Benefactori personaliter imposuisse. Ita rursus Missale Fol. H. XIV.

3tio. De eum, Henricum ipsum, qui ultimus ex Comitibus Andecensibus hunc locum incolue at, vidisse aliquando, qualiter hæc Imago Crucifixi ante destructionem Castrî & Sacræ Capellæ liquidum sanguinem per octo dies sudaverit, quo prodigioso sudore ruinam loci, paulo post secutam, portendisse credabatur. Sic iterum jam sæpius laudatum Missale fol. I. VIII. quod cœvum, vel certe suppar dicere possumus. Unde non nemo Veterum hos quondam Versus ad pedem Crucis adscripsit:

Hac misisse ferunt ter vocem ex arbore Christum,
Sanguine & octonos immaduiffe dies.
Jam tacet, & nullæ stillant ex Corpore Guttæ,
Nimirum Lacrymas vellet habere tuas.

Aucta sic miraculoso hoc Thesauro nova sua Parochia Forstenriedensi, Henricus Præpositus noster in id totus incubuit, ut debitus Crucifixo honor impenderetur, nec suo etiam effectu caruit pius Henrici Zelus, ut veteres tabulæ testantur, favente in primis Sanctis Conatibus Ludovico Duce Baviariæ, Ecclesiæ nostræ Pollingianæ Advocato. Verum cum idem Dux Anno MCCXXXI. XVI. Kal. Octobris Kelhemii proditorie fuerit occisus, & Otto Filius ejus in Palatinatu Rheni æque ac in Ducatu Baviariæ succederet, res Pollingianæ de novo iterum turbari cœperunt.

Hucusque Villa Wilhelm erat Villa, & adhuc spes aliqua superesse videbatur, quod posset redire ad Dominum suum, cui Anno MX. a Sancto Henrico Rege jam olim fuerat restituta, maxime cum Bernardus hujus Nominis III. ex Liberis de Wilhelm id ipsum tacite optasse videbatur, etsi id aperte facere non liceret, cum tam ipse quam Progenitores sui hac ipsa Villa quondam a Comitibus Schyrensibus & Wittelspacensibus fuerint inbeneficiati. Quemadmodum autem Ludovicus Pater (erepta a Frederico I. Rege Ottoni Magno, primo ex Wittelspacensibus Bojorum Duci, Parenti suo, Baviariæ Urbe primaria, ac vix non si Patavium excipias, in terris Boicis tunc unica, Ratisbona) condendis Oppidis in Urbibus operam navare jam cœperat, ut patet in Landishuto, Straubinga, Landavo, & Aicha, quæ nunc Urbes sua Ludovico initia debent; ita Otto Filius non solum paternis hisce cœptis gloriosum Colophonem imposuit, sed multa insuper nova Oppida Urbesque moliri, ac Baviariam, cum avulsa ejus Metropoli Ratisbona haud aliæ Urbes superessent, totam novam reddere impigre conatus est, unde & Nomen *Illustris* apud Posteris merito adeptus esse videtur. Inter alia nova Oppida, quibus Initium aliquod dederat Otto Illustris, etiam Weilhemium numerari meretur; & quamvis a principio nondum fuerit muris cinctum, ut postea videbimus, plura tamen ibi ædificia nova fiebant, in tres plateas tributa, quarum una versus veterem Parochialem Ecclesiam Sancti Hippoliti Martyris, alia versus antiquam Sedem Nobilium de Tolire, nunc leproforum habitationem in Töllern vulgo dictam, ac demum alia versus Vicum proximum Tutenhusen respiciebat. Advertimus hic (nec dubitamus id ipsum etiam in aliis Urbibus condendis contigisse) pleraque fere ædificia prima studio & cura Nobilium fuisse erecta, ut Principis Gratia potirentur, eos autem, qui varias exin artes, aut opificia exercuere, his demum successisse.

Jam hac occasione, cum ad construendas tot novas habitationes ingenti lignorum numero opus foret, Henricus Præpositus noster æquo utique animo, etsi haud absque amaritudine animæ suæ, pati, imo coram intueri debuit, quomodo sibi & Domino Salvatori in Pollingen integra Sylva in Gratiam Ducis ab his novis Colonis penitus fuerit excisa, exterminataque. Scriptores quidem nostri domestici hujus Sylvæ nomen & lobum haud indignant, admodum autem vicinam fuisse Weilhemio, dubium esse non potest. Ubicunque autem hæc Sylva fuerit sita (nolumus enim in re incerta hariolari) certum est, Canoniam nostram in decidenda hæc Sylva, ceu signate annotatur, ingentia ac prorsus ineparabilia damna tulisse. Huic Malo accessit, Fundum ipsum, ubi ligna cadebantur, deinceps jam non ad Dominum Salvatorem ad quem prius pertinuerat, rediisse. Et quamvis Henricus Ecclesiæ suæ Pollinganzæ indemnificationem quoad ista iterum iterumque urgeret, nihil tamen obtinere potuit, donec tandem Otto Dux Baviaræ ipse Weilhemium venerat; ubi quantocyus res aliter acta est, urgente & agente præsertim ipso Bernardo de Wilhelm, qui rei hujus optimam Notitiam habuerat; quamprimum enim Otto Dux damna nobis illata intellexerat, statim quidem de danda satisfactione cogitabat, sed quæ perdidimus, nunquam recepimus, ut ex sequenti patet Diplomate.

O. (Otto) *Dei Gratia Palatinus Comes Rheni, Dux Baviaræ universis præsentem paginam inspecturis & audituris Salutem in vero Salutari. Notum facimus Universitati Vestræ, quod nos in recompensationem damnorum, quæ intulimus Ecclesiæ in Pollingen decidendo quamdam Sylvam, nec non in remedium animæ Patris nostri, & Parentum nostrorum contulimus eidem Cænobio omne Jus quod habere dinoscimur in Ecclesia Odratingen (Odratingen) ut eadem Ecclesia deserviat prædicto Conventui liberaliter in perpetuum, post obitum autem Ul. (Ulrici) Canonici Sancti Andrea Frisingensis quondam Notarii nostri, qui eo tempore, cum facta est a nobis hæc donatio, Rector fuit ipsius Ecclesiæ, Canonici sæpediti Cænobii sibi debent Ecclesiam, quam donavimus, vendicare. Acta sunt hæc apud Wilhelm anno Domini millesimo CC. XXXVI. Testes sunt Pernbardus de Wilhelm, Perbtoldus & Heinricus de Eschenlob, Ulricus de Wiggersbusen, Eberhardus de Porta, Gotscalcus de Widersperc, Albardus de Prisingen, Sifridus de Fromenberc, Perbtoldus de Schilpercb, H. de Lechesperc, C. & O. Fratres de Baierbrunne, Kunradus Abbas de Wezzinsprunne, Perbtoldus Pes Plebanus de Wilhelm, & alii quam plures. Facta sunt hæc sub Præposito Heinrico.*

Ex hoc tempore Parochia Odratingana tam quoad Spiritualia, quam quoad temporalia plenissime subjecta est Domino Salvatori Pollingæ, curaque ejus ab uno ex nostris illuc excurrente continuo exercetur. Cæterum observamus, primam hic fieri Memoriam alicujus Plebani in Wilhelm, sat certo indicio, ipsam Parochialem Ecclesiam, quæ intra Muros nunc est, circa hæc primum tempora fuisse erectam, eamque multo juniorem esse Ecclesiæ Parochiali, ad S. Hippolitum dicta, & nunc in suburbio, seu extra muros sita. Erat autem Perhtoldus (quem ipsum etiam omnium primum ex Plebanis de Wilhelm adducit V. C. *Vindelicæ Sacræ Auctor in Capitulo Weilhemensi* pag. 31.) ex nobili Familia *Fuezzorum*, latine *Pedum* dicta, ea ipsa videlicet, quæ ante XII. annos Domino Salvatori in Pollingen super Ecclesiâ Tutenhusana, ut jam diximus, litem moverat, sed causa ceciderat, Ludovico Duce Baviaræ, & Sifrido Episcopo Augustano rem pro Monasterio decidentibus.

Reliqua Præfulis hujus Acta hic omittimus. Dignitatem is cum vita exiit XXI. Julii Anno MCCXLVII. postquam non omnino viginti duos annos summa cum laude præfuit. Cæterum videtur fuisse ex nobili Familia de Phetin, seu, ut nunc eloquimur, de Pfitzen, qui Landspergæ quondam præcipua Bona habebant: certe a Coævo quodam Pheptinus seu Phetinus appellatur & dicitur; An autem a Profapia vel a Patria sic dicatur, nescimus; scimus vero Landspergam Veteribus etiam Phetine dictam esse, unde hi Nobiles Nomen suum habuere,

XI.

Post mortem HENRICI in ejus locum voluntate ac calculo Fratrum e Gremio susceptus est DIETRICUS, seu Theodoricus, Vir magnæ Virtutis, Nobilitatis & Prudentiæ laude insignis. Talem tunc temporis Præfulem, ubi Jura Ecclesiastica & Advocatitia passim violabantur, Res Pollinganzæ vel maxime exposcebant, ne omnia simul & semel perirent, jam casui proxima, maxime cum Otto Ipse Illustris Bavarorum Dux, tanquam Advocatus noster, qui potius debuisset Dominum Salvatorem defendere, si-

nistris

nistris Ministerialium suorum consiliis irritatus, haud desisteret indebitis nos perpetuo vexare exactionibus. Quod exemplum Ducis multi dein ex Nobilibus, dummodo sat potentes essent, impune secuti sunt, adeo, ut ab his Harpiis vix aliquid relinqueretur in nostra vicinia intactum, imo hi ipsi quotidie sic inter se collidebantur, ut plerumque tertius debuerit exsolvere, quæ tamen non rapiebat. Volebat quidem huic malo remedium afferre Innocentius PP. IV. hujusmodi raptores & oppressores libertatis Ecclesiasticæ Diris devovendo; cum autem illis temporibus Fulmina hæc potius riderentur, quam timerentur, Res in dies in pejus abierunt; & forte fatius fuisset, hæc Fulmina non vibrasse, quam animos his jam irritatos ulterius exacerbasse. Has autem inter turbas ea semper præfulsit prudentia Dietricus noster, ut, licet plurima cum aliis sit passus, neutri tamen parti aperte faveret, cum utrinque excessus fieri forte dispiceret, & hinc id saltem effecit, ut nullius partis iram directe in se converteret.

Anno MCCL. cum Conradus Friderici II. filius Augustam Vindelicorum veniret, contulit se eo etiam Dietricus noster, pro quadam Sylva, *Aicholz* dicta, & haud procul a Monasterio sita, tum apud Conradum ipsum, in Romanorum Regem jam electum, tum etiam apud Hartmannum Episcopum Augustanum, ut eandem Domino Salvatore donarent, supplicaturus. Quamvis enim dubitari vix possit, quod non jam pridem hæc Sylva ad Dominum Salvatorem in Pollingen pertinuerit; ea tamen ætate proprietates hujus nemoris ad Episcopum Augustanum, ejusque Ecclesiam, usus vero ejusdem nemoris ad Conradum jam dictum attinuit, ut statim videbimus. Pro hac igitur Sylva supplicavit Præsul noster, nec in vanum abiire preces, ut ex sequentibus duobus Diplomatis patet; ac quidem primum a Conrado sic sonat:

Conradus divi Augusti Imperatoris Friderici Filius, Dei Gratia Romanorum in Regem electus, semper Augustus, & Rex Regni Jerusalem. Per præsens Scriptum notum facimus universis, quod nos pro Reverentia Dei usum Nemoris, quod vocatur Aicholz prope Mozmyl Monasterio S. Spiritus in Pollingen duximus misericorditer concedendum, Jus advocaticium ejusdem nemoris nobis, nostrisque futuris hæredibus & Successoribus reservantes. Ad cujus rei memoriam præsens Scriptum inde fieri, & Sigillo nostro justimus communiti. Datum Augustæ anno Dominicæ Incarnationis millesimo, ducentesimo quinquagesimo, Mense Martii, OZava Indictionis.

Alterum sic habet:

Hartmannus Dei Gratia Ecclesiæ Augustensis Episcopus universis præsentium Inspectoribus Salutem in Domino. Ne res præsertim dignæ Memoria oblivionis devio perimantur, expedit eas Scripturæ subsidiis adjuvare. Cujus rei causa notum esse volumus universis tam præsentibus quam futuris, cum Severissimus Dominus Conradus divi Augusti Imperatoris Friderici Filius, Dei Gratia Romanorum in Regem electus, semper Augustus, & Hæres Regni Hierusalem pro Reverentia Dei habitationem seu Fundum Nemoris, quod Aicholz dicitur prope Mozmyl Monasterio S. Spiritus in Pollingen in usum perpetuum contulerit, quod nos grata & fidelia servicia ab ipso Monasterio nobis & Ecclesiæ nostræ pluries impensa adtendentes ipsius Fundi Proprietatem nobis & Ecclesiæ nostræ pertinentem eidem Monasterio in Pollingen donavimus perpetim possidendam. In cujus nostræ Donationis evidens testimonium & debitam Firmitatem præsentibus ipsi Monasterio Sigillo nostro dedimus fideliter communitas. Datum Augustæ Anno Domini Millesimo CCL. Kal. Maji.

Sic nempe divino nutu factum est, ut dum integra Sylva ante aliquot annos ab Ottone illustri Domino Salvatore exscinderetur, ut jam diximus, nunc alia pro illa a Conrado Romanorum Rege electo, qui Elisabetham Ottonis Filiam conjugem habuit, Domino Salvatore redderetur. Sylva hæc jam non unum, ut olim, sed plura juxta diversas scilicet plagas, ad quas terminat, nomina nunc obtinet: juxta lacum *Ottelensee*, nunc *S. Jacobi* dictum, ad quem terminat versus Septentrionem, vocatur *Seeholz*; ad Orientem, qua respicit Vicum *Oettingen*, ob pascua, quæ ibi Rustici *Oettingani* habent, communiter appellatur *Oettinger Tract*; Meridiem versus, ubi habet editum collem, & versus *Pergam* & *Hugolvingam* Vicos extenditur, hodie adhuc *Aichbern* dicitur; demum versus Occidentem, ubi respicit ad Molendina, dicta antiquitus *Müll am Moos*, ab his nunc *Müll Wald* vocatur. De reliquo nemo aliquid juris habet in hoc nemore, sive spectes lignationes, Venationes, aut Jurisdictionem &c. sed totum nemus cum usu & proprietate pertinet ad Dominum Salvatorem in Pollingen.

Eodem anno, & quidem brevi post, in Festo scilicet Sanctæ Lucie extinctus est Fridericus II. Imperator, cum quo sepultos credidisset tumultus, qui hæcenus Gibelinos inter & Welfos exarserant, totamque Ecclesiam una cum Imperio misere dilaceraverant; sed frustra: Succedente enim in Imperio Conrado Friderici Filio, statim iterum adversus novum hunc Imperatorem prædicata est Crux. Cumque Conradus Gener esset Ottonis Illustris Bavarie Ducis, utpote Filiam hujus ex Agnete, Elisabetham nomine, habens in matrimonio, ut supra jam indicavimus, Turbæ novæ excitatæ sunt tam in Suevia, quam in Bavaria; turbas has auxit nova querela Conradi I. Episcopi Frisingensis, criminantis adversus Ottonem apud Sedem Apostolicam varia Jura læsa Libertatis Ecclesiasticæ per Angarias, Perangarias, Tallias, aliaque nova onera Clero imposita. Rê hac jussu Pontificis Innocentii IV. per Hugonem Legatum Apostolicum examinata & comprobata, Otto Litteris Apostolicis desuper admonetur; cumque aliis nixus principiis nollet parere, de novo Diris devovetur. Quod autem ad nostram pertinet Historiam, id est, quod Bullæ hujus Execratoriæ, datæ Afisii II. Nonas Junii Pontificatus Innocentii IV. anno decimo, Executor cum aliis vicinis Prælati Rottenbuchensi, Staingadensi &c. noster etiam Dietricus fuerit constitutus. Quam accepta ipsi esse debuerit hæc Commissio Pontificia, cum subdito adversus Principem, & quidem adversus Advocatum Ecclesiæ suæ sic procedendum esset, facile est divinare. Verum cum brevi post, eodem scilicet adhuc anno Millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, Otto ipse in pervigilio S. Andreae Apostoli subita morte extinctus fuerit, admodum vero simile est, executionem hujus Commissionis abiisse in auram, quamquam alii aliud sentiant. Bullam hanc execratoriam in sua Historia Frisingensi in lucem produxit Meichelbeckius T. II. pag. 40. ubi eam eruditus Lector invenire potest.

Mortuo Ottone, Dietricus integrum annum non omnino supervixit; cum & ipse inter Calamitates innumeras naturæ debitum solvit Anno MCCLIV. die XXIII. Octobris, quo anno ipso, cum Conradus Rex Germaniæ obiret, suum quoque initium sumpsit Magnum illud Interregnum, quod postea tot dissidia, tot vicissitudines, totque nova Jura in Imperio creavit.

Sub Dietrici Regimine ad Prælaturam Dieffensem, libere ibi resignante Alberto, postulatus est unus e nostris Canonicis, Conradus nomine, de quo Chronographus Dieffensis in Catalogo Præpositorum hæc habet:

Sextum Præpositum Pollinga dedit, cum sua non obscura laude, Conrado nomen fuit. Cujus Viri quo major virtus erat, hoc magis permittente Deo, exercita adversis. Nam ipso Anno c. CCCL. quo ad regendum accessit, V. Idus Augusti borrenda grandine pestum ierunt omnes Fruges nostræ tam hibernæ quam æstivæ, tum in agra Dieffensi, tum alibi ad numerum XXX. prædiorum majorum ac minorum cum Decimis septem Ecclesiarum, nimirum Brunna, utriusque Mæusing, Wesling, Frieting, Mischenried, & Eschenloch; quibus malis non defuerunt, aliæ vexationes & cruces quotidiana, quas tamen Conradus velut alter Jobus animo invicto superavit, & quod mirum esse potest, in tantis calamitatibus non tantum nihil prædiorum Monasterii avertit, sed alia emit, alia olim oppignorata redemit, ac post annos Præposituræ XIII. cum divitio migravit e vita. Ita ibi

XII.

Funebribus Honoribus DIETRICO vix perfolutis GUNTHERUS, Vir opere præstans & Sermone, Fratrum Consilio & Voto, licet invitus, præesse jubetur. Hic cum ex nobili Progenie descenderet, & alias excelsis animi dotibus esset prædictus, magna apud Principes terræ, aliosque Magnates in Curia Bavarica pollebat gratia, maxime autem apud Agnetem Ottonis Illustris relictam Viduam, ejusque Filium Ludovicum, cui, facta cum Henrico Fratre suo Bavarie divisione in superiorem & inferiorem, Pars superior jure hæreditario obtigit, quique postea, utut alias mitissimus, ob execrandum illud facinus, quo ob malam suspensionem cæco impetu raptus innocenti Conjugi suæ Mariæ Henrici Brabantie Ducis Filie in Castro Werd apud Danubium amputari caput jufferat, recte Nomen *Severi* indeptus erat. Tragicum hoc spectaculum, & quod ipse Ludovicus non semel pœnituit, multis postea Bonis, ceu apud alios Authores videre licet, ansam præbuit.

Cum idem Ludovicus Severus Anno MCCLXI. mense Januario, cum nova Conjuge sua Anna Gloggaviensi Dachavium veniret, ibique ad aliquod tempus moraretur,

Gun-

Guntherus noster se illuc ad illum contulit, eique, tanquam Advocato Ecclesiæ Domini Salvatoris in Pollingen, sua Homagia demississime renovavit, quod optimus Princeps obsequium tam benigne suscepit, ut non nisi largiter remuneratum, tribusque Curiis, quarum duæ in Wilhelm, tertia autem in Odratingen existit, auctum a se dimiserit. En Diploma Donationis hujus!

„ Ludovicus Dei Gratia Comes Palatinus Rheni Dux Bawariæ. Antiquorum
 „ decrevit provisio, nec modernorum ingenio displicebit, res gestas in occursum fu-
 „ turi Scandali vel Calumpniæ litterali Expressione memoriæ hominum commendare.
 „ Nam juxta Sapientis Eloquium, Memoria est gloriosum & admirabile Donum Dei,
 „ per quam præterita recolligimus, & per præsentia futura quodammodo contempla-
 „ mur. Tenore igitur præsentium profiteamur & patere volumus universis tam præ-
 „ sentibus quam futuris, intuentibus seriem hujus Scripti, quod nos ob Reverentiam
 „ Dei Omnipotentis, Ecclesiæ in Pollingen duas Curias in Wilhelm, & unam Cu-
 „ riam in Odratingen cum agris, pratis, pascuis, Sylvis, quæsitis & inquirendis in re-
 „ medium nostrorum peccaminum tradidimus pleno jure proprietatis possidendas.
 „ ad hujus itaque rei memorialem observantiam & stabilem Firmitatem præsentem
 „ Litteram ipsi Ecclesiæ in Pollingen cum annotatione testium dedimus nostri Sigilli
 „ munimine roboratam. Testes autem sunt Magister Dicricus Prothonotarius noster
 „ Præpositus de Illmunster, Hadmarus de Laber, Hermannus de Hurnheim, Heinri-
 „ cus de Prisingen, Nodungus de Schrovenhusen, Staringarius, Waltherus de Cu-
 „ ria, Otto & Rapoto Fratres de Ovsenhoven, Chuno de Hage, Ulricus de Dacha-
 „ we, Chunradus Judex de Dachawe, Chunradus de Pritelbach, Albertus & Arnol-
 „ dus Notarii, & alii quam plures. Actum & datum apud Dachawe anno Domini
 „ millesimo, ducentesimo sexagesimo primo pridie Kalendas Februarii Indictione
 „ quarta.

Has Curias in utroque loco adhuc possidemus. Cæterum cum Ludovicus in remedium peccaminum suorum se hanc Donationem fecisse asserat, satis intelligimus, quanta compunctione Spiritus Conjugicidium suum usque ad cineres detestatus fuerit.

Anno proximo aliam Curiam in Marchpach dono accepit Monachii idem Præpo- situs noster ab Agnete Palatina, Ottonis illustris relicta Vidua, regnantium Filiorum Ludovici & Henrici Bawariæ Ducum Matre gloriosa: Instrumentum Donationis hujus, Matris, duorumque Filiorum Sigillis munitæ, sic habet:

„ Agnes Dei Gratia Comitissa Palatina Rheni, Ducissa Bawariæ omnibus præ-
 „ sentis Paginæ inspectoribus Salutem in eo, qui nos redemit suo sanguine pretioso.
 „ Quia Malitia Hominum decursus Temporum etiam bene Gestis solent sæpius per
 „ contrarium obviare: ideo noverint universi præsentis scilicet & futuri, quod nos
 „ ob remedium animæ dilecti Domini & Mariti nostri Illustris Ottonis quondam Du-
 „ cis Bawariæ felicitis recordationis, nec non ad perpetuæ Salutis Incrementum animæ
 „ nostræ, ac omnium Liberatorum, Progenitorumque nostrorum singulorum Curiam
 „ nostram in Marchpach cum omnibus suis appendiciis, cultis & inculcis, quæsitis &
 „ inquirendis ad Altare Sancti Spiritus Ecclesiæ in Pollingen tradidimus pleno jure,
 „ ut eidem Ecclesiæ perpetuo servitutam. In hujus itaque rei testimonium & cau-
 „ telam, ut nostra Donatio a nullo debeat in posterum perturbari, præsentem Cedu-
 „ lam inde conscriptam, nostri & karissimorum filiorum nostrorum Ludwici & Hain-
 „ rici illustrium Comitum Palatinorum Rheni, Ducum Bawariæ Sigillorum Munimi-
 „ ne fecimus communiri. Datum Monaci Anno Domini M. CC. LX. secundo in
 „ Die beati Georgii quintæ Indictionis.

Jam supra diximus, qua ratione inter alia Prædia, a S. Henrico Duce Bawariæ, ac post Germaniæ Rege Domino Salvatori in Pollingen Villa etiam Ascheringen dicta cum Decimationibus, & aliis Juribus fuerit restituta. Inter hæc Jura, quæ ibi Ecclesia Pollingana habuit, fuit etiam Jus Patronatus, lapsu temporis, incertum tamen, quando, aut qua de causa, ad Principes terræ devolutum. Hoc ut Guntherus Præpo- situs Monasterio suo iterum vindicaret, apud Ludovicum Superioris Bawariæ Ducem, cui alias charissimus fuit, non semel institit; tandemque evicit, ut Ludovicus illud etiam hoc anno, nempe sexagesimo tertio supra millesimum ducentessimum, libere iterum Monasterio restitueret, & omni Juri, quod sibi super Patronatu Ecclesiæ Asche- ringensis ex Successione hæreditaria competere videbatur, ultro cederet, ut Tabulæ sequentes testantur:

„ Lodwicus Dei Gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bawariæ. Antiquorum
 „ decrevit Provisio, nec modernorum displicebit Ingenio, res gestas in occursum fu-
 „ turi Scandali vel calumpniæ litterali Expressione memoriæ commendare. Nam
 „ juxta Sapientis Elogium Memoria est gloriosum & admirabile Donum Dei, per-
 „ quam præterita recolligimus, & per præsentia futura quodammodo contemplamur.
 „ Tenore siquidem præsentium notum fieri cupimus universis Christi fidelibus præ-
 „ sentibus & futuris, quod Dominus Guntherus Venerabilis Præpositus & Conven-
 „ tus Ecclesiæ S. Salvatoris in Pollingen in nostra constituti Præsentia in Jure Patro-
 „ natus Ecclesiæ Aschiringen, quod Ecclesiæ suæ antiquitus competeat, & quod nos
 „ nunc ex Successione hæreditaria respicit, per nos & Progenitores nostros asser-
 „ bant graviter se gravatos. Nos igitur audita & intellecta eorumdem assertione,
 „ habito Consilio Sapientum, & ratione Juris inspecta, ob Reverentiam Sancti Spiritus,
 „ a quo conformatur cor hominis spiritu principali, nec non ob remedium nos-
 „ trorum Progenitorum, nostræ quoque & Hæredum nostrorum Salutiferæ spei ob-
 „ tentum, Juri Præsentationis, quod nobis in dicta Ecclesia Aschiringen competere
 „ videbatur, renuntiantes, præfato Præposito & Ecclesiæ suæ ipsum Jus recognosci-
 „ mus, & per scripta præsentia perpetuo confirmamus. Ad hujus itaque rei memo-
 „ rialem observantiam, & stabilem Firmitatem præsens Scriptum dictæ Ecclesiæ dari
 „ cum subnotatis Testibus jussimus, nostri Sigilli Karactere communitum. Testes
 „ autem sunt Magister Dietricus Vicedominus noster, Albero de Prukperch, Heinri-
 „ cus de Sevelt, Pernhardus & Gebhardus de Wilhelm Viri nobiles, Henricus de
 „ Ifoltsriede, Arnoldus de Mæssinhufen, Perchtoldus de Khamer Judex in Pawel,
 „ Henricus de Witholtshoven, & Eberhardus Filius ejus, Albertus & Wernhardus
 „ Notarii, & alii quam plures. Actum & datum Monaci Anno Domini millesimo
 „ ducentesimo Sexagesimo tertio. quarto decimo Kalendas Julii.

Non minorem Gratiam fecit nobis idem Ludovicus Severus Anno MCCLXVI-
 dum subditis nostris in Anstetten, seu, ut nunc expriment Landstetten, Jus compa-
 scendi in Ascheringen, sicut antiquitus in usu erat, tanquam æquus Arbitrator & Judex
 tunc forte controversum, nova liberalitate assertum, illæsumque voluerat teste sequen-
 ti Instrumento, quod hic inferimus:

„ Nos Lodwicus Dei Gratia Comes Palatinus Rheni Dux Bawariæ, tenore præ-
 „ sentium patere volumus universis, quod Ecclesiæ in Polling hanc Gratiam de no-
 „ stræ Liberalitatis Gratia fecimus, ut homines in Villa Anstetten cum hominibus
 „ Villæ nostræ in Aschiringen in Pascuis communi Participatione gaudeant, quibus
 „ simul ab antiquis temporibus utebantur. Ne igitur in posterum super prædicta Par-
 „ ticipatione aliquod dubium vel controversia valeat suboriri, in Robur perpetuæ Fir-
 „ mitatis præsens Scriptum prædictæ Ecclesiæ, Sigillo nostræ Celsitudinis dari jussi-
 „ mus communitum. Actum & datum apud Erlingen Anno Domini millesimo du-
 „ centesimo sexagesimo sexto, III. Idus Januarii.

Reliqua egregii hujus Prælati Acta hic recensere prohibet angustia paginæ. In-
 terea Guntherus noster post octodecim annorum Regimen finem vitæ simul, & cala-
 mitatibus fecit, dum in Festo S. Hyppoliti Die XIII. Augusti Anno MCCLXXII. mor-
 tuis accessit. Quantas is Tribulationes expertus sit sub suo Regimine, durante Inter-
 regno illo magno non Imperio, ad cujus initium ipse quoque ad Prælaturæ onus in se
 suspiciendum admotus erat, & ad cujus finem non omnino pervenit, explicari non
 potest. Omnes namque sciunt, quantas ea ætate violentias, ac deprædationes non di-
 cam Potentior quisque in minus potentem, sed etiam Par in parem exercere haud
 erubuerit; Nunquam tamen magis afflictabatur, quam ultimis vitæ suæ annis, ubi ob
 nimium frequentes & fere continuas vicinorum quorundam Nobilium Exursiones,
 violentasque tritici ac pecoris abductiones sæpe in suo Monasterio haud reperit, un-
 de se suosque, & præcipue pauperes subditos, ne omnino fame interirent, saltem ad vi-
 tam utcunque protrahendam aleret. Misera hæc rerum facies tandem etiam Gun-
 therum nostrum, utut alias magnanimum ac imperterritum prostravit, tumuloque ad-
 junxit.

XIII.

Haud multum temporis effluxit ab obitu GUNTHERI, rapitur potius, quam eligi-
 tur a Fratribus, Rebus Monasterii sic poscentibus, ad Prælaturam HERMANNUS,
 Vir profectæ ætatis, & admodum probatæ virtutis, nec non in divinis, æque ac œco-
 nomicis Scientiis longa experientia & usu valde expeditus, industriusque, nostris quo-
 que

que Principibus, cum ad eorum alloquium cum Gunthero Prædecessore suo non semel venerat, notus & charus. Ante Inaugurationem suam fungebatur is officio Summi Custodis Ecclesiæ nostræ, quæ autem eo tempore non ex ejus culpa, sed propter nimias exactiones, ac spoliationes, omni fere decore suo destituta, tota desolata squallebat. Cupiebat quidem neo-electus Malo huic remedium asserre, sed durante adhuc in Imperio fatali Interregno, nondum venisse videbatur tempus Domus Domini reparandæ, ornandæque. Unde potius omnem operam suam in eo collocare necesse habuit providus Pater, ut saltem Filii sui una cum subditis congrue sustentarentur.

Hunc in finem, cum ab Hartmanno ex Comitibus de Kyburg & Dillingen Episcopo Augustano in hac nova sua Dignitate Augustæ confirmaretur, & huic præsentem statum Monasterii sui exponeret, facile ab hoc Antislite, quem tam magnanimum quam benignum erga afflictos legimus, impetrat, ut fructus Ecclesiæ Husensis (cujus Jus Patronatus jam dudum ad nos pertinuerat) hæctenus, ut videtur, divisos, jam integros deinceps Fratribus ad usus præbendales in perpetuum cederet, teste hæc Charta:

Hartmannus Dei Gratia Ecclesiæ Augustensis Episcopus universis præsentium Inspectoribus Salutem in Christo Jesu. Ad habendam Gestorum Memoriam expedit ea Scripturæ subsidiis adjuvari, cujus rei causa notum esse volumus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos maturo usi Consilio, attendentes pressuras diversas, quas heu Monasterium in Bollingen patitur in præsentem, dilectis in Christo Præposito & Conventui in Bollingen fructus Ecclesiæ Husen, cujus Jus Patronatus ad eos spectare dinoscitur, ad usus eorum præbendales donavimus colligendos perpetualiter, & utendos, Salvis tamen nostro, & Archidiaconi loci Juribus per omnia, & servatis. Ut autem nostra Donatio præfatis Præposito & Conventui firma permaneat, seu rata, præsentibus eis in hujusmodi testimonium dedimus Sigillo nostro fideliter communitas. Actum & datum Augustæ Anno Domini MCCLXX secundo. Octavo Kalendas Octobris.

Parochia Husen, cujus plena Incorporatio quoad omnes Decimas seu fructus ipsius etiam Ecclesiæ titulo Donationis perpetuæ ab Hartmanno hic nobis facta est, vulgo Hausen unter Willenberg seu Wildenberg ad distinctionem alterius Husen infra Weilhemium sitæ etiam superior seu Ober-Hausen vocata horæ spatio Pollinga distat, & ex hoc tempore continua serie a Canonicis nostris, domo excurrentibus, certo regitur, ut in Rapsodiis Salleri nostri legamus, eam jam dudum antea a nostris fuisse provisam. Quo titulo autem jam tum Jus Patronatus hujus Ecclesiæ Domino Salvatore in Pollingen attinuerit, ceu in hac charta ab ipso etiam Episcopo nobis asseritur, non satis liquet; verosimile est, illud a prima jam Fundatione Collegii nostri huc pertinuisse, ac sæculo XI. cum aliis nobis restitutum fuisse; ex Nobilibus de Wilhelm aliquos se etiam nominasse de Husen, de Bernardo hujus Nominis III. qui nobis Anno MCLXXVIII. Prædium Liutafcke tradiderat, ex jam allato Diplomate certo constat; Castrum ibi illos habuisse in monte vicino, qui hodieque Schlosberg vocatur, non est ambigendum, totumque Pagum, situm in majore Pago Sundergav dicto, quem post Hunnicas devastationes Arnulphus malus Militibus suis in Beneficium dederat, jam tum & postea dictum esse Pagum Hôsi, Housin seu Husen pariter certissimum est ex allegato a nobis Diplomate S. Henrici, aliisque Documentis Chronico Burano a Meichelbeckio insertis; unde non dubitamus, ab ipsis Nobilibus de Wilhelm Jus hoc Patronatus iterum ad nos, Jure quasi Possliminii, rediisse. An vero Antiqui Hôsi, quibus Comites Andecenses, & ex Parte Liberi, de Wilhelm dicti, Beneficio Schyrensum, Supremorum Baviaræ Comitum, in hac vicinia succedere, a Castro cognomine prope Burum sito, prout vult Meichelbeckius, potius quam a nostro, de quo hic locuti sumus, sic dicti sint, expeditius forte non nemo pronuntiabit, quam probabit. Verum non multo post, Anno scilicet millesimo ducentesimo septuagesimo tertio, & quidem nondum omnino, ut videtur, finito tristi illo Interregno, cujus finem aliqui Scriptores ad Diem vigesimum nonum Septembris, quo Rudolphus Comes Habsburgicus in Regem Germaniæ nominatus, alii ad diem primum Novembris hujus anni, quo idem a Principibus Imperii coronatus, referunt, ecce Hermannus noster a Prælatura Pollingana, cui haud integrum annum, vel certe non multo ultra annum præfuit, transit ad aliam, haud ita pridem a Ludovico Baviaræ Duce, cui cognomen Severi inditum, in Campo Principum, vulgo Fürstenveld dicto, in satisfactionem Conjugicidii, de quo superius, fundatam. Veteres Prælatorum nostrorum Catalogi vix aliud addunt, quam quod ex Præposito Pollinganae factus sit Abbas in Fürstenveld, sicque has duas Prælaturas conjungunt, ut ab una ad alteram transiisse videatur; Hermannus (inquiunt) Præpositus XIII. sumitur in Abbatem Monasterii Fürstenveld &c. videtur.

videatur Hundius cum Additionibus Gewoldi. Sallerus noster in suis Rapsodiis putat, Hermannum, tanquam Virum pium atque prudentem, ab ipso Fundatore Celebrissimi hujus Monasterii in Fürstenveld eo fuisse translatum, non attenta tunc temporis disparitate Ordinis, præsertim cum alias constet, Hermannum apud hunc Principem magna polluisse Gratia. Vereor tamen, num Conjecturæ hæc omnes locum habeant. Certum namque est, ex Charta statim alleganda, Hermannum ad Finem Octobris Anno MCCLXXIII. Pollingæ non amplius præfuisse, cum ibi Successor ejus Henricus hujus Nominis II. expresse jam nominetur. Pariter autem constat ex Catalogo Abbatum Fürstenveldensium Gewoldiano apud Hundium in Metropoli T. II. pag. 333. (si tamen is verus ac genuinus est) Hermannum ad eam Abbatiam ante annum MCCLXXVIII. non pervenisse, imo hoc anno Albertum, primum respectivè Abbatem in Campo Principum, Abbatiali adhuc munere functum esse, ac dein Anno MCCLXXIV. Eberhardum, huic autem Anno MCCLXXVIII. Hermannum successisse. Quodsi hæc in veritate subsistunt, manifestum est, Hermannum ex Prælato Pollingano non statim factum esse Prælaturam Fürstenveldensem, sed hunc vel sponte sua amore majoris Solitudinis, quam amabat, ad strictiorem Ordinem, qualis tunc celeberrimus Cisterciensium Ordo, Veterem S. Benedicti Regulam resuscitante S. Bernardo, toto orbe celebrabatur, Fürstenveldium transiisse, ibique postea in Abbatem electum esse a Fratribus, vel jam tum, quando transferat, positum esse eum a Glorioso Fundatore in Administratorem, & in Casum Vacaturæ etiam in Abbatem celeberrimi hujus Asceterii. Quidquid autem sit, Memoria Hermanni tam apud Pollinganos, quam apud Fürstenveldenses, de quibus utrinque optime meritus est, semper in Benedictione erit.

XIV.

Abeunte Fürstenveldium HERMANNO, unanimi Fratrum calculo, ex Cellerario fit Præpositus Pollinganus, HENRICUS hujus Nominis II. Ephenhufar, seu Ephenhufensis; an sic dictus a loco hujus Nominis haud procul Landspërgera Boiorum sito, an quia Parentes ejus ibi Prædia habuerint, unde & nomen acceperunt, decidere non audeamus, quamquam ad posteriorem opinionem magis inclinemus. Certe donationem duarum Curiarum in Ephenhufen, quam Henricus Schongaverus Patritius, ac dein Burgravius Augustanus, ejusque uxor Gisila Anno MCCLXI. Domino Salvatore in Pollingen fecerant, magna ex parte nostro Henrico debemus, quocumque demum Nexu Gisilæ illi conjuncto.

Primum, quod industrius hic, ac in re œconomica apprime versatus Præsul gessit, fuit quidam contractus Permutationis, quem cum Meinhardo IV. Tyroleos ac Goritiæ Comite in Favorem Celebrissimi Monasterii in Stams Ordinis Cisterciensis, noviter ab ipso structi atque fundati, iniiit: Dominus Salvator in Pollingen habebat tunc temporis Mansum quemdam in Stams eo ipso in loco situm, ubi dein pro Fratribus illis Chorus, ubi psallerent, ac divinis rebus vacarent, fuerat extructus; cumque Fundus iste illis, quibus ædificium hoc incumbere, absolute videretur necessarius, proposita erat Henrico nostro Fundorum, Prædiorumque Permutatio, quam in ipsis Vindemiis continuo ratam gratamque una cum suo Conventu habuit. Litteræ autem hujus Permutationis serius expeditæ erant, eo quod Meinhardus prædictus, tunc temporis absens, Francofurti una cum aliis Principibus novi Imperatoris Electioni intererat. Ipsæ autem Litteræ Permutationis hujus Testes sic habent:

In Christi Nomine Amen, noverint universi presentes, & futuri, ad quos pervenerit præsens Scriptum, quod nos Meinhardus Tyrolis & Goritiæ Comes, & Ecclesiarum Aquilegiensis, Tridentinæ, & Brixinensis Advocatus Tenore præsentium profite-mur, nos a Domino Heinrico Honorabili Præposito de Pollingen, accedente Consensu Conventus Monasterii sui antedicti unum Mansum situm in Stams, pertinentem nomine Allodium seu Proprietatis ad ipsum Monasterium, Nomine Permutationis in nostrum Allodium recepisse, ita, ut in ipsius Mansus recompensationem prælibatum Monasterium de Pollingen de quadam Curia Sita in Mais, quæ quondam Domino Wilbalmo de Prunnenberch pertinebat, nunc vero nobis, Titulo Proprietatis habeat, & recipiat quatuor urnas vini, dicto Præposito & Monasterio in perpetuum profuturas; & Mansus dictus, quem pro animæ nostræ remedio Monasterio de Stams donavimus, eidem in perpetuum libere proficiat, & debeat remanere. In cujus rei testimonium præsens Scriptum nostri Sigilli Munimine fecimus roborari. Facta fuit hæc Permutatio VIII. exeunte Octobri (hoc est, ut norunt Eruditi, & superius jam animadvertimus, Die vigesimo tertio Septem-

ptembris) Anno Domini M. CC. LXXIII. præsentibus Berbtoldo & Schvidone Purbgraviis, & Wilbalmo Notario nostro, & aliis. Datum in Castro Tyrol, Anno Domini memorato, Die XII. intrante Mense Decembri.

Cæterum Facta hac Permutatione Henricus noster hoc ipsum Prædium, noviter sibi datum a Meinhardo Comite, situm in Mais, in ea nempe vicinia, quæ Haslach appellatur, & ad Majensem Parochiam pertinet, statim Abbati & Conventui in Stams ea conditione simpliciter locat, ut prædictus Abbas & Conventus, quoad utrique Parti placitum erit, tempore autumnali decem Libras Veronenses (id est zehen Pfunt Perner, seu duos Florenos modernæ monetæ) nomine Censui absque dilatione Domino Salvatori in Pollingen quotannis persolvat.

Reliquos vitæ suæ dies transegit Henricus noster in multis tribulationibus, post Sexennium Regiminis ad meliorem, ut speramus, vitam translatus, Die XII. Martii, Anno MCCLXXIX.

XV.

HENRICO Patrum suorum tumulo illato legitima vocatione successit CONRADUS hujus Nominis II. dictus cognomine Ainzinger seu Antzinger; cumque ex aliis Litteris jam discamus, Antzingeros Uffinga, Vico duabus a Monasterio horis distito, fuisse, ibique magna eos Authoritate sub id tempus fuisse præditos, haud ambigimus, Conradum nostrum ex Familia hac Uffingæ esse oriundum. Præfuit autem Conradus ultra triginta & quinque annos summa cum laude, & cum magna opinione Sanctitatis. Anno MCCLXXXI. obtinuit is a Rymaro Præposito, & Capitulo Ecclesiæ S. Mariæ in Rhor Canonicorum Regularium Ord. S. Aug. Diœcesis Ratisbonensis, Ecclesiam Parochialem in Perg, horulæ spatio Pollinga distitam, ut ex sequentibus duabus chartis patet. Prima sic habet:

In Nomine Domini Amen. Nos Chunradus divina permissione Præpositus, totusque Conventus Ecclesiæ Pollingensis, Ordinis beati Augustini, Diœcesis Augustensis, tenove præsentium profiteamur, & constare volumus universis præsentibus litteris inspecturis, quod honorabiles in Christo Viri Dominus Rymarus Præpositus, totusque Conventus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Ror nostri Ordinis Ratisbonensis Diœcesis, nobis & nostræ Ecclesiæ universum Jus, quod eisdem in Ecclesia in Perg sita in dem Sundergou competiit, seu competere videbatur, Jus videlicet Patronatus, Tractatu prius cum Conventu eorum, sicut moris est, præhabito diligenti, donaverint perpetuo possidendum, eis nihilominus reservato in Signum & recognitionem Domini ipsius Ecclesiæ ab eis ad eorum Ecclesia in nostram Ecclesiam translata, quod de nostra Ecclesia videlicet Pollingensi annis singulis in Festo beati Andreae Apostoli quinque Libras Veronensium perpetuo eis, vel eorum Nunciis, quos ad hoc decreverint ad nostram Ecclesiam destinandos, sine contradictione seu obstaculo quolibet persolvamus, cujus etiam Pecuniæ Solutio debet fieri apud nostram Ecclesiam Pollingensem. Ut autem Roveni Ecclesiæ super ipsa Solucione ei annis singulis facienda abundantius caveretur, adjunctum est omnibus jam promissis, ut quancumque in Festo, vel a Festo beati Andreae ad dies quatuordecim per Præpositos Roveni Ecclesiæ vel eorum Nuncios ad hoc missos Summa ejusdem anni debita a nobis vel nostra Ecclesia fuerit perquisita, nec ad ipsam Perquisitionem infra terminum jam præmissum eis fuerit persoluta, ex tunc nos seu nostra Ecclesia elapso termino ipsorum Dierum quatuordecim Roveni Ecclesiæ ipsam Summam in Penam debeamus solvere duplicatam. præterea præmissis etiam est adjunctum, ut si nuncii eorum post memoratum Festum beati Andreae videlicet, & post dies quatuordecim eidem Festo contiguos subsequentes appareant apud nostram Ecclesiam Pollingen, quia forte prius non potuerunt se nobiscum ibidem recipere, ipsam Pecuniam tunc debitam petitori, quod ex tunc eodem die vel ad plus die proxima subsequente, per nos de ipsa Pecunia debeant expediri sub pena Dupli, prout superius est præmissum. Ut autem hæc universa & singula suprascripta nobis, ac etiam Roveni Ecclesiæ suprascriptæ Robur debitum obtineant Firmitatis, præsentibus litteras ipsi Ecclesiæ Roveni dedimus, ac obtinuimus Sigillis Reverendi Patris ac Domini nostri, Domini Hartmanni Episcopi & Capituli majoris Ecclesiæ Augustensis, ac Domini O. (Ottonis) Præpositi Ecclesiæ Eystettensis fideliter roborari, Conventus nostri Sigillum præsentibus apponendo in Testimonium & Cautelam, Nos Hartmannus Episcopus l. Præpositus (nempe Ludovicus Comes de Helffenstein) R. Decanus (Rudiger videlicet de Hirnhaim) totumque Capitulum Ecclesiæ Augustensis huic Donationi, seu Ordinationi plenum adhibuimus Consensum ad Petitionem dilectorum in Christo

C. Præpositi & Conventus Ecclesiæ Pollingensis nostra ad hoc Sigilla apponentes. Datum Augustæ Anno Domini M. CC. LXXXI. X. Kal. Maji.

Altera vero sic:

In Nomine Domini Amen. Nos Rymarus Præpositus, totusque Conventus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Ror, Ordinis Sancti Augustini, Ratisbonensis Diocæsis universis præsentibus litteras inspecturis Salutem in eo, qui est omnium vera Salus. De Gestis hominum sæpe consuevit grandis Calumpnia suboriri, si non a testibus vel litteris recipiat Firmitatem, idcirco scire volumus universos præsentium inspectores, quod nos dilectis in Christo Præpositis, & Conventui, ac eorum Ecclesiæ in Polling Diocæsis Augustensis Ordinis nostri, universonum Jus, quod nobis in Ecclesiæ in Perge sita in dem Sundergau, Jus videlicet Patronatus cum pertinentibus eidem, competere videbatur, Solempni & diligenti Tractatu ac maturo Consilio præhabitis cum Conventu donavimus plene perpetuo possidendum, nobis nihilominus reservantes in signum & recognitionem Domini ipsius Ecclesiæ a nobis & nostra Ecclesiæ in memoratam Ecclesiæ Pollingensem translatis, videlicet quod ipsa Ecclesiæ Pollingensis annis singulis perpetuo in Festo beati Andrea quinque libras Veronensium nobis vel nostris Nunciis, quos ad hoc transmiserimus ad Montana, ut colligant vina nostra, persolvere non omittant, cujus Censui solutio fieri debet apud Ecclesiæ Pollingensem. Ut autem nobis & Ecclesiæ nostræ super ipsa solutione annis singulis faciendâ, quemadmodum est præmissum, abundantius caveatur, adjunctum est omnibus jam præmissis, ut quodocumque a Festo vel in Festo beati Andrea Apostoli ad Dies quatuordecim proxime subsequentes per nos vel nostros nuntios ad hoc missos ab Ecclesiæ Pollingensi Summa ejusdem Anni debita fuerit perquisita, nec ad perquisitionem ipsam infra terminum jam præmissum nobis fuerit persoluta, ex tunc Ecclesiæ Pollingensis elapso termino ipsorum dierum quatuordecim nostræ Ecclesiæ ipsam Summam solvere debeat duplicatam. præterea præmissis etiam est adjunctum, ut si Nuntii nostri post Festum beati Andrea, & post dies quatuordecim eidem Festo contiguos subsequentes appareant apud Ecclesiæ Pollingensem, quia forte prius non potuerunt se recipere ibidem, ipsam Pecuniam tunc debitam petituri, quod ex tunc eodem die vel ad plus die proxima subsequenti debeant expediri sub Pena dupli, prout superius est præmissum. Ut autem hæc universa & singula prædicta nobis & eis robur debitum obtineant Firmitatis, præsentibus litteras ipsi Ecclesiæ Pollingensi obtinuimus, Sigillorum Munimine Reverendi Patris & nostri Domini Specialis, Domini H. (Henrici) Episcopi & Capituli Majoris Ecclesiæ Ratisbonensis, nec non honorabilis Viri Domini O. (Ottonis) Præpositi Majoris Ecclesiæ Eystettensis fideliter roboravi, in testimonium & cautelam nostri Conventus nihilominus Sigillum præsentibus apponendo. Actum & Datum Ratisbonæ Anno Domini M. CC. LXXXI. VIII. Kal. Maji.

Ecclesiæ hæc in Rege & Pergerriede data est Canonicis Rorensibus ab eorum Fundatore Adalberto Comite de Rotenmann, quem ex eodem clarissimo Genere cum Comitibus de Eschenloch & LichenEck ad quos hæc Ecclesiæ aliquando pertinuit, esse puto, nempe, ni fallor, ex illustrissima Familia Comitum de Abensperg. Certe præcipuum in Scuto Gentilitio, & in Sigillis, quæ ex una Parte Aquilam dimidiam, seu bifariam divisam repræsentant, idem est. Caterum hoc Censu annuo, quem sibi Canonici Rorenses refervarunt, Canoniam nostram se liberum reddidit Anno MDLXXVI. ut Litteræ testantur.

Anno MCCCXV. acquisivit Conradus noster Ecclesiæ Parochialem in Apfildorf ad Lycum fluvium sitam, una cum Jure Patronatus & Advocatiæ, aliisque pertinentiis omnibus, dictam Ecclesiæ respicientibus a nobili Viro Henrico de Ennis, inter primarias Tyroleos Familias valde illustri. En litteras hujus rei testes:

„ In Nomine Domini Amen. Ego Hainricus de Ennis, cupiens diligentius prævenire, ne videlicet præsentis negotii tractatus falsitatis aut oblivionis obcuratus
 „ caligine, vel forte malorum hominum pernicia depravatus a memoria corruat posterorum profitens manifeste universis ac singulis tam præsentibus quam futuris præsentium inspectoribus appeto fore notum, quod matura deliberatione præhabita sano prudentum hominum requisito Consilio, & cum Domina Elisabeth de Wilhain, dilectæ uxoris meæ, & omnium Hæredum meorum voluntate unanimi pariter & consensu, honorato Viro Domino Chunrado Præposito, nec non Monasterio Domini Salvatoris in Pollingen Augustensis Diocæsis, ad quod semper devotionem retinui multiformem, Jus Patronatus quod mihi in Ecclesiæ sita in Apheldorf juxta fluvium, qui Licus dicitur, Augustensis Diocæsis, competiit seu competere videbatur,
 „ cum

„ cum ejusdem Ecclesiæ Jure Advocatitio, eadem Jura perpetuo cum omnibus suis
 „ pertinentiis, quæsitis & inquirendis tenenda, utenda, & pacifice possidenda eo quo-
 „ que Jure, quo in Personam meam ex Dote prædictæ Dominæ Elizabeth uxoris meæ
 „ libere sine quorumlibet Impeticionibus sunt dilapsa, liberaliter, rite & rationabili-
 „ ter vendidi ac donavi, & quia a præfatis Domino Chunrado Præposito & Mona-
 „ sterio Pollingensi pro prædictis Juribus Patronatus & Advocatiæ viginti Libras de-
 „ nariorum Monacensium numeratas, & in usum meum conversas me memini rece-
 „ pisse, capropter ipsis Juribus publice pro me, & omnibus Hæredibus meis, habitis,
 „ & habendis omni actioni, omni Exceptioni, omnique Juri, quo mediante Lege vel
 „ Canone prædicta Jura possem ad pristinam meam, & Hæredum meorum Possessio-
 „ nem seu Dominium revocare, renuntio & renuntiavi multis adstantibus in inte-
 „ grum & in totum. Cæterum prædictos Dominum Ch. Præpositum, & Monaste-
 „ rium Pollingense in possidendis præfatis Juribus tam diu, quoad usque penes terræ
 „ consuetudinem in ipsis Præscriptio cadere valeat penes Juris formam, quo ad me ex
 „ Dote prælibatæ Uxoris meæ devoluta a pluribus cognoscuntur, ab Insultibus om-
 „ nium dicta Jura, mediante Justitia impetentium sub ypotheca omnium rerum me-
 „ arum teneor sine reclamazione qualibet relevare. Ut autem prædicta omnia fir-
 „ ma permaneant, atque rata, ipsis in evidens testimonium præmissorum præsentis
 „ Litteras contradidi, mei Sigilli robore communitas, Testes vero qui præsentibus ad-
 „ erant, sunt honorabilis Vir Dominus Marquardus Abbas Sancti Petri in Wessins-
 „ prunnen, Dominus Otto Senior, Dominus Hermannus dictus Bidingar, Sacerdo-
 „ tes, Dominus Hainricus Dyaconus dictus Griesherre ibidem, Dominus Hainricus
 „ dictus Paular Plebanus in Weilhaim, Dominus Hainricus Rector Ecclesiæ in A-
 „ pheldorf, Ulricus dictus Grautar, Ruportus de Hyrsawe, Hermannus dictus Au-
 „ wer, Sigmarus de Wessinsprunnen, Ulricus Rosa, Chunradus Gadmær, Merbotus
 „ Doctor Puerorum in Weilhain, & alii quam plures fide digni. Datum & actum
 „ in Wessinsprunnen Anno Domini millesimo CCC. quinto. XII. Kal. Marcii.

Brevi post Degenhardus ex nobili Familia de Helenstain & Heidenhaim Episco-
 pus Augustensis una cum Capitulo Cathedrali hanc ipsam Ecclesiam Canonice nostræ
 pleno jure univit, Rudolphus autem Comes Palatinus Rheni, & Dux Bawariæ hoc
 ipsum publico Diplomate confirmavit; & quamvis Henricus de Swarzenburch Deci-
 mas ibidem, quas sub Nomine *Pertinentium* cum Jure Advocatitio proprie emimus
 (Jus enim Patronatus, cum spirituale sit, emi non poterat sed donari) nescio quo ti-
 tulo sibi arrogare volebat, ac propterea nobis non modica damna inferebat; tandem
 tamen ab hac prætensione, re penitus inspecta, libere cessit, veluti ex sequenti Docu-
 mento discimus:

*Ich Hainrich von Swarzenburch vergiche an disem brief, vnd tun chunt allen den,
 die in sebert, hörent, oder lesent, daz ich mit guten tun gelobt vnd verbaizen han, daz
 ich dem erlechen Probst, vnd dem convent ze Pollingen vnd ivem Gotsbause furbar chain
 Sebaden tun sol, noch en wil, an iren Zebenten datz Apheldorf, noch an anderm chainem
 ivem Gut, und daz in daz stat beleibe, vnd vnzerbrochen, han ich in geantburtet disen
 brief versigelt mit meinem Insigel. dise berichtung ist geschehen ze diezen in dem Chlo-
 ster, des sint Gezmge her Herman von Haldenberch vnd der herve von Staufenke, her
 Ot von Greifenberch vnd sein sun her Hainrich, vnd her Stephan von Smieben, vnd an-
 der genuch. diser brief ist geschriben, do von vnsers berren gepurt waren drwzehen-
 bondert jar darnach in dem Sibenzebenten jar, an Sande Bartholomeus tage.*

Anno MCCCX. Idem Conradus obtinuit a Nobilibus de Prukperch Ecclesiam
 Parochialem S. Ypoliti in Suburbio Weilheimensi sitam, quæ quondam ad Dominum
 Salvatorem in Pollingen jam pertinuit, sed cum aliis ejus Fundis dotalibus iterum
 avulsa fuit. Litteræ Donationis hujus sic sonant:

„ In Nomine Domini Amen. Nos Diethalmus & Albero de Prukperch tenore
 „ præsentium publice profiteamur, & constare volumus universis in perpetuum, quod
 „ matura & sufficienti deliberatione præhabita, prudentum virorum Consilio nihilo-
 „ minus requisito cum Assensu nostrarum dilectarum Uxorum præfato Dominarum
 „ Liugardis & Sophiæ, quæ ad hoc manus porrigere & extendere liberaliter curave-
 „ runt, imo cum omni nostrorum hæredum unanimi voluntate in remedium Anima-
 „ rum nostrarum, & cunctorum nostrorum Progenitorum ob Devotionem, qua eis-
 „ dem connectimur, quorum etiam orationum Suffragiis expetimus adjuvari, discre-
 „ to Viro Domino Chunrado ibidem Præposito Monasterii Sancti Salvatoris in Pol-
 „ Tom. V. Cann. Regg. Origines. Fff lingen

„ lingen Augustensis Diocæsis, omnibusque ibidem Fratribus Deo servientibus, tam
 „ præsentibus, quam futuris pure propter Deum, ut per hoc saltem ejusdem loci Ca-
 „ nonici ad serviendum Deo propensius excitentur, Jus Patronatus Ecclesiæ Sancti
 „ Ypoliti prope Wailhain ejusdem Dyocesis, quod ad nos ex successione paterna per-
 „ tinuit pleno jure, contulimus ac donavimus sub hac Forma, ut videlicet idem Do-
 „ minus Chunradus Præpositus, ejusdem Monasterii Canonici, eorumque Successo-
 „ res perpetuo Diem Obitus nostri Anniversarium, Domini Alberonis Patris nostri
 „ piæ memoriæ, Dominae Chunegundis Matris nostræ, prædictarum Uxorum nostra-
 „ rum puerorum nostrorum, omniumque nostrorum Progenitorum, cum Missarum,
 „ Vigiliarum, Serviciorum Solempniis annis singulis in Die B. Tertulini juxta Seriem
 „ Litterarum nobis super hoc ab eis traditarum, in prædicto Monasterio suo perage-
 „ re contradictione qualibet non obstante cum devotione debita sint ligati, propter
 „ quod etiam nos, & Hæredes nostros quoslibet, præsentem videlicet, & futuros pro
 „ dicto Monasterio Auctores publicos, qui vulgo Gwer dicuntur, secundum Juris
 „ exigentiam de Evictione prædicti Juris Patronatus contra quamlibet Personam du-
 „ ximus obligandos. Et ut hæc nostra Collatio & Donatio perhenne robur obtineat
 „ Firmitatis, sæpeditis Domino Chunrado Præposito, & Confratribus, atque Mona-
 „ sterio Pollingensi præsentem Litteras nostras tradidimus in evidens testimonium præ-
 „ missorum, nostrorum Sigillorum munimine fideliter communitas. Testes qui præ-
 „ sentibus aderant sunt, Dominus Henricus Decanus in Prukperch, Dominus Hein-
 „ ricus de Weilhaim, dictus Pæler, Dominus Chunradus de Pisenberch, Dominus
 „ Henricus de Pegging, Dominus Fridericus de Celle Sacerdotes. Dominus Perh-
 „ toldus de Vinding, Canonicus Sancti Viti Frisingæ, Henricus de Pisenberch, Wul-
 „ fingus Ramunch de Hugolvingen, Chunradus Perger, & alii quam plures fide di-
 „ gni. Datum in Prukperch Anno Domini millesimo tricenesimo decimo IIII. Idus
 „ Februarii.

Post sex dein Annos præfati germani Fratres de Prukperch idem confirmarunt
 novis litteris, addendo insuper sterili Juri Patronatus, quod hucusque donarunt, reli-
 qua etiam Jura, quæ hucusque ad prædictam Ecclesiam habuerunt, *cum attinentiis*
suis, quo Nomine *Decimas*, quas laici ubique ferme apud suas Ecclesias habuerunt, in-
 telligendas esse manifestum est, simulque effecerunt, ut hæc ipsa Ecclesia deinceps Do-
 mino Salvatore in Pollingen Auctoritate etiam Episcopali quoad temporalia penitus
 incorporaretur ac uniretur, anno statim insequente.

Prior Nobilium de Pruckperch Incorporatio, ceu ipsi loquuntur, sic sonat:

„ In Nomine Domini Amen. Ut a Progenie in Progenies facta quæ fiunt seu
 „ decurrunt in tempore inops non tollat oblivio, quin potius in Notitia hominum
 „ conserventur, ea consueta sunt Scripturarum testimonio perhennari. Nos Diet-
 „ halmus & Albero Germani dicti de Prukperch, notum facimus singulis & universis
 „ præsentium Notitiam habituris, quod nos principaliter propter Deum, ac anima-
 „ rum nostrarum, & omnium Prædecessorum nostrorum utriusque Sexus defuncto-
 „ rum Fidelium ob Salutem ex mera liberalitate Ecclesiam Sancti Ypoliti Augustensis
 „ Diocesis sitam prope Civitatem Weilhaim, cujus collatio ad nos pertinuit Mona-
 „ sterio in Polling & Conventui ibidem ejusdem Diocesis cum omnibus suis Juribus
 „ & Attinentiis, inquisitis seu inquirendis donavimus incorporando, sed incorporavi-
 „ mus donando præsentibus, & donamus scilicet sub hac forma, quod prædictus Con-
 „ ventus jugiter seu perpetuo singulis annis in die beati Tertullini Martyris inde ce-
 „ lebrabit nostrorum amborum Anniversarium tam vivorum, quam mortuorum, nec
 „ non omnium Prædecessorum nostrorum cum choro, in foro vigiliis cantando, & in
 „ mane Missam similiter pro defunctis celebrando, in Consolationem vero eodem die
 „ nostri Anniversarii ac recordationis singulis annis majorem Præbendam, scilicet
 „ Prælati, volumus & statuimus ministrari. In cujus Donationis per nos ita factæ
 „ evidentiam atque robur præsentem sibi dedimus Litteram nostrorum Sigillorum
 „ Muniminibus roboratam. Actum & datum Anno Domini Millesimo trecentesimo
 „ sexto decimo, in Die beati Gregorii Papæ.

Posterior Incorporatio, seu prioris Confirmatio, ac ipsius præfatæ Ecclesiæ Unio
 facta a Friderico Episcopo Augustano sic habet:

„ In Nomine Domini Amen. Nos Fridericus Dei Gratia Episcopus Ecclesiæ
 „ Augustensis recognoscimus, & constare volumus præsentium inspectoribus univer-
 „ sis. Exposcit inter alia Debitum Officii pastoralis, quod ea, quæ divini Numinis
 esse

„ esse censentur, & quæ divini Cultus augmentum exigunt & requirunt, nostro Pro-
 „ motionis Studio sumant & recipiant incrementum. Cum itaque nobiles Viri Diet-
 „ helmus & Albero de Prugberch Jus Patronatus Ecclesiæ Parochialis Sancti Ypoliti
 „ in Wilhen, quod ipsis per Successionem hæreditariam a Progenitoribus suis perti-
 „ nere dinoscebatur ab antiquo, in Religiosos Viros Præpositum & Conventum Mo-
 „ nasterii Salvatoris in Pollingen Ordinis Sancti Augustini Canonorum Regularium
 „ nostræ Diocæsis, ob suarum & Progenitorum suorum remedium animarum duxe-
 „ rint transferendum, & transtulerint pleno Jure; ut autem idem Præpositus & Con-
 „ ventus ex hujusmodi Donatione & translatione, quos propter religiosam & hone-
 „ stam vitam quam ducunt, & Hospitalitatem quam adhuc servant, & ætenuis serva-
 „ runt, nec non propter amorem & dilectionem, quo dictum locum Gratia & favo-
 „ re prosequimur speciali, uberioris utilitatis & Commoditatis consequantur effectum,
 „ dictam Ecclesiam cum Pertinentiis suis singulis & universis eidem Præposito & Con-
 „ ventui nec non Monasterio ipsorum suprascripto donavimus & donamus, tradidimus
 „ & tradimus, assignavimus & assignamus & in nostros & per nostros in ipsorum Suc-
 „ cessores justo Donationis & Incorporationis Tytulo transferimus per præsentem,
 „ eorum utilitatibus eandem Ecclesiam in usus Præbendarum suarum perpetuos ap-
 „ plicando, & rationabiliter Auctoritate nostra incorporando, salvo tamen in omni-
 „ bus & per omnia Jure discreti Viri Henrici dicti Tyckshuser Rectoris ibidem, cui
 „ per hujusmodi Donationem nostram nullum in vita sua Præjudicium volumus Ge-
 „ nerari; Hunc insuper modum ac Formam in ipsa Donatione nihilominus inviola-
 „ biliter observandam, ut cum eadem Ecclesia Rectore vacare cœperit quocunque
 „ modo, Præpositus qui nunc est, aut qui pro tempore fuerit, nobis vel Successori-
 „ bus nostris Clericum aliquem Sæcularem ydoneum ad eandem Ecclesiam pro Vi-
 „ cario perpetuo repræsentet, cui tantum de fructibus ipsius Ecclesiæ ad nostrum Ar-
 „ bitrium seu Successoris nostri pro Præbenda donet & assignet, unde Jura Episco-
 „ palia & Archi-Dyaconalia persolvere, & Hospitalitatem valeat observare; in cujus
 „ rei testimonium præsentem memorato Præposito & Conventui dedimus Litteras
 „ Sigilli nostri Munimine roboratas. Actum & datum Augustæ Anno Domini mille-
 „ simo CCC. XVII. II. Kal. Junii.

Conradus tandem post plurima, quæ præclare gessit opera, quæque hic omnia
 recensere non vacat, cum sint plurima, meritis & annis gravis, non ut Gewoldus in
 additionibus Hundii ait *Die SS. Sebastiani & Fabiani, sed III. Nonas Novembris* An-
 no MCCCXIII. beata morte migravit ad Dominum. Quando autem Gewoldus ait
 Conradum nostrum *Vita, Doctrina & moribus ita insignem fuisse, ut in una Littera-
 rum B. Chvnradius vocaretur*, non eum hæc Litteræ, quas forte Gewoldus inspexit,
 sensum præferunt, quem ille intendit. Audiamus has ipsas:

*Ich Chvnrad der Cboch von Germöring vnd elliv meiner Chint vergich, vnd ton
 chvnt allen den, die disen brif ansehent oder hörent lesen, daz wir daz Gut daz Germö-
 ring daz wir da beten umb einen zins von dem heiligen Gaist von Polling haben geben
 vnd vns verzigen dem Gotzhaus hintz Polling vnd gen dem Saligen Brost Chvnrad vnd
 Swaz auch wir dar zu gewinnen haben ze veld vnd ze dorf, besuchtz vnd vnbesuchtz dez
 verzeihen wir vns ein allem dem rehten, als wir vns des vorgeantent Gutz daz Ger-
 möring verzigen haben vnd darumb geit vns Heinrich der Mancher Burgar von Mv-
 nchen vier Pfunt vnd Sebtzig Pfenning Mincher Pfenning vnd ob daz vorgeantent Gotz-
 haus vnd auch Heinrich Mancher einen Vogt wber daz vorgeantent Gut habent wellent,
 so sullen sie dbainen andern nemen dan Heren Chvnrad von Paibrunn oder sein Erben der
 teding sint Zwg Her Chvnrad der Pfarver von Aubing Heinrich der Chelbamer Vlr
 Giesinger Arnolt Seidinger Heinrich Chivchamer der Prost Heinrich Westhamer vnd
 sein Bruder Chvnrat vnd auch ander erbav leut daz auch daz alles stat vnd vnzerbro-
 chen beleibe dar wber ze einem Vrchvnde gib ich disen Brif versigelten vnd gevestenten
 mit meins gnädigen Herren des Abtens Insigel von Furstenvelt vnd vnder Herren Chvnr-
 rat Insigel von Paibrunn vnd vnder den selben Insigeln ban ich Chvnrat der Cboch vnd
 meiner Chint mich verpunten vnd gelobt daz ist geschechen da man von Christes Purl
 zalt dreutzeben Hundert jar vnd darnach ein dem ainlesten jar dez S mantags an aller
 gotz balgen tag.*

Litteræ hæc datæ sunt Anno MCCCXI. quo Conradus noster adhuc erat inter
 vivos; non poterat ergo de illo sermo esse, tanquam de jam mortuo, & si mortuus
 jam fuisset, tamen in eo sensu, quem Gewoldus intendit, Beatis non foret accensendus,
 cum innumeros alios sic *Beatos* dicamus, eo quod vitæ hujus tribulationibus in-

terveniente Morte fuerint liberati. Terminus igitur ille *der Salige Proft* in hac charta nihil aliud est quam *Titulus* unice *honorarius*, quem quondam Episcopis, imo & honoratoribus Laicis, ac tandem soli Summo Pontifici, tanquam *beatissimo*, attribuimus, ut habet Carolus du Fresne, Verbo, *Beatitudo*, in suo *Glossario ad Scriptores mediae & infimae Latinitatis*. Quod autem de latina voce *Beatus* hic asserit Du Fresnius, idem de voce germanica *Salig* vel *Selig* Schilterus T. III. thesauri, verbo, *Salig* & Wachterus in suo Glossario Germanico, verbo, *Selig* habent. *Salig* enim vel *Selig* idem significat ac *bonum*, sicut *unsalig* *malum*; Quod ambo mox allegati Authores probant ex Notkero, dum illa verba Psalmi X. v. 6. *also er sendet den Regen Sinero Prædicatorum Saligen ze libe, so sendet er in, unsaligen ze tode*, antiqua Paraphrasis sic vertit: *sicut mittit Pluviam suorum Prædicatorum bonis ad vitam, ita mittit eam impiis ad mortem*. Idem igitur in nostra Charta Vocula *Salig* hic significat ac *Virum probum, & honestum*, seu ut in aliis ejusdem ævi Chartis Germanico stylo conceptis legimus, *den erbaven oder Frumen Proffen Cbunrad*, quæ verba, ut vulgo vocamus *adjectiva* nihil aliud præferunt, quam *Titulum honorarium*, quo illum prosequimur, quem sic appellamus. Cæterum non negamus, imo ex Actis scimus, Conradum fuisse Sanctitate vitæ prorsus insignem, quam Deus in Cælis remunerabitur; At *beatum* ipsum declarare, aut *beatis*, quos nostro Cultu publico dignos censemus, adnumerare cum Gewoldo haud audemus.

Id adhuc hic animadvertere debemus, Nobiles nempe de Witoltshoven, ex quorum Familia aliqui etiam Pollingæ suam sedem fixerunt, sub Glorioso Prælati hujus Regimine, cum hic Ecclesiam Domini Salvatoris vetustate collapsam repararet, totamque novam faceret, novam quoque suis expensis adjecisse Capellam, S. Ursulæ V. & M. Sacram, eoque non solum suam, quam prius jam hic habuerunt, Sepulturam transtulisse, sed & Capellam ipsam multis Indulgentiis aliisque gratiis Spiritualibus, quas a variis Episcopis impetrarunt, valde illustrem reddidisse, ita, ut maximus ad eam devoti populi esset accursus. Stetit hæc Capella annis trecentis quadraginta & ultra, donec tandem sub Chiliano Præposito Anno MDCXXI. novam Domino Salvatori Basilicam moliente, obtenta Episcopi licentia, iterum fuerit destructa.

Sub hoc Præfule Anno MCCCXII. extincta est nobilissima Stirps masculina *Liberos de Wilhelm* dictorum in *Henrico* hujus Stemmatis ultimo, *Gebhardi* de Wilhelm Filio. Primus Profapia hujus clarissimæ, quem *Weilhemio*, adhuc Villa, pertinente ad Dominum Salvatorem in Pollingen, & a S. Henrico Rege ac Imperatore cum aliis Fundis dotalibus eidem olim restituta, sed iterum avulsa, inbeneficiatum scimus, fuit quidam Homo liber & nobilis, *Bernardus* Nomine; quam illustris autem is fuerit Familiæ, non audemus determinare; suspicamur tamen, non absque verisimilitudine, Progenitores *Bernardi* prius Sedem suam Nobilem, unde & Nomen suum pro more illorum temporum acceperunt, habuisse in *Walbeshoven*, seu ut nunc pronuntiamus, in *Walckershoven*, Arce nobili, haud procul Dachavio, Veteri Schyrensi-um Comitum Sede, sita. Plura, donec major Documentis nostris obscuris affundatur lux, non audemus addere. *Bernardos* Stemmatis hujus Propagatores, cum de Singularum Die emortuali non satis constet, ad minimum, si non quatuor, certe tres numeramus sibi invicem in linea recta succedentes; *Bernardum* hujus Nominis ultimum *Henricus* excepit, qui *Gebhardum*, & alium itidem *Henricum* Nomine genuit; hic autem posterior *Henricus*, *Gebhardi* Germanus, factus est Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Frisingensis & Præpositus ad S. Vitum ibidem, *Gebhardo* ex *Adelbaide* Coniuge Stemma nobile propagante. *Gebhardum* porro quatuor Filias, & unum Filium genuisse *Henricum* Nomine (in quo postea defecit Stemma) scimus, an autem ex eodem thoro, dubitamus. Filia quas genuit *Gebhardus*, fuerunt sequentes, quas promiscue hic ponimus, cum ordinem & annum, quo quæque nata sit, ignoremus. Una igitur ex his, *Elisabeth* Nomine, nupta erat *Henrico de Ennis*; alia *Sophia* dicta, in Coniugium dabatur *Adalberoni* seu *Alberto de Pruckperch*; *Tibilia* seu *Otilia* habebat Dynastam seu Præfectum in Hertenberg Provinciæ Tyrolensis, cujus Nomen nos latet; *Salome* denique locata erat in Matrimonium *Henrico de Seefeld*, Henrici ex Agnete de Eyringspurch Filio. Porro Filius post Mortem *Gebhardi*, quem ad annum MCCCXIV. adhuc inter vivos, ad annum autem MCCC. jam intea mortuos legimus, supererat unicus, Nomine *Henricus*, Stemmatis Propagator, quocum Anno MCCCXII. tota Stirps hæc nobilissima extincta est. Ante mortem suam fecerat is adhuc Legatum Domino Salvatori in Pollingen, quod Ludovicus Dux Baviariæ ratum habuit, ut ex sequenti ejus Diplomate patet:

„ Wir Ludwich von Gotes Genaden Pfallentzgraf bei Rein, und Hertzog in
 „ Bayern, verichen, und tun chunt, allen den, die disen Brief ansehent oder hoerent
 „ lesen. Wan der Edel Man, vnser getreuer Hainrich von Weilheim, dem Got ge-
 „ nad, durch seiner, vnd seiner Vordern Sel willen, an daz Gotshaus ze Pollingen ge-
 „ ben hat an seinem tode, einen Hof ze Vffingen, ein Mül da selben, vnd ein halbi-
 „ vischentz, haben Wir dem vorgeantent Gotshaus ze Pollingen die Genad getan,
 „ daz Wir nu daz selb Geschaeft vnd die selben Gut staetigen, mit disen vnserm brief.
 „ vnd ist auch vnser gut Wille, vnd Gunst da bei, vnd geben im dar über ze einem
 „ vrchunde disen brief mit vnserm Insigel versigelten. Der geben ist ze Pollingen,
 „ da man zalt von Christes Geburt driutzehen hundert Jar, darnach in dem zwelf-
 „ ten Jar, dez Erctages vor Tiburcii.

Cum autem post mortem hujus Henrici, alter Henricus Patruus ejus, quem Canonice Frisingensem & Decanum ad S. Vitum ibidem fuisse diximus, adhuc esset in vivis, connivente Ludovico omnia Jura & Feuda usque ad mortem hujus etiam Henrici permanferunt integra. Cum vero postea Henricus de Seeveld, Nomine Uxoris suæ Salome (de aliis hujus Sororibus nihil hic attentatum legimus) vellet in Bona & Prædia defuncti Henrici, Stemmatibus hujus ultimi, succedere, Ludovicus Dux Bavarix, & jam Imperator, excluso una cum uxore Salome Henrico de Seeveld, omnia Henrici de Wilhelm jam pridem, ut diximus, defuncti, Feuda sibi aperta reclamavit; quæ brevissimis hic verbis indicare volumus. Videatur *Hundius* in *Stemmatographia sua Bavaria* P. I. pag. 367. &c. Cæterum adhuc observamus Nobiles hos etiam suos Nobiles *Ministeriales*, quorum complures possemus adducere, fovisse, fuisseque nonnullos ex ipsis Liberis de Wilhelm etiam *Ministeriales* Comitum Andecensium; in suo autem Scuto Gentilitio ac Sigillo, quod triangulare, seu cordiforme & non nisi Viris primæ Nobilitatis proprium erat: habuisse tres Irides in Campo Albo, Signum fœderis alicujus, ni fallimur, repræsentantes. An autem Weilhemi aliquando resederint, & non potius alio in loco Sedem suam Nobilem habuerint, nihil certi constat; id autem scimus, Sepulturam suam illos habuisse apud Dominum Salvatorem in Pollingen.

XVI.

Translato ad meliorem, ut confidimus, Vitam CONRADO, HENRICUS hujus Nominis III. (a loco Nativitatis, an a Cognomine Familiæ incertum) dictus Ebersperger a Cellariatu, cui aliquamdiu tanquam sedulus & industrius œconomus præfuit, vocatur ad Præsulatum. Quantas optimus hic Præsul pressuras, exactiones, & id genus tribulationes sub Bellis Ludovici Bavari Imperatoris adversus Fridericum Austriacum gestis sustinuerit, paucis hic dici nequit; sufficit dixisse, ipsam omnia Mala, quæ ferale Bellum comitantur, uno quasi tractu exhaustisse. Aliqua tamen nen possumus omnino dissimulare. Sic

Cum Anno MCCCXVI autumnò jam inclinante, Leopoldus Dux Sueviæ & Frater Germanus Friderici, Ducis Austriæ, Landspergam Bojorum incenderet, eadem facta cum multis aliis vicinis locis etiam Pollingam subiisse legimus. Vicus Pollinganus eo tempore vix non totus in cineres abiit, Rusticorum Casæ aut expilatæ aut destructæ, subditi ad summam miseriam redacti, Villæ pleræque in tota vicinia exustæ, ipsum Monasterium cum Ecclesia & Officinis, postquam Horrea exhausta, Pecora abducta, & optima quæque hostili furori in prædam cesserunt, a flammis illæsum non mansit. Diu quidem hæc rabies Leopoldina non duravit, suppetias Ludovico ferentibus Civibus Augustanis; ast eo ipso nihil intentatum reliquit, ac fulminis instar omnia, quo venerat, concremavit. Hac certe tempestate Canoniam nostra ad incitas fere ultimas redacta est, ita, ut Henricus pro conservando duntaxat lumine ad Imaginem S. Crucis quatuor Mansus in Odratingen vendere coactus fuerit; reliqua Prædia hoc tempore distracta, exusta, aut Solo æquata Silentio præterimus. Verum vix quatuor circiter anni effluerunt, Leopoldus jam dictus iterum superiorem Bavariam hostiliter invasit, nostramque etiam Canoniam adhuc sub ruinis gementem iterum iterumque spoliavit, hoc tantum discrimine, quod jam tantum auferre non potuerit, quantum prius, veteri cicatrice, ut loquimur, nondum obducta. Cæterum posterior hæc Militis Leopoldini invasio longius duravit, quam prior; quousque nempe Fridericus Austriacus ipse in Prælio prope Amphingam ac Mülдорffium a Ludovico casus captusque est, quod ipsum Anno MCCCXXII. Die XXVIII. Septembris accidit. Exin requies quidem aliqua erat a Bello, in nostra saltem Vicinia, non autem ab exactionibus

& Præstationibus immodicis, quibus tandem Henricus ipse post inquietum & fatis calamitosum XXI. annorum Regimen Anno MCCCXXXIV. Die XX. Martii pie est immortalis, Vir probatæ in adversis virtutis, & melioribus Fatis dignissimus.

Ex multis Diplomatis, quibus afflictam Canoniam nostram optimus Imperator Ludovicus Consolari dignatus est, unum duntaxat hic in medium proferamus, quo certas Curias in Oettingen una cum Decimis ibidem, quas Henricus a Perhtoldo de Witolshoven emerat, hæctenus feudales, sua nunc Auctoritate, anno primam Leopoldi irruptionem statim insequente, nobis appropriaverat. Sic habet:

Ludovicus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus universis presentes Litteras inspecturis Gratiam suam & omne Bonum. Attendentes, quod tunc gradimur via rationis, cum Personas divino Cultui mancipatas nostræ munificentia Beneficiis consolamur, honorabilibus & religiosis Viris Præposito & Conventui Monasterii in Pollingen devotis nostris dilectis, quos propter Regularis Vitæ suæ observantiam affectu prosequimur speciali divinæ remunerationis intuitu, & in nostrarum nostrorumque Progenitorum Remedium Animarum tres Curias sitas in Oettingin, & Decimam ibidem cum Appenditiis & Pertinentiis universis, quas Bertholdus de Witolsboven a nobis & Ducatu nostro Bavariæ in Feudum tenuit, & possedit, quasque ipsis - - Præposito . . & Conventui vendidit pro certa Summa Pecuniæ Quantitate, de liberalitate regia appropriamus, & Proprietatis titulo donamus, perpetuo possidendas. In cujus nostræ Donationis & appropriationis Testimonium presentes conscribi, & nostro Sigillo iussimus communiri. Datum in Heidelberg Kal. Decembris Anno Domini millesimo, trecentesimo septimo Decimo, Regni vero nostri Anno quarto.

Sed jam properandum ad alia.

XVII.

CONRADUS hujus Nominis III. jam Senex, invitus calamitosus his temporibus trahitur ad Regimen Fratrum, quod tamen non diu tenuit, post Biennium viam universæ carnis ingressus Anno MCCCXXXVI. Dies obitus ejus nos hæctenus latet. Totum fere, quod de ipso legimus, est, quod necessitate compulsus aliqua prædia, & inter hæc Tabernam in vicino Vico Oettingen Domino Conrado Parocho in Peiffenberg, & tunc temporis Capituli Weilheimensis Decano vendiderit, qui tamen hanc ipsam Monasterio certis conditionibus iterum tradidit, optimus Benefactor noster.

XVIII.

ULRICUS seu Uldaricus similiter non nisi annis quinque Præpositum egit, vitamque mortalem cum immortalis commutavit, VIII. Decembris, non, ut Hundius habet, VII. Idus Aprilis, Anno MCCCXLI. Hic cessante aliquantulum tumultu publico Disciplinæ Canonice reparandæ conservandæque fervidè studuit Charta Reformationis confecta, quæ adhuc exstat.

Quam tenere Vices nostras doluerit Ludovicus Imperator, quas hæctenus sub ipsius Regimine Canoniam Pollingana sustinere debuit, sequens Diploma docet:

Wir Ludewig von Gots Genaden Römischer Keiser ze allen Ziten merer des Reiches. Veriehen und tun chunt offentlichen an disem brief. Das wir den Geistlichen Lueten dem Probst und dem Convent des Gotsbusen ze Polling, unsern lieben diemutigen erlaubet, und unser Gunst darzu geben haben. daz si alle ives Gotsbusen eigen Luede, swo si die sitzen haben, under uns, under unserer sffrawn Cbloster ze dem Ettal. oder under andern Lueten, swo die gesezzen sint, bestimven muegen und sullen und bot dar uf legen. daz si ives Cblosters gebrechen und Schaden den sie von Geltz wegen haben, dester bas uberkomen muegen, und swan si, die Stiwr, uf ir eigen Luet anlegent. so sullen in die selben Luede ir Stiwr, und bot geben unverzogenlichen, an alle hinderung und hindernisse. Und wellen und gebieten allen unsern Amptlueten und andern unsern getreuen, swwie die genant sin vestiklichen und erstlichen, daz si das vorgebant Gotsbus, ze Polling, an iver Stiwr, die si uf ir eigen Luet legent, nicht hindern, irren, oder beswaern, mit cheinen Sachen, bei unsern Huldern. Ze urchund dis brifs, der geben ist ze Nuevenberg, an Sand Agathe tag. In dem fünff und zwveinzigsten jar unsers Reichs, und in dem zwvelften des Keisertums.

XIX.

HENRICUS IV. jussus a Fratribus Udalrico in Prælatura succedere, opus Reformationis a Prædecessore suo, multo cum fervore cœptum omnibus quidem viribus conatus est promovere; ast exacto vix hac in Dignitate quadriennio & ipse inter vivos esse desiit Die XXII. Martii Anno MCCCXLV. Ludovicus Imperator sub hujus Regimine non solum Monasterium in suam specialem protectionem suscipit, sed etiam varia circa ejus subditos in Bonum disponit.

XX.

HENRICO fati functo postulatus est ex Vicino Collegio Canonorum Regularium in Dieffen, Vir omni Exceptione major, CONRADUS de Schondorf, hujus Nominis IV. immortalis Memoria dignissimus. Natus is ex illustribus Parentibus Gotschalco de Schondorf, & Catharina nobilis viri Conradi de Sachsenhausen Filia, nulli Prædecessorum suorum secundus; eximia, qua polluit rerum gerendarum Sagacitate, Prudentia, ac Autoritate brevi tempore restituit omnia, quæ jam longo tempore, ob Bella inter Ludovicum Bavarum ac Fridericum Austriacum hætenus gesta, tam in temporalibus, quam in spiritualibus rebus collapsa fuerant.

Ante omnia restituit is Domino Salvatori in Pollingen pristinum suum in Ecclesia Decorem, & magis necessaria Monasterii ædificia sub Leopoldo Austriaco ferro & igne afflicta partim reparavit, partim ex Fundamento suscitavit, ut tota nova iterum facies jam dudum afflictae Canonice nostræ redierit. His constitutis, cum annui pro alendis Confratribus ob distracta aut obærata, præcipue in ultimis Bellis, a Prædecessoribus suis complura optima Prædia, Reditus valde imminuerentur, Conradus non solum multum æs alienum Dexteritate sua œconomica expunxit, sed alia etiam Prædia aut de novo comparavit, aut saltem redemit. Sic tredecim Curias simul & semel emit in peramplio illo Præfecturæ Landspbergenis Vico Pridriching dicto, tres in Stainach, totidem in Hugolvingen, & iterum tres in Poschetzried, nunc Fürstenriet dicto, duas in Tautting, duas in Weil, alias in Perg, in Teimeriet, in Forcha, in Waltersperg, in Pezenhausen, in Witoltshoven, in Raitenveld, in Walleshausen, in Geisenbrun &c. &c. Præter has Curias redemit ex Manibus Laicorum diversas Decimas, puta, in Ascheringen, Ebrolvingen, Oettingen, Waltersperg, Pirgen, Uffing Niwenriet prope Antorff, Piz, Greben &c. Insuper acquisivit varia Jura Patronatus ac Advocatiæ super diversas Ecclesias, puta, Ebrolving, Erling, Oetting, Berchting, Walleshausen & Witoltshoven. Singula Documenta hic recensere angustia loci prohibet. Demum varia tam ab Episcopis quam a Ducibus Bavaricæ, aliisque Principibus obtinuit Privilegia, ac Donationes. Ex multis duo duntaxat talia Diplomata adducam, quia in illis Mentio fit, multas Archivii nostri Tabulas, Litteras, ac Diplomata circa hæc tempora, casu quodam fortuito, igne consumpta fuisse.

Primum ita habet :

Wir Ludwig von Gotes Gnaden Marggraf ze Brandenburg und ze Lüßz, Herzog in Bairn und Kaerten Graf ze Tyrol und ze Goerz. Verieben offenleichen mit disem Prief fur uns und fur unser Erben, daz wir kuntleichen unterweist sein, daz den Gaistleichen und ersamen Leivten, dem Probst und dem Covent ze Pollingen all ir Prief und Hantvest verbrannt sein an geverd. Nun haben Wir an geseben die dyematikeit die si gen Got babent und Irsal, der da von - von unsern Amptlantzen aufersten mocht, den wir in durch Got und getrewe dienst willen, die si uns oft getan habend, und furbaz tun mugen, wenden wellen und haben in all ir Genad und Freyheit die si mit guter Gewissenschaft von allen Unsern Vödern, und auch von unserm Hern und Vater Kayser Ludweigen vom Rom Saligen hunc dabey gebabt habend. und auch besunderleich die Genad, die vvir in getan haben, daz si oder ir Amptlavvt und niemand anders alle sache die in dez vorgenanten Klosters ze Pollingen Pbarre über al geschebent an drey Sache. Todslege, Notnunft, und dyef, die vvir uns behalthen ze richten, ewigleychen richten sullen und mugen mit unser gunst und vwillen, und sullen auch kain Puezze da von nemen noch vödern lassen, ernevvet und bestätigt haben, und ernevven und bestatigen in die auch mit dem Prief in der bescheidenbeyt. vvir daz der vorgenanter dreyer Sache, ainivv oder mer übervaren vwurden oder geschäben, den der der Sache ein tate, sullen si dez egenanten Chlosters ze Pollingen Amptlavvte, uns oder unsern Amptlavvten antvurten. Und vvir und unser Erben und all unser Amptlavvt sullen mit seinem Güte dar über nichtz ze schaffen haben. Und gebieten allen unsern Amptleüten, Viztumen,

Pblegern, Richtern und Schergeren die iezund sind oder furbaz vverdent, daz si dem vovgenanten Probst, dem Convent und Chloster ze Pollingen an allen den vovgenanten Genaden, Freyung und bestätigung schirmen, und da peybehalten und nicht gestaten, daz si iemand ubervare, vestibbleichen pei unsern hulden. dar über ze Urbund so geben vvir in disen Prif versigelt mit unserm Insigel, der geben ist ze Weilheim, nach Kristes gepurd driwzehen hundert jar, und dar nach in dem nevvn vierzigisten jar, an der nachsten Michten vor Sand Gorgen tag.

Secundum vero ita sonat :

„ Wir Stephan der Elter von Gotes Genaden Pfallentzgraf pey Rein, und Hertzog in Bairn, bechennen offenleichen mit dem Prief. Vmb die Prief Recht und gut gemonhait die unser lieber diemutiger Chunrad der Schondarfer, Probst ze Pollingen und daz Convent gemeincheichen da selben von unsern Vödern und vovgangern Herscheft biz her auf disen hiwtigen tag an uns pracht hat. Geheizzen wir in bey unsern Genaden, daz wir in die selben Prief Recht und Gut gemonheytt Stät fullen und wellen haben, und bestäten si in auch mit disem gagenwurtigen Prief. Und darumb gebieten wir allen unsern Amptlaivten, wie die genand sind, die wir iezund haben oder furbaz gewinnen ernstleichen bey unsern Genaden und hulden, ob si yemand daruber beswären wolt, daz ir si dann trewlichen von unsern wegen darzu hältet und beschirmet. Zu Vrkund ditzes Briefs Geben ze München, an freytag nach Georii, nach Kristes Gepurd driwzehen hundert jar und darnach in dem drey und sechtzigisten jar.

Haecenus dictis curiosam hic Actionem subungere debemus, quam Conradus noster habuit cum Nobili quadam Monacensi Familia *Renngolt* dicta, cujus etiam Hundius in sua Stematographia Boica adhuc manuscripta, ac inedita sub titulo *Renngold* meminit. Marquardus Renngoltius nobilis Civis Monachii vendiderit pro certa Pecuniae Summa Conrado nostro ac Domino Salvatori in Pollingen Domum suam, quam habuit Monachii, una cum duabus Curiis, & una Hueba in Veltmochingen haud procul Monachio sitis. Litterae super hoc Contractu expeditae fuerant in optima Juris forma, tam a nobili Venditore Marquardo Renngoltio, quam a Magistratu Civico hunc ipsum Contractum, prout Juris & Consuetudinis erat, solemniter confirmante. Cum autem futuri Haeredes Marquardi, & inter hos maxime Joannes filius ejus, qui Familiae Augustinianae Eremitarum, ut vocant, tunc temporis Monachii valde celebri, nomen dederat, perpetuo sed frustra contra hunc Contractum obstreperent, non tantum praedicto Magistratu Civico, sed ipsis etiam Ducibus Bavariae, ad quos appellatum erat, valorem ejusdem collaudantibus, jam supra nominatus Joannes Renngoltius Augustinianus tum suo tum Co-haeredum suorum Nomine ad Aulam Avenionensem, ubi tunc temporis Summi Ecclesiae Pontifices Sedem fixerant, adversus Conradum nostrum tanquam injustum praedictorum Bonorum Possessorem appellando confugit, quae etiam Partes ejus, eorumque, quorum intererat, tam avide in se suscepit, ut adversus contumacem Conradum, ejusque Complices, Forum hoc in hac causa mere temporali haud agnoscentes, quantocyus Censuris Ecclesiasticis procederetur; Praepositus quidem ipse Excommunicationis, reliqui vero Canonici Sententia Suspensionis ab Exercitio Divinorum ferirentur, ac demum Ecclesia Pollingana ipsa Interdicto publico innotaretur.

Quam male haec Res Duces Bavariae habuerit, ex sequenti Diplomate, a tergo Sigillis trium Ducum munito, fatis licet colligere. Hoc ipsum hic inferimus :

„ Wir Stephan der Elter, wir Fridrich und Johans, des selben hern Stephan des Eltern Sun all von Gotes Genaden Pfallentzgrafen bey Rein, und Hertzogn in Bayrn &c. bekennen offenleich mit dem brif, daz für uns komen ist der Erwardig gaitflaich man Probst Chunrad von Polling, und hat uns des chuntleichen geindert und geweisst, daz ez wol darzü komen sey, daz er seinem Gotzhaus zu München chausleichen gechauffet hab von Marquarden dem Ränolden, weilent burger da selben, und daz hat im der selb Ränolt gevertigt engagien der Erben die zu dem haus gehörten, auf dem haus zu München nach unsers Landes und der Stat rechten und auch unserm und der Stat püchs sag, alz er auch des Gerichtes brief darumb innen hat. und über daz alles ist zu gevaren ein Augustiner, ist gehaizzen Haus, und ist des obgenanten Ränoltz Sun, und hat den obenanten Probst von Pollingen geladen auf daz recht gen Avinion, in den hof von des obgenanten hauzz wegen, daz uns gar unbillleichen dunchet, wan im der obgenant Probst rechtens

„ gern

„ gern gerhorsam wär gewesen, ob er hintz Im icht zu sprechen hiet an der Stat, do
 „ man umb Erb und aigen von recht in vnsern Landen rechten sol. und daz selb
 „ recht mainet er uns aus unsern Land zü ziechen, daz uns gar vast müt; wan ez
 „ vor mit chainer gewonhait in unseren Landen nie herkömen ist, und darumb ge-
 „ bieten wir allen den, di in unserm Land gesezzen sind, si sein gaislich oder weilt-
 „ leich, und allen unsern Amptläuten Vitztūmen, Pflegern, Richtern, Schergen, und
 „ allen andern, di durch unsern willen tūn und lazzen füllen, ernstleichen bey un-
 „ sern Genaden und Hulden, wo ewer der obgnant Probst in den Sachen bedurffent
 „ sey, daz Ir im von unsern wegen fūderleichen geraten und geholfen seit, und auch
 „ beschirmet; daz ist vnser will und Wört. und daz Ir auch den obgenant Augu-
 „ stiner mit chainen sachen wie di genant oder gehaizzen mochten sein wider den
 „ selben Probst von Polling nicht fūderlich hanlet oder fürbringet, alz ir unfer unge-
 „ nad darumb vermeiden wellet. welicher aber ez dar vber tät, und daz wir dez
 „ gewar wurden, er wär gaislich oder weiltleich, der den obgenant Probst oder sein
 „ Gotzhaus von des obgenant Augustiner wegen beswären wolt, daz wär mit dem
 „ bann, oder mit andern sachen, wie di genant oder gehaizzen möchten sein, der sol
 „ daz wizzen, daz wir des datz seinem Leib und Güt gewarent wolten sein. wan
 „ wir dem oftgenanten Probst bey unseren Genaden und Hulden verboten haben,
 „ daz er chainerlay tading von des chaufs wegen icht aufnem, oder umb chain icht
 „ abding wenig oder vil, wan der chauf und daz Gotzhaus unfer ist. tät er ez dar
 „ über, so wolten wir In selben darumb bezzern an leib und Güt, daz er es hart über-
 „ wund. Mit Vrchünd ditz brifs. Geben zü Lantzhüt an vnfers hern Leichnams
 „ tag. Anno Dm. M. CCC. LXXII.

Verum omnes hi Conatus erant inanes, nec solum Interdictum cum aliis Cen-
 suris Ecclesiasticis, donec Conradus Forum Avenionense agnosceret, ac quod iusto
 Emptionis titulo possederat, Marquardi Hæredibus iterum cederet, id quod composi-
 tione tandem aliqua factum erat, ut ex subjuncta absolute a Censuris patet, quæ
 sic habet:

„ Johannes de Silvis Decanus Ecclesie Sancti Agricoli Ammonensis Venerabili
 „ & Religioso Viro Præposito Monasterii in Raytenbuch Ordinis Sancti Augustini
 „ Augustensis Diocesis Salutem in Domino. Dudum Sanctissimus in Christo Pater
 „ & Dominus noster Dominus Gregorius divina Providentia Papa XI^{mus}. per suas
 „ litteras nobis & quibusdam Collegiis nostris cum illa Clausula quia vos vel duo aut
 „ unus vestrum per vos vel alium seu alios & cetera directas mandavit ut Marquar-
 „ dum Raynaldi Laycum opidanum Opidi Monacensis Frisingensis Diocesis vel pro-
 „ curatorem suum ejus nomine quadam domo sita in dicto Opido & duabus Curiis
 „ cum una Mansione in Villa de Veltmoching dicte Diocesis consistentibus cum non-
 „ nullis bonis mobilibus in domo Curiis ac Mansione prædictis existentibus ad ipsum
 „ Marquardum iusto titulo pertinentibus per Conradum Prepositum Monasterii in
 „ Poling per Prepositum soliti gubernari Ordinis Sancti Augustini Augustensis Diocesis
 „ associatis sibi quibusdam suis in hac parte complicibus violenter & contra justi-
 „ tiam spoliatum in corporalem possessionem domus ac Curiarum & mansionis & alio-
 „ rum bonorum prædictorum amoto exinde dicto Preposito Auctoritate Apostolica
 „ restitueremus ac reintegraremus ipsumque restitutum ac reintegratum defendere-
 „ mus facientes sibi de fructibus ex domo Curiis & Mansione prædictis & eorum per-
 „ ceptis & qui percipi potuerunt a tempore dicte Spoliationis & septuaginta tribus
 „ florenis auri de Florentia boni & iusti ponderis eidem pro Expenis in causa super
 „ præmissis in Palacio apostolico tractata per Dominum Johannem Zaquarie Domini
 „ nostri Pape Capellanum comensalem & ipsius Sacri Palacii Causarum Auditorem
 „ taxatis plenam & debitam satisfactionem impendi. Quarum Literarum Apostoli-
 „ carum Auctoritate processus necessarios & alia fecimus prout habuimus in man-
 „ datis. Verum cum Prepositus prefatus Conventus & Monasterium in Poling & alii
 „ prædicti Complices & Fauctores Sententias in nostris processibus per nos latas in-
 „ currerint mandatis nostris ymo verius Apostolicis non obediendo, dictusque Mar-
 „ quardus & sui Procuratores prout nobis fuit expositum postea concordaverunt cum
 „ dicto Preposito & aliis quorum intererat super domo Curiis Mansione fructibus &
 „ Summa prædictis & fuerint contenti. Ydem Prepositus & Conventus & alii supra-
 „ dicti Complices offerentes se paratos stare mandatis Sancte Matris Ecclesie Suppli-
 „ cari nobis fecerunt eisdem de absolute debite beneficio & penitencia saluari
 „ misericorditer provideri Nos itaque hujus modi supplicationibus inclinati Auctori-
 „ tate Apostolica nobis in hac parte commissa vobis committimus per presentes qua-
 „ Tom. V. *Cann. Regg. Origines.* H h h tenus

3, tenus postquam vobis confiterit eundem Marquardum vel Procuratorem suum ejus
 3, Nomine de premissis omnibus fuisse & esse contentum ipsum Dñm Præpositum &
 3, Canonicos prefati Monasterii in Poling & alios Complices predictos absolvatis a
 3, Sententia Excommunicationis Auctoritate predicta misericorditer, & injungatis in-
 3, de eorum cuilibet pro modo culpe penitentiam salutarem, quodque de cetero in si-
 3, milibus non excedant Conventum vero sive Capitulum a suspensione & ipsum Mo-
 3, nasterium sive Ecclesiam in Poling ab interdicto relaxantes. In quorum omnium
 3, & Singulorum testimonium presentes nostras Litteras per Notarium publicum in-
 3, fra scriptum scribi & publicari mandavimus nostrique Sigilli fecimus appensione
 3, muniri. Datum & actum Avinione in Ecclesia predicta Sancti Agricoli Die quar-
 3, ta Mensis Octobris. Anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo Septuage-
 3, simo tercio Indictione undecima Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Do-
 3, mini nostri Domini Gregorii divina Providentia Pape undecimi Anno tercio Pre-
 3, sentibus discretis Viris Dominis Guillelmo Baraterii Sancti Agricoli Stephano Re-
 3, gis Licenciato in Legibus Diensis & Lazaro de Guercis Papiensis Ecclesiarum Ca-
 3, nonicis & Garino de Apcherio scutifero testibus ad premissa vocatis specialiter &
 3, Rogatis.

Ego Raymundus Tura Clericus Ilerdensis Diocesis
 publicus Apostolica & Imperiali Auctoritate No-
 tarius premissis omnibus & singulis dum sic ut
 premittitur per dictum Dñm Decanum ageren-
 tur & fierent una cum prenominatis testibus in-
 terfui eaque scripsi & publicavi & manu mea pro-
 pria in hanc publicam formam redegi signoque
 meo solito & consueto signavi rogatus & requisitus
 in testimonium præmissorum.

Hunc casum ob raritatem suam volumus hic adducere, sed jam de his fatis.

Conradus post gloriosum Regimen XXXVI. Annorum, Meritis plenus in sancta
 pace quievit Die XIII. Julii Anno MCCCCLXXXII. titulo RESTAURATORIS TAM
 IN TEMPORALIBUS QUAM IN SPIRITUALIBUS dignissimus.

XXI.

ULRICUS II. dictus Kalkmayr de Uffeldorf, ubi Parentes ejus nobilem Sedem
 habuisse suspicamur, electus e Gremio, Prædecessorem suum in omnibus egregie imi-
 tatus est, Vir Monasterio multum utilis ac satis litteratus; cujus adhuc aliqua ex
 multis, quæ perierant, *Notamina* supersunt, Bonum Monasterii concernentia. Hic
 Gradualia & Antiphonaria nova pro choro Caractere valde nitido ac terso in Mem-
 brana conscribi fecit, litteris aureis quam plurimis, ac elegantibus pro more temporis
 Picturis exornata; Canonicos quoque suos in labore Manuum, hoc est, in describen-
 dis Codicibus utiliter occupavit; præter alia Prædia comparavit etiam a Nobilibus
 de Witoltshoven Villam Grasleuten, ad quam coemendam Henricus de Ebrolvingen,
 & Cognata ejus Luitgardis duas tertias contulerunt pro celebrando Anniversario per-
 petuo & Missæ in Altari SS. Apostolorum singulis Feriis VI. legenda. Litteræ Em-
 tionis sic habent:

*Ich Hans, der Witoltzbover, gefessen zu Pollingen, und ich Margaret, sein Swe-
 ster, verlieben, und tün kunt, offenleich, und unverschaidenleich, mit dem Brief, für uns,
 und für all unser Erben, allen den, die den brief ansehent, börent, oder lesent, daz wir,
 mit verdachtem mü, und mit guter vorbetrachtung, recht, und vedleich, verkaufft, und
 ze kauffen haben geben, dem Erwidigen Herrn, Herrn Ullreichen, Probst, dez Gotz-
 bauß zu Pollingen, und allen seinen Nachkomen, Unser Swaig, ze Grasleuten, mit Grunt,
 und mit Podem, ze boltz, ze voeld, ze Wismat, ze Akker, besuchts, und unbesuchts, mit
 allen den Ern, nützen, diensten, und rechten, die dar zu gebörent, und als wir si genos-
 sen, und innen gehabt haben, und in nutz, und in Gewer biz ber gebracht haben, für ein
 ledigs, unverbumertz, freis unvogt pers Gut, und für ein rechts aigen, ausgenommen ein
 Pfunt Wachs, daz man jærleich da von geben sol, büntz Sant Peter, gen Wellesprunnen,
 umb sechs und dreizzig Pfunt, guter und genger Müncher Pfenning, die wir all bereit
 von im empfangen und eingenomen haben, und also haben wir, im, und seinem Gotzbaus,
 zu Pollingen, und allen seinen Nachkomen die obgenanten Swaig, und swas dar zu gebört,*

zu rechttem Aigen aufgeben, und haben uns der vertzigen unbetwungenleich, und mitgelaten Worten, und vertzeichen uns, derbint, mit dem gagenwurtigen brief, aller der Rechten, und Nutzse, die wir daran betten, oder wonten ze haben, für uns und für all unser Erben, als sich ein man, oder ein fraw, irs aigens, durch recht, und pilleich, vertzeichen, und aufgeben sol, nach aigens recht und dez Landes, da die oftgenant Swaig innen gelegen ist, also, daz wir, noch kbain unser Erb noch nyemant anders von unsern wegen, fürbas, ewigleich, kbain recht, noch kbain Ansprach, darnach, nimer mer, gebaben, noch gewinnen sullen, noch emüngen weder mit Gaisleichen rechten, noch mit waltleichen, noch mit Herrn, noch frumten Hilf, noch rat, noch mit kbain Sachen, und sullen weder wir, noch kbain unser Erb, mit der vorgeant Swaig, und mit allem dem, und dar zu gehört, noch mit den Læwten, die ietzunt darauf sitzent, oder fürbas dar auf chöment, nichtz mer, ze tün, noch ze schaffen haben, weder mit bestiurn noch mit Vogtay, noch mit gericht goestlichem, oder vvoeltleichen, noch mit kbain Sachen, vvir sullen auch der oftgenanten Swaig, und alles dez, dar zu gehört, sein recht gevörn sein, und bestätten, und vertigen für all ansprach, nach aigens recht, und dez Landes, da die egenant Swaig innen gelegen ist, und dez zu einem Warn offen Urkünd, geben vvir im und seinen Gotzhaus, den brief, trevveleich versigelt, mit meinen aigen, anhangendem Insigel, darunter ich mich obgenanter Hans Witboltzbover, und ich obgenantin Margaret sein Swvester, uns mit unserm trevvn verpinten, alles daz stoet ze halten, und ze laisten, daz an dem brief geschriben ist, und dez sint Ziugen, Hainreich fyscher, Hainreich Pabst, Hainreich deydrey, und Hainriich Wirt, all vier ze Pollingen geseßen, und ander Erber Loewt genüg, und geschach, an Sant Jörgen tag, da man zalt nach Christi gepurt driutzehen bundert Jar, darnach in dem fünf und Achtzigosten Jar.

Sub hujus Prælati Regimine extincta est, in Wilhelmis Patre & Filio, Nobilis & in nastra vicinia valde potens Familia Liberorum de Seeveld & Pisenberch, postquam duo eorum Castra jussu Ducum Bavarix a Civibus Weilheimensibus fuerant exusta ac penitus destructa. Quæ mali hujus causa propria fuerit, haud equidem reperimus; id autem scimus, Nobiles de Seeveld jam a longo tempore Gratia Ducum Bavarix excidisse; ex quo nempe defecit stirps mascula Liberorum de Wilhelm, quod jam dudum sub Ludovico Bavaro Imperatore contigit. Cum enim ea ætate Henricus de Seeveld Jus & Successionem in Bona defunctorum de Wilhelm nomine uxoris suæ, Salome Nomine, Gebhardi de Wilhelm Filix prætenderet, Ludovicus autem jam nominatus singula Nobilium de Wilhelm Feuda in morte ultimi de hoc Stemate sibi aperta reclamaret, res hæc usque adeo Seeveldios ægre habuit, ut in præstanda Bojarix Ducibus Fidelitate sensim intepescerent; quo tandem factum est, ut aliqua eorum Castra penitus fuerint exusta atque destructa. Anonymus Coævus hac de re ita loquitur: *Anno Domini MCCCLXXXVIII. in Vigilia Conversionis S. Pauli Castrum Peissenberg, quod fuerat nobilis Wilbalmi de Seeveld, obsessum est a Weilheimensibus, & V. abhinc die traditum est in Manus Ducum. posthæc Dominica I. Quadragesimæ exustum est; alterum vero destructum & Solo æquatum est in Die S. Julianæ Virginis.* De primo, cujus hic mentio fit, Castro liquet, illud haud procul a Vico Peissenbergensi in quodam edito colle, ubi hodieque Rudera supersunt, & Ecclesia S. Jodoci adhucdum visitur situm fuisse; de altero autem nihil certi constat, ubinam fuerit, cum Nobiles hi plures adhuc Arces possederint. Videntur tamen adhuc in Gratiam Principum rediisse, antequam Fatis functi sunt. Anno MCCCXC. tradidit Wilhelmus Senior de Seeveld una cum Coniuge sua certa Prædia Domino Salvatori in Pollingen pro Anniversario ac Missa singulis Feriis IV. in Capella S. Udalrici (ubi Nobiles hi ab antiquis temporibus Sepulturam suam habuerunt) legenda. En ipsas Litteras, dispositionis hujus testes.

„ Ich Wilhalm von Sevelt und ich Mey sein Elichiw wirtinn. veriehen pay-
 „ diw unverschidenlechen und offenleichen an dem Prief fur uns und fur all unser
 „ Erben. und tun chunt allen den die den Prief ansehent lesend oder horend lesen.
 „ daz wir mit verdachten Mut und mit gutem Willen und ze der Zeyt da wir ez wol
 „ mochten getvn, lawterleich durch Got und durch Heyl unserer Sel, und aller un-
 „ serer Vödern Sel. haben gegeben zu einem rechten Selgeraet dem Erbirdigen Hern
 „ Herrn Ulreichen dem Probst ze Pollingen dem lieben Gotzhaws da selben und al-
 „ len ihren nachkomen. unsern Höf ze Hubolvingen der unser rechtz freys aygen
 „ ist. mit alle diw und dar zu und dar ein gehört nichtz auz genomen. und den je-
 „ tzund pawt der Weygel, und darzu unser Vogtay auf den guten die hernach be-
 „ nent werdent ze dem ersten ze Ried daz Sand Margareten auf zwain Hofen die dez
 „ Gotzhaws sind auf iechlechen ain Sak Habern und ein Hun, ze Pernaw ein Sak

„ Habern ein Hun. ze Peyfenberg auf dez Gotzhaws Hof da ietzund Hans Schwartz
 „ aufftset auch in Sak habern ein Hun. auf der Hub da selben die ietzud der Haws
 „ pawt Illor Metzen habern ein hun. Wir haben in auch fur ein rechts Aygen ge-
 „ ben unfer hofftat ze Oetingen die gehaizzen ist dez Gebhartz Hofftat. und ein Hof-
 „ stat ist gelegen ze ober Egolvingen an dez klainn haws. dem vorgeantem Hof.
 „ und die vorgeantem Vogtay. und hofftet haben allez wir gegeben dem wirdigen
 „ Gotzhaus ze Pollingen fur ir rechtz freys Aygen und mugen nun furbaz damit tun
 „ und schaffen waz si wellend allz mit andern iren aygen Gut. Man sol auch wiz-
 „ zen daz wir nun furbaz noch chain unfer Erb noch niemand von unsern wegen
 „ chainerlay Ansprach noch chainerley voderung nimmer mer sullen gehaben noch
 „ gewinnen nach dem obgenantem Hof. noch nach der egenantem Vogtay. noch
 „ nach den vorgeantem Hofftetem in chainer weis. weder mit dem Rechten Gaist-
 „ leichem noch waltlichem noch an recht. Man sol auch wizen daz wir daz ha-
 „ ben getan also mit der beschaidenheit und auch mit dem geding. daz nun hin fur
 „ Ewichleichen man uns und allen unsern Voderen sol haben ein vvochen Mefs in Sand
 „ Ulreichs Capell ze Pollingen dar inn wir wonen und warten wollen dez jungsten
 „ tags. Allwegen an der michkten. ez mug dann nicht gesein von eins hailigen
 „ tags wegen. oder von ander grozzer Sach wegen. und wenn daz geschach so sol
 „ man si haben an einem andern tag vor oder nach. und wer die salben Mefs dann
 „ Spricht. dem sol der Prelat ze Pollingen geben auf den Altar drey Muncher Pfennig
 „ oder zwen Regenspurger. und wenn daz ist daz ich vorgeanter Wilhalm von
 „ Seveld und ich mey sein Elichw Wirtinn abgenn und nicht mer sein dez Got noch
 „ lang nicht enwell. sol sol man uns pegen unfer paider Jartag auf den tag all wir
 „ verscheiden sein. und sol awer der Prelat ze Pollingen dem Convent dez tag die-
 „ nen mit wein und mit kost, allz von anderer erberger Leivt Jartag. war awer daz
 „ man uns die vorgeschriben Mefs. oder unfer paider Jartag ab prach, und nicht be-
 „ giengen ein jar. und mochten wir daz beweisen wir oder unfer Erben mit zwain
 „ pidermannen. so sullen dez salben Jars all nutz von dem vorgeantem Hof. und von
 „ der vorgeantem Vogtay. und hofftetem dienen und vallen in unfer Gotzhaws gen
 „ Slechdorf daruber vvir Vogt und Herr sein an alle vvider red dez Prelaten ze Pol-
 „ lingen. und vvenn si dann die Mefs vvider an vahent und die Jartag begent, so
 „ mugen si sich vvider haben zu allen iren nutzen und eren alls oben verschriben
 „ stet. und daz in und uns daz allez stat und unzerbrochen beleib. Geben vvir in
 „ den Prief trevveichen versigelt mit unserer payder Insigel die daran hangent dar
 „ unter vvir uns verpinten mit unsern tvvn allez daz stat ze halten und ze laisten
 „ daz oben an dem Ptief verschriben stet. Dez sind Zivvgen Andres von Schon-
 „ gavn. Hans Puchierer. Heinrich Treitrer Heinrich vischer vll Fachs all unfer
 „ Nachpavv ze Pollingen. Und ist geschehen nach Kristes Gepurd drivvzehen hun-
 „ dert Jar und darnach in dem nivvnzigisten Jar an Sand Andres tag dez heyligen
 „ Zvvelf poten.

Brevi post hanc Dispositionem, anno scilicet statim insequente, Die XI. Martii is
 ipse Wilhelmus Senior de Seefeld obiit relinquens post se Filium unicum, pariter
 Wilhelmum Nomine, qui eodem anno MCCCXCI. in Die S. Georgii paternam Prae-
 ditorum traditionem Domino Salvatori in Pollingen factam his litteris, quas hic sub-
 jungimus, ratam habuit :

„ Ich Wilhalm von Seveld der Jung, Her Wilhalm von Sevelds Sun faelig -
 „ dez Got gedenk veriech offenleichen an den Prief fur mich und fur all mein Er-
 „ ben. und tun chund allen den den die den Prief an sehend lesend oder hornd lesen
 „ umb daz geschafft und Selgerat daz mein vater Her Wilhalm von Seveld salig hat
 „ geschafft und geornt an seinen lesten durch Heil seiner sel und aller seiner Voderen
 „ sel zu dem Gotzhavvs gen Pollingen daz ist ze dem ersten. daz hoflein ze Hubol-
 „ vingen da der Weygel aufgesezzen ist. mit alle divv und darzu und dar ein ge-
 „ hort nichtz auzgenommen, und dar zu die Vogtay auf den oeden Guten ze dem er-
 „ sten ze Pernavn ein Sak habern ze Ried datz Sand Margreten zvvnen Sek habern
 „ ze Peyfenberg auf dez vaesten hof ein Sak habern. auf der Hub da selben vier Me-
 „ tzen habern. und dar zu ze Oetingen ist geheizzen dez Gebhartz hofftat und Gilt
 „ Jarchleichen zvvae huener ein hofftat ze obern Egolvingen gilt ein hun. den vor-
 „ genantem hof ze Hubolvingen mit alle divv und dar zu und dar ein gehort mit al-
 „ len zu gehoren den Sachen und die vorgeantem Vogtay auf den vorgeantem Gu-
 „ ten, daz ist funfthalber Sak habern und die zvvvo vorgeannt hofftet daz alltz han-
 „ ich geben und vermacht nach Rat Willen und heizzen aller meiner guten Frivvnt,
 „ und

„ und befunderleich nach Rat Herrn Thomans dez Preysingers meines Frivvntz und
 „ Gaemels zu den obgenanten Gotzhavvs ze Pollingen Probst Ulreich da selben und
 „ allen feinen Nachkomen daz si nun daz allez fullen haben und niezzen allz ir ay-
 „ gen Gut allso daz ich nun furbaz noch chain mein Erb noch niemand von meinen
 „ vvegen kainerley ansprach noch chainerley vodrung evvichleichen nimmer mer
 „ fullen haben noch gevvinen nach den vorgebant Hof noch nach der vorgebant
 „ Vogtay noch nach den vorgebant hofftet in chainerley Weiz vveder mit
 „ dem Rechten Gaisfleichen noch vvaeltleichen noch an Recht. und dar umb sol der
 „ vorgebant Probst Ulreich, er und alle sein Nachkomen evvichleichen begen meins
 „ Vater Her Wilhalm salig Jartag an den tag allz er verscheiden ist mit Vigila und
 „ mit Messen. und sol man den Hern dez salcen tags dienen mit Wein und mit Kost
 „ allz von andern Erberger Levvt Jartag. Si fullen auch ein Messe haben alle vvo-
 „ chen an der Mikten oder an einen andern tag in der Kapell ze Sand Ulrich da mein
 „ Vater salig und mein Vödern inne ligend. und vver die Messe hat dem sol der
 „ Probst dez Gotzhavvs geben drey Müncher Phenning. Mer ist geret und geta-
 „ dingt umb den Grabstain den mein Vater salig hat pracht gen Pollingen und der
 „ jetzund leyt in dem Kravvtzganck den sol der vorgebant Probst Ulrich havvn und
 „ beraitten mit meins Vater salig Erb Wappen und Jar zal. und legen uber meinen
 „ Vater salig an Schaden mein und meiner Erben. Mer ist ze vvizzen umb divv
 „ drivv Mal und Zerung die in dem Gotzhavvs ist geschehen ze meinez Vater greb-
 „ nuzze ze dem Sybenten ze dreytzigisten darumb sol der vorgebant Probst Ulrich
 „ noch sein Nachkomen hintz mir noh hintz meinen Erben nichtz ze födern haben
 „ in chainer Weiz. und daz dem Gotzhavvs dise obgeschriben Sach und tädung staet
 „ und unzerbrochen beleib. dar umb gib ich in den Prief trevvleichen versigelten
 „ mit meinem aygenn anhangenden Insigel. der Sach aller sind Zivvgen und tadin-
 „ ger gevvesen. Herr Chunrad der Praemer Herrn Thomans dez Preysingers Ka-
 „ plan Jacob Kellner Heinrich Chuchenmaister Lutz Vederlein alle drey Purger ze
 „ Weilheim Heinrich Treitner. Heinrich Smid von Pollingen und andern erberger
 „ Levvt vil und genuk und ist geschehen nach Kristes gepurd drivvzehen hundert
 „ Jar und dar nach in dem Nivvntzigisten an Sand Gorgen tag.

Anno demum MCCCXIII. Wilhelmum Patrem in Via æternitatis etiam secu-
 tus est Wilhelmus Filius, hujus Stematis ultimus. Lapis sepulchralis, de quo in præ-
 cedenti Charta occurrit Memoria hanc habet Inscriptionem: *Anno Domini
 MCCCLXXXI. V. Idus Martii obiit Nobilis Wilbalmus dictus Seveld †. Anno Do-
 mini MCCCLXXXIII. in Die Remigii ☉ Wilbalmus, Filius Wilbalmi de Seveld, &
 Ultimus.* Qui plura de extincta hac generosa Familia scire cupit, legat Dissertationem
 Historicam, quam Sallerus noster ante XX. annos *Parnaffo Boico* inseruit sub hoc
 titulo: *Denckmabl des Uralt-Bayrisch-Adelich-ausgestorbuen Geschlecht der Seefeld
 von Seefeld, und Peiffenberg.* Quamquam multa adhuc ibi addi possent. Sed hæc
 transeundo dicta sunt.

Ulricus annis supra viginti duobus sedit ad Clavum, fatisque concessit VII.
 Martii Anno MCCCCIV.

XXII.

WILHELMUS a nobili Sede, Tabertzhoven dicta, quam illustres Parentes ejus
 haud procul Egolvinga sitam, incolebant, dictus & ipse Tabertzhover, genere clarus,
 e Gremio substituitur; hic post Decennium in Regimine exactum, admodum tristitia
 expertus est Fata eo ipso tempore, quo ad Concilium Constantiense adversus Wi-
 cleffi & Hussi Errores indictum itineri sese parabat; dum scilicet Feria IV. post Do-
 minicam Palmarum Anno MCCCCXIV. Ecclesia Domini Salvatoris in Pollingen,
 una cum omnibus ædificiis Monasterii, tota subito in cineres abiit, voraci igne post
 breve admodum intervallum omnia conflumente. Nec multum temporis effluxit,
 idem etiam Fatum tetigit Oppidum Weilheimense, quod & ipsum plurima sui parte
 conflagravit. Causam tantorum Malorum fuisse, Litteris infra sub Wilhelmi Succes-
 sore adducendis proditum est, quod prædictus Præpositus, utpote Vir nimium bonus,
 ac re ipsa impotens, alicui quidquam denegare, importunis Magistratus Weilheimen-
 sis precibus devictus, Forum publicum, seu Nundinas, Pollingæ Die III. Maji in ipsa
 Solemnitate Inventionis Sanctæ Crucis quotannis magno populi Concurfu hucusque
 celebrari Solitas, Anno immediate præcedente Weilhemium transferri permiserit;
 qua occasione factum est, ut honor quoque Domino Salvatori, ejusque Sanctæ Crucis

Pollingæ prædicta Die ab antiquissimis temporibus exhibitus sensim cœperit imminui. Quidquid autem sit de hac Conjectura, quam non nos fecimus, sed qui tunc temporis hujus miseræ oculati testes erant, id omnino certum est, ex quo Nundinæ Weilhemium hac die translatae sunt, non hanc unam duntaxat, sed aliam atque aliam tam Pollingensibus quam Weilhemensibus, Cœlo Vindice, supervenisse tribulationem; donec prædictæ Nundinæ ad suum iterum locum hac ipsa Die redierint, de qua re paulo post fusior redibit Sermo. Wilhelmus interea satis afflictus ac punitus a Deo novæ Ecclesiæ ædificium molitur, pro qua Anno MCCCCXVI. Die XXV. Maji primum Lapidem solemniter ponit, novamque hanc structuram intra quadriennium eo usque perficit, ut saltem potuerit consecrari. Dedicatio hæc facta est in Honorem Salvatoris Anno MCCCCXX. Die XXIII. Martii a Wilhelmo Episcopo Damascensi ex Ordine S. Francisci, Suffraganeo Augustano. Altaria serius ab eodem Wilhelmo consecrata legimus. Ad finem tandem Anni MCCCCXXIII. Wilhelmus noster, Calamitatum jam Satur, grave Prælaturæ onus sponte resignat, quo ipso Anno Branda ex Episcopo Placentino S. R. E. Cardinalis Auctoritate Martini V. Metropolitanorum, Cathedralium, aliarumque Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, & aliorum Locorum Regularium, & Religiosorum omnium per totam Alemanniam seu Germaniam constitutus Generalis in Spiritualibus & temporalibus Reformator, nostram Bavariam visitaverat. Wilhelmus noster, post novendecim & ultra annorum Regimen, sedecim adhuc annos vixit in pia tranquillitate, naturæque debitum solvit An. MCCCCXXXIX. Die XXIII. Septembris, felicior dum sibi soli, quam cum aliis præesset.

XXIII.

Abeunti a Prælatura WILHELMO surrogatus est Canonica Electione ULRICUS, seu UDALRICUS III. hujus Nominis, a Familia usque huc nobis incognita, dictus Schütz, Vir ad ardua quæque fortiter suscipienda ac feliciter finienda aptus & natus, qualem utique tunc temporis afflictus Pollingæ status summopere exigebat. Primum ejus Negotium fuisse legimus Compositionem quamdam cum Colonis nostris Maiensibus in Tyroli, ratione Curia Mays sitæ, & vulgo *der Pollinger Hoff* dictæ, quæ ipsa paulo ante sub Wilhelmi regimine supposito, ut scribunt, igne alieno, tota conflagravit. Exin nihil non tentavit, ut Nundinæ, de quibus sub Prædecessore suo mentio facta est, in pristinum restituerentur locum; existimabat etiam, se rem hanc facile & absque strepitu effecturum; cum Cives Weilhemenses ipsi, Vindicem Dei Manum experti, id ipsum æquum esse agnoscerent, ut suis Sanctæ Cruci honor prædicta Die iterum redderetur. Sed quid non facit Auri Sacra fames? cunctante in plures annos Magistratu Weilhemensi Civitas, quæ necdum integra reædificata erat, denuo horribili perit incendio ipsa Dominica ante Festum Sancti Andreae Apostoli Anno MCCCCXXXIV. Re hac tandem ab Udalrico ad Ernestum Bavariæ Ducem delata, Nundinæ prædictæ Domino Salvatore in Pollingen cum omnibus Juribus ac libertatibus restitutæ sunt. En Litteras Rei hujus testes!

„ Von Gotes Genaden Wir Ernst Pfallentzgrate bey Rein und Hertzog in Bayrn
 „ &c. Bekennen fur uns und all unser Erben offenleich in dem brieffe Nach dem und
 „ Laider ain grosse Prunfte yetzo an Suntag vor Sand Andrees tage sich in unser
 „ Stat Weilhaim ergangen hat Ist unser andachtiger und getrewer Vlrich Probst des
 „ Gotzhavvvs unsers lieben Herren ze Pollingen zu vns komen der auch gros mit-
 „ leiden mit vnsern Burgern ze Wailhaim in den Sachen hat als vvir das lautter an
 „ Im gesehen haben vnd hat vns darauf ertzelet vvie das vortzeiten ain Jarmarckt
 „ oder Kirchmesse auf dez heiligen Cravvtz tag als es gefunden ist bei seinem Gotz.
 „ havvvs gevvesen vnd grosser Gotzdinst auf den genanten tag volbracht vvorden
 „ sey den selben Jarmarckt oder Kirchmesse haben die Burger von Weilhaim sei-
 „ nem Gotzhavvvs aberpeten vnd den zu in gen Weilhaim pracht Darnach in Jars-
 „ frist sey sein obgenantes Gotzhavvvs gantz aus geprunnen vnd ander merclich pla-
 „ ge geschehen Es sey auch die Stat Weilhaim seider verprunnen Also main er vnd
 „ ettlich sein Vndertan das sollichs verhengt vverde durch Got den Allmachtigen
 „ uilleicht umb dez vvillen daz sy vnserm lieben Herren sollichen Gotzdinst VVird
 „ und Ere haben ubergeben und entziehen lassen vnd vns darauf gebeten mit den
 „ vnsern von VVeilhaim ze reden das sy in ir selbs Gevvissen auch geen vnd geden-
 „ cken das dem Gotzhavvvs sein Jarmarckt vvider hinaus geben vnd gelegt vverde.
 „ Das vvir also getan vnd an die von VVeilhaim gebracht haben die sind uber die
 „ Sach ettlich Zeit gesehen vnd haben ir Gevvissen darinn ersucht als from Got-
 „ vorchtig Lavvt vnd irn VVillen gantzlich dartzu gegeben das vvir den Jarmarckt
 „ den

„ den sy auf des heiligen Cravvtztag als es pefunden ist in der Stat gehabt haben
 „ vvider hinaus zu dem Closter Pollingen legen doch also daz VVir in den Jarmarckt
 „ den sy dann vormaln auf Sant Jorgen tag in der Stat gehebt haben und der auf
 „ dez heiligen Cravvtz tag gelegt sey vvider auf Sant Jorgen tag geben und legen
 „ VVo vvir im vvesseten vnder den vnfern die Gerechickait ze furdern auch den
 „ Gotz dinst ze meren vnd das yederman bey seinen alten rechten belibe des vva-
 „ ren vvir ye von gutem Herten vwillig ze tun Seidmaln und VVir aber follicher
 „ Sach durch den von Pollingen erinndert sein vnd das der von VVeilheim guter
 „ VVill dartzu ist So haben VVir nach Rat unfer Rat den Jarmarckt oder Kirch-
 „ messe der auf dez heiligen Cravvtz tag vorgenant yetzo ettliche Jar in vnfer Stat
 „ VVeilheim begangen ist vvider geschafft zu dem Closter Pollingen ze legen vnd
 „ da selben zu begen lassen alsdann vormaln geschehen ist treulich angeuerd Vnd
 „ das die von VVeilheim nu fürbas Irn Jarmarckt zu Sand Jorgen tag drey tag nach
 „ einander haben sollen vnd mugen alsdann das mit alter guter Gevvonhait vor-
 „ maln auch herkomen ist herauf VVir mit den von VVeilheim gemainlich Rei-
 „ chen und Armen vnd sunst mit allen andern den vnfern schaffen und gebieten ernst-
 „ lich das Ir nu fürbas den Jarmarckt oder Kirchmesse auf dez heiligen Craivtz tag
 „ als es gefunden ist bei dem Gotzhavvvs ze Pollingen begen last und evv nu für-
 „ bas des Jarmarckts in vnfer Stat VVeilheim haldet auf Sand Jorpen tag als vorge-
 „ schriben stet VVer aber davvider tät der muset umb follich entziehen des ain
 „ Verantvvorter sein gen Got dem Almächtigen vnd auch darumb vnser oder vn-
 „ ser Erben Straff vnd Vngnad gevvarthen als sich dann vmb follich sach geburet des
 „ alles zu vvarm Vrkunt so haben VVir den brief geben haiffen mit vnferm Infigel
 „ besigelten ze Munchen an freytag nach Sand Lucien tag In dem Jare als man zelet
 „ nach Cristi vnfers lieben Herren geburde viertzehen hundert vnd in dem vier vnd
 „ dreiffigsten Jare.

Dñus Dux per Seipsum.

Restitutis sic Nundinis, restitutus est quoque Domino Salvatori in Pollingen Honor suus, majorque jam Celebritas a confluyente copioso Populo haberi coepit, quam fuit ante. Ex hoc ipso Die rediit quoque Benedictio Dei, quæ a XX. annis hucusque exulaverat, brevique aliam iterum ac seniosem faciem induit ad Cineres usque humiliata jam Pollinga. Longum foret recensere, quæ jam Privilegia & Gratias a Variis Episcopis, Ducibus, Principibus & Comitibus pro nova sua Ecclesia Udalricus obtinuerit. Unam talem Gratiam ex omnibus præterire hic non possumus, quam fecerat nobis Petrus a Schaunberg Episcopus Augustanus una cum Reverendissimo suo Capitulo, incorporando, uniendo & annectendo nobis Ecclesiam parochialem in Walleshausen, cujus collatio a temporibus Conradi IV. ad nos jam pertinuit. Juvat integras litteras hic recitare :

„ Petrus Dei & Apostolice Sedis Gratia Episcopus Augustensis. Ad perpetuam
 „ rei memoriam. Pastoralis Officii debitum quo sumus singulis Ecclesiis & Monaste-
 „ riis nostre Diocesis obligati assidue nos compellit, ut circa earundem Ecclesiarum
 „ & Monasteriorum ac Personarum in eis divinis Laudibus deditarum statum salubi-
 „ ter dirigendum ac utiliter & Salubriter adaugendum paternis affectibus intenda-
 „ mus, consulendo ipsorum necessitatibus & oportunitatibus providendo. Sane nu-
 „ per pro parte honorabilis & devotorum nobis in Christo sincere dilectorum Ulrici
 „ Præpositi tociusque Conventus Monasterii Sancti Salvatoris in Bollingen Ordinis
 „ Canonicorum Regularium Sancti Augustini nostre Augustensis Diocesis nobis fuit
 „ expositum, quod cum paucis retrofluxis temporibus ipsum Monasterium per ignis
 „ voraginem quasi irreparabiliter pervenerat in collapsum & ipsius edificia una cum
 „ choro, Ecclesia, Dormitorio & Refectorio in favillam redacta fuere, Ipse Vlricus
 „ una cum Conventu ad Reparacionem collapsorum efficacem operam adhibens non
 „ sine magnis laboribus & gravibus expensarum profluviis singula edificia Chorum
 „ Ecclesiam Dormitorium & Refectorium sumptuose & utiliter restauravit & repara-
 „ vit, propter quod ipsius Monasterii facultates adeo diminute sint, ipsumque Mona-
 „ sterium tot & tantis debitorum Sarcinis onustatum, quod nisi eis efficacius succur-
 „ ratur, fratres post modica temporum intervalla non valeant se congrue sustentare,
 „ hospitalitatem tenere, Jura Episcopalia persolvere, & cetera incumbentia onera
 „ commode supportare. Unde nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsis su-
 „ per premissis paterno compatientes affectu Ecclesiam Parochialem in VValleshau-
 „ sen dicte nostre Diocesis, cujus collatio seu Jus Patronatus ad eos pertinet, & que

„ ultra congruentem Sacerdotis sustentacionem notabilem in redditibus habere po-
 „ terit excrefcenciam, ut Regularis obfervancia per eos incipienda in dies vigeat, &
 „ continuata firmior & ftabilior perfiftat, ipfeque Prepofitus & Conventus largius
 „ fufitententur, ipsis & dicto Monafterio in Bollingen adnectere, unire & incorpora-
 „ re dignemur. Nos vero attendentes, quod Viri Religiofi adeo hujus temporalis
 „ vite neceffariis debeant adjuvari, quod eternorum defideria propter temporalium
 „ carenciam non poftponant, ut, cum habuerint temporalia, fiducialius appetant fem-
 „ piterna, & propterea & ob id fpecialiter, ut dicta Sancta Regularis obfervancia in
 „ dicto Monafterio de cetero perpetuo vigeat, volentes dictum Prepofitum & Con-
 „ ventum fuper premissis profequi graciofe, cum fit nobis firma fiducia, quod quanto
 „ plus ipsi benignitatis noftre favore reficiuntur, tanto fedulius & devocius divinis
 „ obfequiis invigilabunt: Supplicacionibus eorumdem Prepofiti & Conventus duxi-
 „ mus favorabiliter adnuendum & auctoritate nofta ordinaria de & cum Confenfu
 „ & voluntate expreffa Venerabilium Virorum nobis in Christo fincere dilectorum
 „ Hainrici Truchfefs Prepofiti, Gotfridi Harscher Decani, tociusque Capituli Eccle-
 „ fie noftre Auguftensis per Campana fonitum more folito folemniter convocati, ad
 „ id plenius accedentibus ac Solempnitatibus, tractatibus ac deliberacionibus, que in
 „ talibus tam de Jure quam confuetudine fieri affolent rite premissis, & obfervatis, ad
 „ proferum Statum Monafterii fupradicti prædictam Ecclefiam Parochialem in Wal-
 „ leshaufen cum omnibus fructibus, redditibus, Decimis, Juribus & proventibus fuis
 „ prelibatis Prepofito & Conventui fupradicti Monafterii in Bollingen uniendam du-
 „ ximus & incorporandam, ac unimus, adnectimus & incorporamus prefentium per-
 „ tenorem, volentes, & dicta Auctoritate nofta ordinaria indulgentes, ut cedente
 „ vel decedente dicte Ecclefie Rectore, qui nunc est, liceat ipsis Prepofito & Con-
 „ ventui ejusdem parochialis Ecclefie in VValleshaufen Juriumque & pertinenciarum
 „ ejusdem poffeffionem Auctoritate propria absque alicujus alterius requificione libe-
 „ re apprehendere, & ejus fructus recipere, & in ufus fuos convertere, ac perpetuo
 „ retinere; Sic tamen, ut poftquam prefens nofta Unio, adnexio & incorporacio
 „ fuam ad plenum fortita fuerit effectum, quod dicti Prepofitus & Conventus, & eo-
 „ rum Succelfores Sanctam Regularem obfervanciam obfervent, & perpetuo conti-
 „ nuent inconcuiffe. Volumus etiam, ut de fructibus ejusdem Ecclefie congrua &
 „ fufficiens pro perpetuo Vicario, Presbitero tamen feulari per nos & Succelfores
 „ noftros in ipfa Ecclefia canonice instituendo, porcio per nos & Succelfores noftros,
 „ aut in Spiritualibus Vicarios, ante institutionem taxanda & assignanda refervetur,
 „ de qua idem Vicarius valeat congrue fufentari, Epifcopalia & Archidiaconaria Ju-
 „ ra perfolvere, hofpitalitatem tenere, & cetera incumbencia onera commode fuppor-
 „ tare. Volumus etiam, ut Vacacionum temporibus dicti Prepofitus & Conventus
 „ primarios fructus de dicta Ecclefia eciam de parte eos contingente nobis & Succel-
 „ foribus integre perfolvant, quibus & aliis Juribus noftis Epifcopalibus & Archi-
 „ diaconalibus nobis & Succelforibus noftis in dicta Ecclefia quomodolibet compe-
 „ tentibus nolumus per premissa aliquatenus derogare. Er ut premissa omnia & fin-
 „ gula perpetuo in fuo robore inconvulfe fubfiftant & permaneant duratura, presen-
 „ tes noftas Litteras exinde fieri, noftrique Sigilli Majoris una cum prefatorum Do-
 „ minorum Prepofiti, Decani, & Capituli Sigilli appenfione fecimus & juffimus com-
 „ muniti. Et nos Hainricus Truchfes Prepofitus, Gotfridus Harscher Decanus, to-
 „ tumque Capitulum Ecclefie Auguftensis fatemur, notum facimus, & testamur, pre-
 „ fatam incorporacionem & Unionem ac alia premissa de noftis Voluntate, benepla-
 „ cito & Confenfu processiffe, & propterea Sigillum noftum, quo ad negotia hujus-
 „ modi communiter utimur, una cum fupradicti Domini noftri Epifcopi Auguftensis
 „ Sigillo in testimonium premissorum prefentibus appendiffe. Datum & Actum
 „ Augufte Anno a Nativitate Domini Millefimo quadringentefimo quadragesimo octa-
 „ vo II. Non. Decembris.

Nicolaus Bernyr Notarius.

Udalricus exftitit exufti Monafterii Restaurator egregius, ingreffusque est viam
 univerfæ Carnis XXVIII. Octobris, Anno MCCCCL. Vir Disciplinæ Canonice tum
 in fe tum in Filiis fuis obfervantiffimus.

Præfidente Udalrico Henricus Schreiner de Kumethall & Agnes Uxor ejus exi-
 miam ad S. Crucem in Forfterriedt Foundationem fecerunt, quam hic inferere volui-
 mus; fic habet:

In dem namen gottes amen. Ich heinrich Schreiner zu Kumetal und ich agnes seinliche hausfraw Wir bekennen offenlich mit dem brieff und thun kunt allen die in sechen boren oder lesent, das wir dem almechtigen got ze lob seiner liben muter der junckfrawen marie zu even und auch dem heiligen fronkrewcz dar an er das leiden seines piters todes fur uns und fur alles menschlichs geschlecht erlitten hat Vnd darumb das das heilig Krewcz zu forsterried in freysinger bistum bey munchen gelegen do selben wirt geert und baimgesuecht und die selb kirch ze forsterried und alter ein Pfarckirch ist und alle pfarliche recht hat grebnus tauff zechent und doch piß her do selben kain gestifte mess nit gewesen ist Wann die selb pfarr zu forsterried mit der lechenschaft mit zecheten mit allem gut und mit allen pfarlichen rechten das Gotzhaus zu pollingen angehort und nit anders gotsdienst biß her do gewesen ist dan was das gotzhaus zu pollingen do ze wegen pracht hat Haben wir uns gedocht in gottlicher lieb christenlichs glaubens ain mess da bin ze stifften god ze lob dem heiligen crewcz ze even allen glaubigen Selen uns und vnsern vorfodern und nachkommen ze trost und ze hilf Vnd also hat uns der erwirdig herr ber vlrich zu den zeitten broß des vviridigen gotzhaus zu pollingen und der Convent da selben gunt und erlaubt ein ewige mess ze stifften in die selben ir pfarrkirchen zu forsterried da mit der dienst und die eer gotz gemert werd die wir also stifften und begaben wissentlich und in kraft des brieffs von vnserm eigen gut das uns got in diser Zeit verlichen hat mit den hernachgeschriben guttern gulten und stucken in die selben kirchen doch der kirchen an iren pfarlichen rechten do selben und auch dem Gotzhaus ze pollingen in allen obgeschriben eebafften und rechten vnentgolt. Mit namen so haben wir das zu geben zuven hoef zu rotbach in dem gericht zu pfaffenbosen in augspurger bistum die frey eigen sind und dient jürlich der ain hof newn Scheffel rogken drey Scheffel habern sechs metzen vwaitzen sechs metzen gersten zuven metzen banifs zechen kaes zechen honer bundert ayr zuvell schilling wußgult Item aber ain hof do selbs ze rotbach dient sechs Scheffel rogken vn kain habern zuven metzen Waitzen zuven metzen gersten bundert ayr zechen buer sechs Schilling pfenning wußgult Item zuven hof aber in pfaffenbosser gericht gelegen genant ze dem hofel dient ped truckens gelt vierdhalb pfund pfenning Vnd do selben das des rogendorfers gewesen ist zuvainzig metzen koren zuvainzig metzen habern pfaffenbouer maß sechs schilling pfenning wußgult und den kuebendienst. Item zu gantting an der wirtu gelegen in starberger gericht doselbs auß aim hof und aber auß aim hof sind eigen ze zuvavv und auß aim anger und auß aim wismat dient alles drevv pfund funftzig pfenning bundert ayr funf buer zuvo gens Aber zu gantting ain hof dient zuvell schilling pfenning vier buer Item von ain holcz und von aim Wismat beieinander bey geisenprunnen gelegen in dem selben gericht ist eigen dient ain halb pfund zu der benannten ewigen mess geben vvir obgenant man und fravv die yetz obgemelten guetter stuck und gult durch schlechts freilichen und ledigklicllen mit allen eren vviriden und rechten diensten nutzen und gulten und mit aller zuvgeborung ze dorf ze feld ze Waid ze Wismat ze vvasser besucht und vnbefucht nichz darin aufgenomen trevlichen angeuerd Vnd vertzeichen uns der obgenanten gutter fur uns und all vnser erben wissentlichen und in kraft des brieffs zu ewiger vertzicht Also das wir noch kain vnser erben dar ein noch darnach nymmermer ze sprechen fullen haben weder mit recht geistlichen noch weltlichen noch an recht trevlichen angeuerd Wan wir nit anders mainen und wellen dan das ain yeder Capellan dem die gestift ewig mess yetzo oder furpas in kunftigen zeitten verlichen wirt die selben guetter ewigklichen ynnehaben und messen sol stifften setzen und entsetzen nach radt und wissen der lechen herren der selben gestifften mess allzeit ze fudrung Wir obgenant man und fravv haben auch angefechen das die ewig mess yetzo und in kunftigen veitten wol gefudert mag werden von den fursichtigen und weyßen aym radt der stat zu munchen Vnd vmb der ewigen mess pesser fudrung und beruechung willen So setzen und ordnen wir das nun yetz und furan ewigklichen der radt der stat zu munchen die recht haben sol den wir auch vnser stift recht und juspatronatus der gestifften ewigen mess in guetter mainung diemuettigklichen ainem vollingen radt vber geben haben und geben in vber in kraft des brieffs das sy die selben mess aim wolgelecvnten erbern priester der gelert sey der die mess selb verwesen ist durch gotzwillen zu erwelen ze fodern und fur ze weyßen habent dem erwirdigen in got ainem Bischof zu freysing oder seinem anwalt der in dann zuv der mess zuv bestetten hat Doch vvan der radt den selben priester ervvelt hat So fullen sy ee das sy in dem Bischoff zuv freysing oder seinem anwalt fur vveissen schicken zuv dem ersamen herren dem broß zuv den zeitten des Gotzhavvs zuv polling und im ze vvisen thun vvie sy den selben priester zuv der selben ewigen gestifften mess zuv aym Capellan in seiner pfarrkirchen zuv forsterried ervvelt haben Ob er ichtz an im vvisse das im misualle oder darumb er ze

„ uerschlagen sey Waifs er dan nichtz vnpillichs an im so sollen im dan der radt
 „ ir furvveisung brieff geben damit er bestet vverde Vnd so er bestet ist vvolt dan
 „ ain brobst oder der Conuent zvv pollingen mit im reden oder ainig vwerden damit
 „ er die pfarr vnd das pfaruolck zvv forsterried in iren pfarrlichen rechten vnd mit
 „ der selsarg solt veruuesen vnd aufrichten das stet zvv ir paider vvillen Doch vvan
 „ sie des vber ain vwerden als offt das beschicht dar vmb sol furdrung oder petprieff
 „ von dem brobst oder von dem gotzhaus zvv polling nemen vnd aufspringen an die
 „ von freysingen Wan die pfarrkirch ze forsterried mit iren pfarrlichen rechten
 „ vnd mit der cura animarum mit zecheten mit lechenschaft vnd mit aller eehaft das
 „ der pfarr zvv gehort das alles gehort dem gotzhaus ze polling zvv Vnd ist mit der
 „ stift der evvigen mess nit gevvant als das alles in dem brieff dar von aigenlichen
 „ begriffen ist Vnd das selb entpfelchen vvir den selben vnsern lieben herren vom
 „ radt auf ir gevvisen als sy das dem strengen richter got dem allmechtigen an dem
 „ junsten tag verantvvurten vvellen Vnd der selb Capellan sol dan die gestiffen
 „ eyvigen mess veruuesen mit mess haben vnd mit seiner andacht got ze lob vnd sol
 „ kain geuarliche saumtalung dar in nit thun trevvlich vngeuerde als er das auch
 „ auf sein gevvisen vassen vnd gen got verantvvurten vvell Es sol auch allezeit
 „ ain yeder Capellan der selben mess veruuesen der pfarr zvv forsterried auch iren
 „ pfarrlichen rechten vnd dem gotzhaus ze pollingen als oben geschriben stet dem
 „ die pfarr vnd forsterried zvv gehort in allen sachen unentgolten Also das er mit
 „ dem pfaruolck vnd mit allen pfarrlichen rechten es treff curam animarum an oder
 „ sunst nichtz ze handeln ze thun noch dar ein ze sprechen sol haben vveder vve-
 „ nig noch vil trevvlich ungeuerd dann vvas im das gotzhaus ze pollingen entpfil-
 „ chet oder mit gunst vnd gutten willen volgen last Des gleichen ist auch der Cap-
 „ pellan hin wider nichtz schuldig ze thun das pfarrliche recht an trifft Es sey dan
 „ das in das gotzhaus zu pollingen darumb thu oder mit guettem willen von im ge-
 „ haben muge Doch sol der Capplan die hochzeitlichen tag vnd fest ze vesper
 „ vnd zw dem ambt wirdigklichen in seinem korrock ze kirchen vnd ze kor gen
 „ und helfen singen vnd lesen als priesterlicher wirdigkait wol an stet got ze lob vnd
 „ ze eren Das sol er thun treulichen angeuerd Vnd vmb das das vnser wil erfult
 „ werd vnd zw ainer ewigkait veruestent haben wir obgeschriben man vnd frau in
 „ lautter andacht diemuttigklichen gebeten den erwirdigen in got Vatter vnd her-
 „ ren herrn Nicodem pischoff zw freysing vnsern genedigen herren das er die selben
 „ vnser ewige mess durch sein gnad got ze lob bestet vnd confirmier Zw vrkunt
 „ vnd zw ewiger veruestigung hab ich obgenanter hainrich Schreiner mein aigen
 „ insigel an den brieff gehenckt damit ich mich verpind fur mich vnd fur all mein
 „ erben vestigklichen ze halten ze vollfuren vnd gnug ze thun vmb alles das in dem
 „ brieff geschriben stet Ich obgenante Agnes hainrichs Schreiners eliche hausfrau
 „ hab auch gebetten den vesten vnd weisen Conraden vom egloffstain zw den zeit-
 „ ten richter der stat zw munchen das er sein insigel von meiner fleissigen pedt we-
 „ gen der ewigen mess zu ainer furdrung an den prieff gehenckt hat Doch im vnd
 „ allen seinen erben an schaden Dar vnder ich mich wissentlich verpinde mit trewen
 „ vmb alles das der brieff von mir innehelt trewlichen stet ze halten vnd ze vollfu-
 „ rung Zewgen der pintnufs vnd pet vmb das selb insigel sind die erbern vnd
 „ weisen hans Geiger hans graffel ped purger zu munchen vnd ander erberg
 „ lewt genug &c.

„ Wir Vlrich von gttlicher vehengnus Brobst Heinrich dechant vnd gemain-
 „ cklichen das Capitel des wirdigen gotzhaus ze pollingen in augsburger pistum ge-
 „ legen Bekennen auch wissentlichen vnd in kraft des brieffs das solich gestift vnd
 „ ewig mess so der benant hainrich Schreiner vnd sein hausfrau in vnser Gotzhaus
 „ pfarrkirchen zw forsterried begabt vnd gestift haben zw ewigkait Haben wir an-
 „ gesechen das lob vnd die eer Christi vnser hailers des almechtigen gotz vnd ha-
 „ ben vnsern gunst vnd willen dar zw geben vnd ist mit vnserm willen beschechen
 „ in maß als in dem brieff aigentlichen geschriben stet vnd ist auch vnser pedt vnd
 „ will die selben ewigen mess zw besteten Zw vrkunt haben wir obgenant brobst
 „ vnd Capitel des Gotzhaus zw pollingen vnser insigel auch an den brieff gehenckt
 „ der geben ist am montag vor sant Gallentag. do man zalt tausent vierhundert vnd
 „ darnach in dem dtey vnd dreysigsten jare, Regnante imperatore Sigismundo im-
 „ peratore romanorum in generali Sacrosancta Sinodo Concilii Basiliensis pro refor-
 „ macione utriusque status Ecclesie Catholice pro quo deus pie propicietur &c.

XXIV.

JOANNES ex nobili Mairhoferorum sanguine, qui tum Weilhemii tum Murnavii Summa tunc temporis Præfectura potiebantur, procreatus a Decanatu, cui cum multa Discretionis & Prudentiæ laude per complures annos præfuit, p̄ovectæ jam oppido ætatis sublimatur ad Præsulatum; Vir secundum Cor Dei, in quo Nicolaus de Cusa, & ipse quondam Canonicus Regularis, nunc autem S. R. E. Cardinalis, dum anno MCCCCLII. jussu Summi Pontificis Monasteria Bavarica visitaret, nullam omnino maculam reperit. Cum paulo ante Parochia Walleshusana ab Episcopo Augustano, ejusque Capitulo Cathedrali Domino Salvatori in Pollingen fuisset unita ac incorporata, vigilavit optimus Pastor, ut eadem Unio ac Incorporatio Auctoritate etiam Pontificia repeteretur ac confirmaretur, quod & de Mandato Nicolai V. Summi Pontificis per Joannem Goffoldum, tunc temporis Decanum Ecclesiæ S. Mauritii Augustæ, executioni datum legimus, ut ex sequenti Instrumento publico patet.

„ Johannes Goffold In Decretis Licenciatus, Decanus Ecclesiæ Sancti Mauricii Augustensis, Executor & Commissarius unicus a Sede Apostolica ad Infra scripta specialiter deputatus, Universis & singulis præsentibus nostras Litteras visuris, auditoris & lectoris, omnibusque aliis, quos nosse fuerit oportunitum, & quos infra scriptum & præsentem tangit negocium seu tangere poterit quomodolibet in futurum, Salutem in Domino, & subscriptorum noticiam indubitatam, Litteras Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Nicolai divina Providentia Pape quinti ejus vera Bulla plumbea in cordula canapi more Romane Curie impendenti bullatas, & salvas, sanas & integras, non viciatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omnino prorsus vicio & suspitione carentes nobis coram Notario publico & testibus infra scriptis per honorabilem Virum Dominum Andream Marstaller Decanum & Canonicum Monasterii in Bollingen Ordinis Canonorum Regularium Sancti Augustini Augustensis Diocesis præsentatas nos cum ea, qua decuit Reverentia noverint recepisse, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis: NICOLAUS Episcopus Servus servorum Dei, Dilecto Filio Decano Ecclesiæ Sancti Mauricii Augustensis Salutem & apostolicam benedictionem. Ad ea ex injuncto nobis desuper apostolice servitutis officio libenter intendimus, ut Monasteria & alia Regularia loca quelibet jacturis & incommodis subacta, vel in suis edificiis & structuris ruinosa pro complectendis sui status prosperioribus successibus in eorum necessitatibus ac reparacionibus oportune subvencionis auxilio releventur, ut exinde persone inibi divini Cultus dedite famulatu ferventiori devocionis studio jugiter vacare valeant incremento; exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Johannis Præpositi & Conventus Monasterii Sancti Salvatoris in Bollingen Ordinis Sancti Augustini Augustensis Diocesis per Prepositum soliti gubernari peticio continebat, quod olim per quendam Ulricum dicti Monasterii tunc Prepositum & predictum Conventum dilecto filio nostro Petro Sancti Vitalis Presbitero Cardinali, qui etiam ex Concessione & dispensatione Sedis Apostolice Ecclesiæ Augustensi præesse dinoscitur, exposito quod paucis per antea effluxis temporibus Monasterium ipsum quasi irrecuperabiliter devenerat in collapsum, ipsiusque edificia una cum Choro, Ecclesia, Dormitorio & Refectorio in favillam redacta fuerant, quodque Ulricus Prepositus & Conventus præfati ad reparacionem collapsorum efficacem operam adhibentes non absque magnis laboribus & gravibus expensis Chorum & alia singula edificia predicta sumptuose & utiliter restauraverant & reparaverant, & propterea facultates ipsius Monasterii adeo diminute & exhauste, ipsumque Monasterium tot & tantis debitorum oneribus gravatum extiterant, quod, nisi eis efficaciter succurreretur, ipsius Monasterii Canonici non possent congrue sustentari, Hospitalitatem servare, solita Jura Episcopalia solvere, & cetera eis incumbencia onera congrue supportare, quodque, si parochialis Ecclesia in Walleshausen dicte Diocesis cum omnibus Juribus & pertinentiis suis dicto Monasterio perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, Prepositus pro tempore existens dicti Monasterii & ejusdem Conventus eo commodius sustentari, ac Regularem observanciam juxta ipsius Ordinis Regularia Instituta commodius complecti & continuare, oneraque eis incumbencia supportare possent, Idem Cardinalis provida consideratione premissorum motus, accedente ad id consensu & voluntate expressis dilectorum filiorum Prepositi, Decani & Capituli dicte Ecclesiæ Augustensis, præfatam Ecclesiam parochialem cum omnibus Juribus & pertinentiis supradictis præfato Monasterio Auctoritate ordinaria perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, ita, quod cedente vel decedente ejusdem parochialis Ecclesiæ Rectore liceret dicti Monasterii Præ-

„ posito pro tempore existenti & Conventui corporalem possessionem parochialis Ec-
 „ clesiae, Juriumque & pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere appre-
 „ hendere, illiusque fructus, Redditus, & proventus in suos & dicti Monasterii usus
 „ convertere, ipsique sub Regulari observantia vivere tenerentur, reservata tamen
 „ congrua portione pro perpetuo Vicario Presbitero seculari per Episcopum Augu-
 „ stensem pro tempore existentem & Successores suos, sive eorum Vicarios in Spiri-
 „ tualibus in ipsa Vicaria pro tempore constituendo, prout in quibusdam Cardinalis
 „ ac Prepositi, Decani & Capituli predictorum Literis authenticis eorum Sigillis mu-
 „ nitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Johannis Prepositi & Conventus
 „ predictorum asserencium, quod presentacio persone ydonee ad dictam parochialem
 „ Ecclesiam, cum vacat, ad Prepositum prefati Monasterii de antiqua & approbata,
 „ & hactenus pacifice observata consuetudine, nec non ejusdem persone in dicte Ec-
 „ clesie Rectorem institutio ad Episcopum Augustensem pro tempore existentem per-
 „ tineant, quodque dicte parochialis Ecclesie fructus, Redditus & Proventus decem
 „ Marcharum argenti secundum communem estimationem valorem annum non ex-
 „ cedant, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus unioni, annexioni, & incorpo-
 „ rationi hujusmodi, ac aliis omnibus & singulis in dictis Literis contentis Robur A-
 „ postolice Confirmationis adjicere, nec non parochialem Ecclesiam hujusmodi cum
 „ omnibus Juribus & pertinentiis supradictis prefato Monasterio de novo perpetuo
 „ incorporare annectere & unire de Benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur,
 „ qui de premissis rectam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus incli-
 „ nati discretioni tue per apostolica Scripta mandamus, quatenus vocatis Episcopo, Pre-
 „ posito, Decano & Capitulo Ecclesie Augustensis Prefatis, & aliis, qui fuerint vocandi,
 „ auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ea repe-
 „ reris veritate fulciri, super quo tuam conscientiam oneramus, unionem, annexio-
 „ nem & incorporationem prefatas, & quoad illas omnia & singula in prefatis Lite-
 „ ris contenta, & quecunque inde secuta eadem auctoritate nostra approbes & con-
 „ firmes, supplendo omnes & singulos defectus, si qui intervenerint in eisdem, & ni-
 „ hilominus parochialem Ecclesiam predictam cum omnibus Juribus & pertinentiis
 „ supradictis eidem Monasterio, cujus fructus, Redditus & Proventus, illiusque ve-
 „ rum valorem annum presentibus pro expressis habentes, auctoritate nostra prefa-
 „ ta perpetuo incorpores, unias, & annectes, ita quod cedente vel decedente moder-
 „ no ipsius parochialis Ecclesie Rectore, aut illam alias quomodolibet dimittente Li-
 „ ceat prefato Johanni, seu pro tempore existenti Preposito ac Conventui prefatis
 „ per se vel aliam seu alios corporalem parochialis Ecclesie Juriumque & pertinen-
 „ tiarum predictorum possessionem auctoritate propria libere apprehendere, illius-
 „ que fructus, Redditus & proventus in suos & dicti Monasterii usus convertere,
 „ Diocesani loci & cujuscunque alterius super hoc licentia minime requisita, refer-
 „ vata tamen per te super eisdem fructibus redditibus & proventibus pro perpetuo
 „ Vicario inibi per Episcopum Augustensem pro tempore existentem instituendo, qui
 „ ipsius parochialis Ecclesie animarum curam gerat, & illi debita obsequia impendat,
 „ congrua, de qua ipse commode sustentari, Episcopalia Jura solvere, ac alia ei pro
 „ tempore incumbencia onera supportare valeat, portione; Non obstantibus Con-
 „ stitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac Monasterii & Ordinis predictorum
 „ juramento confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis &
 „ Consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Aut si aliqui super provi-
 „ sionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus
 „ speciales vel generales Apostolice Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetrarint,
 „ etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & Decretum vel alias quomodoli-
 „ bet sit processum, quas quidem Litteras & processus habitos per easdem & que-
 „ cunque inde secuta, quo ad dictam parochialem Ecclesiam volumus non extendi,
 „ sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum prejudicium ge-
 „ nerari, & quibuslibet Privilegiis indultis & Litteris Apostolicis generalibus vel spe-
 „ cialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel
 „ totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, &
 „ de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specia-
 „ lis. Volumus autem, quod prefatus Johannes, & pro tempore existens Prepositus
 „ ac Conventus dicti Monasterii sub Regulari observantia, ut prefertur, vivere tene-
 „ antur. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quo-
 „ quam quavis Auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum
 „ Rome apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadrin-
 „ gentesimo, quinquagesimo secundo. Sexto decimo Kl. Decembris Pontificatus
 „ nostri Anno Sexto. *Post quarum* quidem Litterarum Apostolicarum presentatio-
 „ nem

nem & requisicionem nobis & per nos, ut premittitur, factas fuimus per prefatum
 Dominum Andream Decanum, nomine Venerabilis Patris Domini Johannis Pre-
 positi & totius Conventus dicti Monasterii in Bollingen debita cum Instancia humi-
 liter requisiti, ut ad executionem earundem Litterarum Apostolicarum & conten-
 torum in eisdem procedere dignaremur juxta traditam seu directam a dicta Sede
 Apostolica nobis formam; Nos vero Johannes Decanus & Executor prefatus atten-
 dentes requisicionem hujusmodi fore justam & consonam rationi, volentesque
 mandatum Apostolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tene-
 mur, earundem Litterarum formam diligenter perspeximus, & Reverendissimum in
 Christo Patrem & Dominum Dominum Petrum misericordie divinae tunc Sancti Vita-
 lis Sancte Romane Ecclesie Presbiterum Cardinalem & Apostolice Sedis permissio-
 ne Episcopum Augustensem, nec non Venerabiles Viros Dominos Prepositum, De-
 canum & Capitulum Ecclesie Augustensis, omnesque alios & singulos sua quomo-
 dolibet interesse putantes in diem date presentium rite vocavimus, & super nar-
 ratis in dictis Litteris Apostolicis informationem recepimus sufficientem, per quam
 utique & in certis authenticis Litteris Sigillis dictorum Dominorum Cardinalis &
 Episcopi ac Capituli Sigillatis coram nobis exhibitis clare invenimus, Ecclesiam Pa-
 rochiam in Walleshausen Augustensis Diocesis ad collacionem dictorum Domi-
 norum Prepositi & Conventus spectantem & pertinentem per dictum Reverendis-
 simum Dominum Dominum Petrum Cardinalem de expresso consensu prefatorum
 Dominorum Prepositi, Decani & Capituli dicte Ecclesie Augustensis ex causis in di-
 ctis Litteris Apostolicis etiam expressatis eisdem Dominis Preposito & Conventui
 dicti Monasterii in Bollingen cum omnibus Juribus & pertinentiis suis univit, an-
 nexuit, & incorporavit, ac alias invenimus omnia & singula in dictis Litteris Apo-
 stolicis narrata veritati subnixam; Idcirco Auctoritate Apostolica nobis in hac parte
 specialiter commissa prefatas Unionem annexionem & Incorporationem sepedicte
 Ecclesie parochialis in Walleshausen per supradictum Dominum Cardinalem &
 Episcopum dictis Dominis Preposito & Conventui in Bollingen, sicut premittitur,
 factas, ratas & gratas habentes, eas ac quecunque inde secuta auctoritate eadem
 duximus approbanda & confirmanda ac approbamus & confirmamus presentium
 per tenorem, supplendo omnes & singulos defectus, si qui forsitan intervenerint
 quovis modo; & nihilominus parochiam sepedictam cum omnibus Ju-
 ribus & pertinentiis suis universis eisdem Preposito & Conventui ac Monasterio in
 Bollingen Auctoritate prefata perpetuo incorporavimus, univimus & adnexuimus
 ac incorporamus, unimus & annectimus per presentes. Itaque cedente vel dece-
 dente moderno ipsius Ecclesie in Walleshausen Rectore aut illam alias quomodo-
 libet dimittente, liceat eisdem Dominis Preposito & Conventui Monasterii in Bol-
 lingen per se vel alium seu alios corporalem dicte parochialis Ecclesie Juriumque
 & pertinentiarum predictorum possessionem Auctoritate propria libere apprehen-
 dere, illiusque fructus, Redditus & proventus in suos & dicti Monasterii usus con-
 vertere, Diocesani loci & cujuscunque alterius super hac licentia minime requisita,
 reservata tamen super eisdem fructibus, Redditibus & Proventibus pro perpetuo
 Vicario inibi per Episcopum Augustensem pro tempore existentem instituendo, qui
 ipsius parochialis Ecclesie animarum curam gerat, & illi debita obsequia impendat,
 congrua, de qua ipse commode sustentari, Episcopalia Jura solvere ac alia ei incum-
 bentia onera supportare valeat, porcione. Juribus tamen Episcopalibus & Archi-
 dyaconalibus in dicta Ecclesia tam Episcopo quam Archidyacono Augustensi quo-
 modolibet competentibus salvis remanentibus & illatis, & non obstantibus omni-
 bus & singulis que prefatus Dominus noster Apostolicus in prefatis suis Litteris vo-
 luit non obstare. Que omnia & singula vobis omnibus & singulis supradictis &
 vestrum cuilibet intimamus, insinuamus ac notificamus, ac ad vestram & cujusli-
 bet vestrum noticiam deducimus & deduci volumus per Presentes. In quorum om-
 nium & singulorum fidem, Robur ac testimonium premissorum presentes Literas
 exinde fieri, & per Notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari manda-
 vimus, nostrique Sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & A-
 ctum Auguste in Curiali habitacione Venerabilis & circumspetti Viri Domini Leo-
 nardi Gessel In Decretis Licenciati, Canonici & Archidyaconi dicte Ecclesie Augu-
 stensis, dicti Reverendissimi Domini Cardinalis & Episcopi in Spiritualibus Vicarii
 & Officialis Generalis, Anno a Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo,
 quinquagesimo tercio, Indictione prima, Pontificatus dicti Domini nostri Pape an-
 no sexto, Die vero Lune decima nona mensis Februarii, Hora Vesperorum vel
 quasi. Presentibus ibidem honorabilibus & discretis Viris Domino Johanne Ke-
 singer Vicario Chori dicte Majoris Ecclesie Augustensis, Domino Andrea Gossold

„ Canonico Ecclesiæ Sancti Petri Augustensis, Magistro Ulrico Rulin de Nam Canonicus Ecclesiæ Ciriaci in Wifensstaig Constancienſis Diocesis, Curie Augustensis Scriba Jurato Magistro Jacobo Wirſung Rectore Ecclesiæ parochialis in Walſtetten Augustensis Diocesis, & Magistro Hainrico Burckſchnaider dicte Curie Augustensis caufarum Procuratore Jurato, Notariis publicis teſtibus ad premissa vocatis pariter & rogatis.

„ Ego Nicolaus Bernyr de Torgaw Clericus Miſnenſis
 „ Diocesis, publicus Sacra Imperiali Auctoritate Notarius, & Curie Augustensis Scriba Juratus, quia
 „ predictarum Litterarum apostolicarum presentacioni, recepcioni, requisicioni, vocacioni, informacioni, approbacioni & confirmacioni, unioni, annexioni & incorporacioni, omnibusque aliis & singulis premissis, dum sic ut premittitur per dictum Dominum Decanum & Executorem & coram eo agerentur & fierent, una cum prenotatis teſtibus presens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi, Ideoque hoc presens publicum Instrumentum manu alterius me aliis tunc prepedito negociis fideliter scriptum de mandato ejusdem Domini Decani & Executoris exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publici Instrumenti formam redegei, Signoque & nomine meis solitis & consuetis una cum appensione Signilli prelibati Domini Decani & Executoris Signavi & munivi rogatus & requisitus in fidem & teſtimonium premissorum.

Eodem tempore ad augendum divinum Honorem Instituta est a Joanne nostro in eadem Ecclesia Walleshusana, Capellania seu Cooperatura perpetua, ab Episcopo Augustano Petro a Schauenberg jam S. R. E. Cardinale, anno statim inſequenti, auctoritate ordinaria confirmata, collaborantibus & promoventibus præsertim rem hanc piam Viris nobiles Georgio Halder tunc temporis adhuc Rectore prædictæ Ecclesiæ Walleshusanæ, & Casparo Wabrer de Wabren ejusdem Ecclesiæ Parochiano.

Plura utique a Zeloso hoc Præsule expectare licuisset, nisi Mors inhumana vitæ filium jam maturo ad Cælum tam cito abripuisset. Obiit Joannes XIV. Martii Anno MCCCCLIV. quadriennio in Prælatura haud exacto.

Sub hujus Regimine eligunt sibi sepulturam apud Dominum Salvatorem in Poling, in Capella S. Catharinæ V. & M. Nobilis Oswaldus de Tuxenhausen in Peiſſenberg & Margaretha Uxor ejus, nata Wildeggerin, Joannis de Wildegg in Teulingen Filia.

XXV.

JOANNEM jam defunctum, alius Nomine JOANNES, legitima vocatione, in Prælatura inſecutus est, ex præclara Venndiorum Familia, quæ Serenissimis Bavaricæ Ducibus a temporibus Ludovici Bavari Imperatoris jam dudum a Servitiis Venatoriis erat, oriundus. Integris XXXVII. annis, quibus Præsul hic egregius suis præerat, multa utique tulit, fecitque, quæ paucis hic dici nequeunt.

Ex compluribus Privilegiis, quæ non solum a Summis Pontificibus Pio II. Paulo II. Sixto IV. aliisque S. R. E. Cardinalibus, sed etiam ab Episcopis Augustanis Petro de Schauenberg, Joanne de Werdenberg, Friderico de Zollern, aliisque per intervalla obtinuit, unum duntaxat hic referam, a Paulo Abbate Wessofontano paulo post Executioni datum. Instrumentum desuper erectum sic habet:

„ Reverendo in Christo Patri & Domino Domino . . Dei & Apostolicæ Sedis
 „ Gratia Episcopo Augustensi, aut ejus in Spiritualibus Vicario & Officiali Generali,
 „ Omnibusque aliis & singulis, quorum interest vel intererit, quosque aut quem infra scriptum & presens tangit negocium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, in genere vel in specie, communiter vel divisim quibuscunque nominibus

„ censeantur, cujuscunque status, gradus, Ordinis vel conditionis existant, aut qua-
 „ cunque præfulgeant dignitate, PAULUS permissione divina Abbas Monasterii San-
 „ cti Petri in Wessisprun Ordinis Sancti Benedicti, Augustensis Diocesis, Executor
 „ unicus ad Infra scripta a Sede Apostolica specialiter deputatus, Salutem in Domi-
 „ no, & mandatis nostris ymo verius Apostolicis firmiter obedire, ac presentibus fi-
 „ dem indubiam adhibere, Literas Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Do-
 „ mini Pauli divina Providentia Pape secundi ejus vera Bulla plumbea in cordula ca-
 „ napis more Romane Curie impendente, bullatas, sanas, & integras, non viciatas,
 „ non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio & su-
 „ spicione carentes, nobis pro parte Venerabilis Patris Domini Johannis Prepositi &
 „ Conventus Monasterii Sancti Salvatoris in Bollingen, Ordinis Sancti Augustini Ca-
 „ nonicorum Regularium, Augustensis Diocesis presentatas cum ea qua decuit nove-
 „ ritque Reverencia recepisse, Quarum tenor de verbo ad verbum sequitur & est ta-
 „ lis: PAULUS Episcopus servus servorum Dei, Dilecto Filio . . . Abbati Monaste-
 „ rii in Wessisprun, Augustensis Diocesis Salutem & Apostolicam Benedictionem.
 „ Romanum decet Pontificem, votis illis gratum prestare assensum, per que Ecclesiis
 „ & Monasteriis quibuslibet ac illis presidentibus & aliis in eis famulantibus personis
 „ congrue valeat in suis necessitatibus subveniri. Sane pro parte dilectorum filiorum
 „ Prepositi & Conventus Monasterii Sancti Salvatoris in Bollingen per Prepositum
 „ soliti gubernari, Ordinis Sancti Augustini, Augustensis Diocesis nobis nuper peti-
 „ cio exhibita continebat, quod licet ipsi in Eberfingen, Ottingen, Apffeldorff, San-
 „ cti Yppoliti extra muros Opidi Weilham & Walleshausen, dicte Diocesis paro-
 „ chiales Ecclesias olim predicto Monasterio ex certis tunc expressis suadencibus cau-
 „ sis canonice unitas, annexas, & incorporatas a tanto tempore citra de cujus initio
 „ seu contrario memoria hominum non existit, Unionem hujusmodi obtentu pacifi-
 „ ce tenuerint & possederint, ac teneant & possideant de presenti, & quandoque per
 „ Canonicos dicti Monasterii, interdum vero per seculares Presbiteros, Ecclesias ipsas
 „ regi fecerint; nihilominus ut uniones, annexiones & incorporaciones predictæ ma-
 „ joris roboris firmitatem obtineant, cupiant eas per Sedem Apostolicam confirmari
 „ & approbari, ipsasque Ecclesias prefato Monasterio pro potioris cautele suffragio
 „ de novo perpetuo uniri, annecti & incorporari. Quare pro parte Prepositi & Con-
 „ ventus predictorum asserentium, quod cujuslibet in Eborfingen, Ottingen, Apfel-
 „ dorff & Walleshausen quinquaginta, nec non Sancti Ypoliti Ecclesiarum predi-
 „ ctarum quadraginta florenorum Auri Renensis fructus Redditus & Proventus se-
 „ cundum communem extimacionem valorem annum non excedunt, nobis fuit hu-
 „ militer supplicatum, ut Unionibus, Annexionibus & incorporacionibus prefatis pro
 „ earum subsistencia firmiori Robur Apostolice Confirmacionis adjicere, ipsasque Ec-
 „ clesias eidem Monasterio perpetuo unire, annectere & incorporare, aliasque in pre-
 „ missis oportune providere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui
 „ dudum inter cetera voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri tene-
 „ rentur exprimere verum valorem secundum extimacionem predictam tam Benefi-
 „ cii uniendi, quam illius, cui uniri peteretur, alioquin Unio non valeret, & idem ob-
 „ servaretur in Confirmacionibus Unionum factarum, de premissis certam noticiam
 „ non habentes ac prefati Monasterii fructuum, Reddituum & proventuum verum
 „ annum valorem, nec non Litterarum Unionum predictorum tenores presentibus
 „ pro expressis habentes discretioni tue per Apostolica Scripta mandamus, quatenus,
 „ vocatis quorum interest, de premissis omnibus & singulis ac eorum circumstanciis
 „ universis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informacionem hujus-
 „ modi ita esse tibi constiterit, uniones, annexiones, & incorporaciones predictas &
 „ quecunque inde secuta Auctoritate Apostolica approbes & confirmes, suppleasque
 „ omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; & nihilominus
 „ pro potiori cautela Ecclesias predictas cum earum annexis ac omnibus Juribus &
 „ pertinenciis suis eidem Monasterio prefata Auctoritate perpetuo incorpores, unias
 „ & annectas, ita quod liceat ex tunc eisdem & pro tempore existentibus Preposito
 „ & Conventui Ecclesiarum & aliorum annexorum Juriumque & pertinenciarum
 „ predictorum corporalem possessionem per se vel alium seu alios Auctoritate propria
 „ libere apprehendere & perpetuo retinere, nec non Ecclesiarum & aliorum annexo-
 „ rum hujusmodi fructus, redditus & proventus in suos ac Monasterii & Ecclesiarum
 „ predictorum usus utilitatemque convertere, ipsasque Ecclesias per Canonicos ejus-
 „ dem Monasterii vel Presbiteros seculares per Prepositum pro tempore existentem
 „ simul cum eisdem Conventu deputandos, & ad nutum ipsorum amovibiles regi &
 „ gubernari facere, Diocesani loci & cujuslibet alterius licencia super hoc minime re-
 „ quisita; Non obstantibus Constitucionibus & Ordinacionibus Apostolicis ac volun-

33 tate nostra predicta contrariis quibuscunque; Aut si aliqui super provisionibus fra-
 33 bi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales
 33 vel Generales dicte Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, eiam si per eas
 33 ad inhibitionem reservationem & Decretum vel alias quomodolibet sit processum,
 33 quasquidem Litteras ac processus habitos per easdem & quecunque inde secuta ad
 33 Ecclesias predictas volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad affectio-
 33 nem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis,
 33 Indulgentiis ac Litteris Apostolicis Generalibus vel specialibus quorumcunque te-
 33 norum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus
 33 earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis te-
 33 noribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis. Volumus autem quod
 33 propter Unionem Annexionem & Incorporationem hujusmodi, si ille vigore pre-
 33 fentium fiant & effectum fortiantur, Ecclesie predictæ debitis non fraudentur obse-
 33 quiis, & animarum cure in eis nullatenus negligatur, sed earum congrue supporten-
 33 tur onera consueta, quodque modernus & pro tempore existens Præpositus ac Con-
 33 ventus hujusmodi Bona immobilia & preciosa mobilia Ecclesiarum earumdem nul-
 33 latenus alienare presumant; alioquin penas in quadam nostra super hoc edita Con-
 33 stitucione contentas eo ipso incurrant. Et insuper ex nunc irritum decernimus &
 33 inane, si secus super his a quoquam quavis Auctoritate scienter vel ignoranter con-
 33 tingerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Do-
 33 minice Millesimo quadringentesimo septuagesimo, decimo Kalend. Aprilis, Ponti-
 33 ficatus nostri anno septimo. *Post quarum* quidem Litterarum Apostolicarum pre-
 33 sentacionem ac receptionem nobis & per nos sic ut premittitur factas fuimus pro
 33 parte dictorum Domini Præpositi & Conventus in Bollingen debita cum instantia
 33 requisiti, quatenus ad Execucionem earundem Litterarum Apostolicarum & con-
 33 tentorum in eisdem procedere dignaremur juxta traditam seu directam a Sede Ap-
 33 postolica nobis formam. Nos igitur Paulus Abbas & Executor prefatus attenden-
 33 tes requisicionem hujusmodi fore justam & consonam rationi, volentesque man-
 33 datum Apostolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur, di-
 33 ctarum Litterarum Apostolicarum forma diligenter præspecta & attenta ad earum-
 33 dem Litterarum Apostolicarum Execucionem duximus procedendum, & processimus,
 33 ac citationes legitimas contra & adversus omnes & singulos sua communiter
 33 vel divisim interesse putantes ad certum competentem terminum decrevimus.
 33 Quo quidem citationis termino adveniente, & Nobis Paulo Abbate & Executore
 33 supradicto in Monasterio nostro pro tribunali sedentibus comparuit coram nobis
 33 prelibatus Dominus Johannes Præpositus in Bollingen, suo & totius Conventus ejus-
 33 dem sui Monasterii nomine, qui citationes hujusmodi legitime executas reprodu-
 33 xit, ac Citatorum non comparencium contumaciam accusavit, eosque contumaces
 33 reputari & ipsorum contumaciam ad execucionem predictarum Litterarum Apo-
 33 stolicarum per nos procedi debita cum instantia postulavit; Et nihilominus pro
 33 narratorum in Litteris Apostolicis contentorum verificatione non nullas Litteras
 33 Incorporacionum, Jura & Instrumenta facta & in Scriptis nec non certos testes co-
 33 ram nobis personaliter comparentes exhibuit & produxit, petens eosdem testes
 33 per nos admitti, Juratos recipi, & super verificatione dictarum Litterarum Apo-
 33 stolicarum diligenter examinari. Nos itaque Paulus Abbas & Executor antedictus
 33 Citatos hujusmodi non comparentes merito prout erant justitia mediante contu-
 33 maces reputavimus, & in ipsorum contumaciam testes, sic ut premittitur, produ-
 33 ctos admisimus, & in forma Juris juratos recepimus, eisque admissis & Juratis re-
 33 ceptis per Notarium publicum infra scriptum super narratis hujusmodi examinari
 33 fecimus diligenter. Unde Testibus hujusmodi examinatis ac Litteris, Instrumen-
 33 tis & Juribus pro verificatione hujusmodi, sic ut prefertur, productis & exhibitis,
 33 prelibatus Venerabilis Pater Dominus Præpositus in Bollingen suo & Conventus sui
 33 Nomine Nos, quatenus ad ulteriorem dictarum Litterarum Apostolicarum & Con-
 33 tentorum in eisdem execucionem procedere, nec non Uniones Annexiones & In-
 33 corporationes Ecclesiarum Parochialium in Eberfingen, Ottingen, Appfeldorff, San-
 33 cti Yppoliti extra muros Opidi Wailhain, & Walleshausen, Augustensis Diocesis,
 33 prefato Monasterio in Bollingen factas, & quecunque inde secuta approbare & con-
 33 firmare, ac easdem Ecclesias ipsi Monasterio de novo unire, annectere & incorpo-
 33 rare, aliaque juxta dictarum Litterarum Apostolicarum continenciam & tenorem
 33 facere dignaremur, debita cum instantia requisivit, atque postulavit. Nos itaque
 33 Paulus & Executor sepedictus, visis per nos primitus & diligenter inspectis omni-
 33 bus & singulis Actis Actitatis, Litteris, Juribus & munimentis, ac testium deposi-
 33 tionibus pro verificatione narratorum in Litteris Apostolicis contentorum coram
 33 nobis

„ nobis habitis & productis, ex quibus sufficienter informati fuimus, & invenimus
 „ omnia & singula in Litteris Apostolicis exposita & narrata fore & esse veritati sub-
 „ nixa; Idcirco Auctoritate Apostolica nobis in hac parte concessa Uniones, Anne-
 „ xiones & Incorporaciones Ecclesiarum parochialium in Eberfingen, Ottingen, Ap-
 „ pfeldorff, Sancti Yppoliti extra muros Opidi Wailhain, & Walle-shausen predicto
 „ Monasterio in Bollingen factas approbamus & confirmamus, supplentes omnes &
 „ singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; & nihilominus pro pocior-
 „ ris cautele suffragio Ecclesias predictas cum earum filiabus Ecclesiis annexis, ac cum
 „ omnibus Juribus & pertinentiis suis eidem Monasterio Auctoritate predicta perpetuo
 „ incorporamus, unimus & annectimus; ita quod liceat ex nunc Preposito &
 „ Conventui pro tempore existentibus Ecclesiarum & aliorum annexorum Jurium-
 „ que & pertinentiarum predictorum corporalem possessionem per se vel alium seu
 „ alios auctoritate propria libere apprehendere & perpetuo retinere, nec non Eccle-
 „ siarum & aliorum annexorum hujusmodi fructus, Redditus, & Proventus in suos ac
 „ Monasterii & Ecclesiarum predictorum Usus utilitatemque convertere, ipsasque Ec-
 „ clesias per Canonicos dicti Monasterii vel Presbiteros seculares per Præpositum pro
 „ tempore existentem simul cum eisdem Conventu deputandos, & ad nutum ipsorum
 „ amovibiles regi & gubernari possint & valeant, Diocesani loci & cujuslibet alterius
 „ licencia super hoc minime requisita; Non obstantibus omnibus & singulis, que pre-
 „ fatus Dominus noster Papa in suis preinsertis Litteris Apostolicis voluit non obsta-
 „ re. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem & incorporacionem no-
 „ stras sic ut premittitur per nos factas Ecclesie predictæ debitis non fraudentur obse-
 „ quiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed earum congrua suppor-
 „ tentur onera consueta; quodque dictus & pro tempore existens Præpositus & Con-
 „ ventus Bona immobilia & preciosa mobilia Ecclesiarum sepe dictarum nullatenus
 „ alienare presument. Quocirca prefatas Litteras Apostolicas & hunc nostrum Pro-
 „ cessum, ac omnia & singula in eis contenta Vobis Reverendo in Christo Patri Do-
 „ mino . . . Episcopo Augustensi, omnibusque & singulis supradictis, quibus presens
 „ noster Processus dirigitur, atque aliis, quorum interest vel intererit aut interesse po-
 „ terit quomodolibet in futurum communiter vel divisim intimamus insinuamus & no-
 „ tificamus, ac ad vestram & cujuslibet vestrum noticiam deducimus & deduci volu-
 „ mus per presentes, Mandantes & districtius in virtute Sancte Obediencie dicta Au-
 „ ctoritate Apostolica inhibentes, ne quisquam vestrum per vos, alium seu alios di-
 „ recte vel indirecte, palam vel occulte contra has nostras Incorporacionis, Unionis
 „ & Annexionis Litteras, ymo verius Apostolicas, omniaque & singula in eis conten-
 „ ta contra mentem prefati Sanctissimi Domini nostri Pape studeatis sive studeant at-
 „ temptare; decernentes ex nunc, quemadmodum eciam per eundem Dominum no-
 „ strum Paulum Papam Secundum decretum est, irritum & inane, si secus super his
 „ a quoquam, quavis Auctoritate, scienter vel ignoranter attemptatum forsan est,
 „ vel contigerit impostero attemptari. In quorum omnium & singulorum fidem
 „ & Testimonium premissorum presentes nostras Litteras exinde fieri, & per Nota-
 „ rium publicum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, nostrique Sigilli
 „ iussimus & fecimus appensione communiti. Datum & Actum in prefato Mona-
 „ sterio nostro Weßsprun, sub Anno a Nativitate Domini Millesimo quadringente-
 „ simo septuagesimo primo, Indictione quarta, Pontificatus Domini nostri Pauli Pa-
 „ pe supradicti Anno Septimo, Die vero Martis, tertia decima mensis Augusti, hora
 „ Meridiei vel quasi. Presentibus ibidem honorabilibus Viris Dominis Georgio Geb-
 „ hart in Weilhain & Benedicto Weiglin in Birgen dicte Augustensis Dioecesis, Eccle-
 „ siarum parochialium Plebanis Testibus ad premissa vocatis pariter & rogatis.

„ Ego Jacobus Wirsung Clericus Augustensis Dioecesis, Publicus Sacra Impe-
 „ riali Auctoritate Notarius, Quia predictorum Litterarum Apostolicarum
 „ presentationi receptioni narrationi verificationi Processus Decreto & Re-
 „ quisitioni, omnibusque aliis & singulis premissis, dum sic ut premittitur
 „ per Reverendum Patrem Dominum Paulum Abbatem & Executorem su-
 „ pradictum, & coram eo, fierent & agerentur una cum prenomatis te-
 „ stibus presens interfui, Eaque sic fieri vidi & audivi; Ideoque hoc pre-
 „ sens publicum Instrumentum hujusmodi Processum in se continens ma-
 „ nu alterius fideliter conscriptum de mandato prefati Domini Executoris
 „ exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi,
 „ Signoque & nomine meis solitis & consuetis una cum predicti Domini
 „ Executoris Sigilli appensione signavi & munivi Rogatus & requisitus in
 „ fidem & testimonium omnium & Singulorum premissorum.

Memorable est, has ipsas Litteras Apostolicas a Ducibus Bavariæ postea confirmatas esse. Unam duntaxat talem Confirmationis Litteram hic adducam.

„ Von Gottes Genaden Wir Albrecht, Phallenntzgrave bey Reine, Hertzoge
 „ in Obern und Nidern Beyrn &c. Bekennen als ainiger Regirunder Fürst für unns
 „ unnsr Lieb Brueder und unnsr Erben, und tun kundt offentlich mit dem Brieve,
 „ Nach dem wir von dem Ersamen, in Got Andechtigen unnsrem lieben getrewen
 „ Johannsen, Brobst unnsers Gotzhausß zue Pollingen geleublich bericht seyen wie
 „ er, sein Conventt und Gotzhausß, und Ir Nachkomen, von unnsrem Heyligen Vat-
 „ ter Babst Paulo, dem andern des Namens, aus seiner milten Heilickait begabt, be-
 „ gnadet und gefreyet seyen. Das sy und Ir Nachkomen, die nachbenannten Ir und
 „ Irs Gotzhausß Pfarrkirchen Namlichen zue Ebrofingen, Oettingen, Appfildorf,
 „ Sannd Ypolitzen und Waleshausen. Die Ine und Irm Gotzhausß zue geaignet und
 „ incorporirt seyen, durch Ir Capitl Brueder, oder Laybriester Järlich besetzn und
 „ entsetzen sullen und mugen nach Irm Willen, Nutz, und gevallen, nach lautt und
 „ Innhaltung der Bäßtlichen Bullen und Brieve von dem obgenannten unnsrem Hey-
 „ ligen Vatter dem Babst darumb ausgegangen und gegeben, Das Ine auch also durch
 „ den Erwürdigen In Got Vatter unnsrem besundern guten Frundt Herrn Johannsen
 „ Bischove zue Augspurg, und sein Capitl durch Ir sunnder Brieve dermassen ver-
 „ gonnet und bestättet sey. Auf solich Bäßtlich Gab, Freyhaitbrieve und Gerech-
 „ tigkeit dem obgemelten Brobst, Conventt und Gotzhausß zue Pollingen gegeben
 „ und bestättet, Seyen Wir von dem selben Brobst diemuticlich ersucht, angeruef-
 „ fen und gebeten Im, seinem Conventt und Irm Gotzhausß und Nachkomen die-
 „ selben Ir Bullen Gnad und freyhait zuebestätten, Sy auch dabey genediclich zu
 „ hanndhaben zu schirmen und beleiben zu lassen. Solich Ir diemuetig und vleys-
 „ sig Bete haben Wir gnediclich angesehen, und dem obgenannten Brobst, Con-
 „ vent, und Gotzhausß zu sunndern Gnaden, damit Wir Ine genaigt seyen, solich
 „ vorgemelt Ir Bäßtlich Gnade, Freyhait und Gerechigkeit bestättet und confirmirt,
 „ bestätten und confirmirn Ine die wissenlich in Crafft diss Briefs, Also das Sy und
 „ Ir Nachkomen nu hinfür ewiclich mit dem obgenannten Irm und Irs Hotzhausß in-
 „ corporirten Kirchen, nach ains yeglichen Pfarrers, so yetzund oder hinfür darauf
 „ sitzn oder Innhaben, todesfällen, oder ubergab, oder in welcher Weyße die ledig
 „ wurden, hanndeln und tun sullen und mugen, wie sy dann auf lautt und in crafft
 „ Irer dickgemelten Bullen, Brief, Frayhait und Gerechigkeit billich tun sullen und
 „ mugen; und füro ewiclich kainem Laybriester oder yemandt andern gestatten,
 „ noch gestattet söll werden kainerley ubergab der selben Irer incorporirten Kir-
 „ chen, dann dem von Polling als Lehennherrn, damit zu hanndln nach lautt solicher
 „ vorgenannten seiner Bullen, Brief und Gerechigkeit, wie vorgemelt ist. Dabey
 „ auch wir als Lanntsfürst Ine, seinen Conventt und Gotzhausß und Ir Nachkomen
 „ genediclich hanndhaben, schützen und schirmen wellen, getrewlich und ungever-
 „ lich. Des alles zue warm Urkund und ewiger Bestättung geben Wir den selben
 „ Brobst, Convent und Gotzhausß zu Polling und Irm Nachkomen disen Brief mit un-
 „ serm anhangendem Insigl versigt. Beschehen zue Munchen an Sannt Pauls tag
 „ seiner Bekerung, des Jars als man zelet von Christi unnsers lieben Herrn Gepurde
 „ Viertzehenhundert, und darnach in dem Sibenn und Sibennzigisten Jare.

Quod ipsum postea Dux Christophorus Litteris Weilhemii datis repetiit. Ta-
 ceo alias Gratias, quas a Summis Principibus Joannes noster pro Bono Canonix suæ
 impetravit. Illam hic præterire non possum, qua Fridericus III. Imperator Liberta-
 tem & Jus Monasterio impertit, ut Præpositus deinceps Cera rubra, Capitulum vero
 viridi in Sigillandis Litteris uti possit. Hæc Concessio ita habet :

„ Wir Fridrich von Gottes Gnaden Romischer Keyser, zu allen zeitn Merer
 „ des Reichs, zu Hungern, Dalmacien, Croacien &c. Kunig, Herczog zu Oesterreich,
 „ zu Steyr, zu Kernnden und zu Crain, Herr auf der Windischen march und zu
 „ Portenaw, Grafe zu Habspurg, zu Tyrol, zu Phyrnt und zu Kyburg, Marggrave zu
 „ Burgaw, und Lanntgrave in Elsass. Bekennen und tun kundt offentlich mit disem
 „ Briefe allen den, die In sehen, lesen oder hörn lesen, Das wir gutlich angesehen
 „ haben das Erber wesen damit das Gotzhausß zu Sandt Salvator zu Pollingen, Sandt
 „ Augustins Orden Regulirer in Augspurger Bisthumb gelegen, löblich herkomen ist,
 „ auch den embssigen Gotzdienst, der in dem gemelten Gotshausß fleissigklich ge-
 „ halten und teglich volbracht wirdet. Und darumb mit wolbedachtem Mute, gu-
 „ tem Rate und rechter wissen den Ersamen Geistlichen unnsrem lieben Andechtigen
 Jo-

„ Johansen Brobst und ganczen Convent des selben Gotzhauss und allen Iren Nach-
 „ komen diß besonder Gnade und Freyheit getan und gegeben, und Ine vergonnet
 „ und erlaubt haben, also das der gemelt Brobst Johans und all sein Nachkomen
 „ Bröbste da selbs nu hinfur alle und yeglich Ir offen und beslossen Brief, die von In
 „ und under Irem Insigel und Petschat aussgeen, mit Rotem, dessgeleichen das ge-
 „ melt Convent mit Grünem Wachs versigeln und verpetschatten, und sich des ge-
 „ brauchen sollen und mogen von aller menichlich ungehindert, Tun und geben In
 „ solich vorgemelt Gnade und Freyheit, vergonnen und erlauben In auch also die von
 „ Römischer Keyserlicher Macht, Volkomenheit und rechter wissen in Craft diss
 „ Briefs. Und gebieten darumb allen und yeglichen unfern und des heiligen Reichs
 „ Untertanen und Getrewen, in was Wirden, States oder wemens die sein, ernst-
 „ lich und vestlich mit disem Brief, Daz sy die genanten Brobst und Convent und
 „ Ir Nachkomen an den vorgeschriben unfern Gnaden und Freyheitn, Vergunstung
 „ und Erlaubung, damit Wir sy also begnadt haben, nicht hindern noch irren, Sonn-
 „ der sy dabey gerulich bleiben, der gebrauchen und genieffen lassen, Und dawider
 „ nit tun, noch yemands ze tunde gestatten in khein weise, Als lieb einem yeden
 „ sey Unser und des Reichs swere Ungnade, und darczu ein pene Nemlich Zwainzig
 „ Marckh lörtigs Goldes zu vermeiden, die ein yeder der frevenlich hiewider tette,
 „ halb in unfer und des Reichs Camer, und den andern halben teil den vorgemelten
 „ Brobst und Convent und Iren Nachkomen unablässlich zu bezalen verfallen sein
 „ solle. Mit Urkund diss Briefs besigelt mit unseren Keyserlichen Majestat anhan-
 „ gendem Insigel. Geben zu Augspurg am Sambtag nach Sanndt Jacobs tag im
 „ Snit, Nach Christi Geburde Vierzehenhundert und im Vier und sibenzigisten,
 „ Unser Reiche des Romischen im funff und dreissigisten, des Keyserthumbs im drei
 „ und czwainzigisten, und des Hungrischen im Sechzehenden Jaren.

Idem Antistes noster ad Instantiam Ducis Alberti, pientissimi Fundatoris Celeberrimi Asceterii Benedictini in Monte Andecensi, Ecclesiam Sancti Martini in Erlingen ibidem sitam permutat pro Ecclesia S. Udalrici in Peckingen, & paulo post Ecclesiam S. Michaelis in Seefshaupt ad Lacum vermium, quæ prius filia erat Ecclesiæ in Oettingen, pro Ecclesia S. Michaelis in Marnbach. Utraque hæc Permutatio ab Ordinario dein rata habetur; ut ex sequentibus IV. Documentis patet.

Prior Permutatio sic habet:

Wir Johans von Gotes Verbengknus Abbt und der gantz Convent des wurdigen Gotsbauss Andess auf dem heiligen Berg, Sant Benedicten Orden in Augspurger Pstumb, Bekennen und thun kunt allermäniglich, das wir ainhelliclich und wolbedechtlich zu der Zeit, da wir sölichs wolgethun mochten, geben und verwechselt haben in wechfels weis an alles Gevär, treulich und mit kainem Vortail, unfer und unsers vorgeantent Gotsbauss aigen Kirchen und Kirchsatz Sant Ulrichs zu Pecking gelegen Lebenschaft, Widem, Zebetten, und war ungevarlich dar zu gebört, besuchts und unbesuchts, mit allen Even, Nutzen und Gülden, mit sambt der zwayr Pfunt Müncher-Pfenning, die man jürlich dar von geben sol und bat, und auch mit sambt der Incorporacion, berberurung von dem Capitel der thumkirchen unfer lieben frawen des Pstumbs zu Augspurg, in aller mass, wie wir dann egemelten Kirchen innen gehabt haben, oder betten mugen haben, dem Erwirdigen und geistlichen Herren Johanssen Probst des wurdigen Gotsbauss zu Pollingen, seinem Convent und all ir Nachkumen dy egenanten Kirchen zu Peckingen zu seinen Zeiten leiben sullen, und mugen dy balten und damit thun und gefaren als mit anderen iren und irs Gotsbauss aigen Kirchen hinfuran ewiglich. Darfür und darumb uns und unserem Gotsbauss zu Andess und allen unseren Nachkumen ewiglich der obgenant Probst und Convent zu Pollingen geben und verwechselt hat in wechfels vweis hinfuran ewiglich an alles gevär, treulich und mit kainem Fürgeding, ir und ired Gotsbauss aigen Kirchen, Kirchsatz, Lebenschaft, Widem, Hoffstet und Zebetten Sant Martens zu Erlingen mit allen Even, Nutzen und Rechten, vwie sy dann dy selbigen inngehabt haben, oder hetten mügen haben, besuchts und unbesuchts in unfer und unfer Nachkumen Gewalt hinfuran ewiglich. Dälinger und Spruchleut des obgeschriben Wechfels sind gewesen der vweis und vest Hanns Hesenlober dy Zeit Lant- und Statrichtter zu Weylbaim, Thowam Katzmayr, Jacob Ayrimsmalz und Leonhard Lederer alle drei mitburger zu Weilbaim, in Gegenwurtigkeit Hevr Jörgen Wenigl offen Notarii dy Zeit Pfarver zu Traubing; Dabey sind gewesen Matheis Ayrimsmalz dy Zeit Purgermeister zu Weylbaim, Matheis Schrötter und ander Leut genug. Des zu Urkund geben vvir dem obgenantent Probst und seinem Con-

vent disen Brief versigilt mit unsern baiden anhangenden Insigeln. Geschehen und geben an dem nachsten Pfintstag vor Pfingsten, Do man zalt nach Christi Gepurd Tausent vierhundert und in dem newn und seczzigsten Jare.

Sequitur Confirmatio.

Johannes Dei & Apostolice Sedis Gratia Episcopus Augustensis, Universis & singulis presentium inspectoribus Salutem perpetue duraturam. Desideria justa petentium congruo favore libenter prosequimur, & votis, dummodo a rationis tramite non discordant, acquiescimus favorose. Pro parte itaque Venerabilis & Devotorum nobis in Christo dilectorum Johannis Prepositi & Conventus Monasterii Sancti Salvatoris in Bollingen Ordinis Sancti Augustini Canonice Regularium nostre Diocesis nobis fuit expositum, quod ipsi Ecclesiam parochialem Sancti Martini in Erlingen cum Jure Patronatus, dote, decimis & pertinentiis suis omnibus, pro Ecclesia parochiali Sancti Udalrici in Peckingen & Jure patronatus, dote, decima & pertinentiis ipsius Ecclesie in Peckingen, cum venerabili & devotis nobis in Christo sincere dilectis Johanne Abbate & Conventu Monasterii Montis Andechs Ordinis Sancti Benedicti dicte nostre Diocesis, ex causis justis & rationabilibus coram nobis propositis & allegatis permutarunt; Unde fuit nobis pro parte ipsorum humiliter supplicatum, ut permutationi hujusmodi, & pro illius subsistentia firmiori Robur nostre Confirmativnis adjicere, & dictam Ecclesiam parochialem in Peckingen cum Jure Patronatus, dote, decimis, & pertinentiis suis, prout ipsis per dictos Abbatem & Conventum donata existit, dictis Preposito & Monasterio appropriare, ac permutationem hujusmodi Auctoritate nostra Ordinaria approbare, ratificare & confirmare dignaremur. Nos igitur, qui petentium vota in hiis presertim que conferunt, ut Monasteriis & Personis in illis Deo deditis major succedat commoditas, congruo favore libenter assequimur, attendentes etiam, quod nonnunquam personis permutantibus in rebus permutatis salutaria proveniunt incrementa, supplicationibus hujusmodi favorabiliter inclinati Auctoritate nostra Ordinaria permutationem hujusmodi sic, ut premittitur, factam ratificamus, approbamus & confirmamus, Nec non Ecclesiam parochialem in Peckingen cum dote, Decima, & pertinentiis suis dicto Monasterio in Bollingen ad habendum, tenendum & possidendum perpetue appropriamus. Itaque liceat eidem Monasterio Ecclesie predicte, sic ut presertur, sibi appropriate, possessionem libere apprehendere, ejusque fructus recipere, & in usus suos convertere, ac perpetuo retinere; Quibus omnibus Auctoritatem nostram & Decretum interponimus presentium per tenorem, Supplendo omnes defectus, si qui forsitan in permutatione predicta quomodolibet intervenierunt; Juribus tamen nostris Episcopalibus & Archidiaconalibus in premissis nobis & Successoribus nostris Salvis semper remanentibus. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium premissorum presentes Litteras exinde fieri, nostrique Sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & Actum Auguste, Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo Sexto Kal. Decembris.

Posterior autem Permutatio sic sonat :

Reverendo in Christo Patri & Domino Domino Johanni Dei & Apostolice Sedis Gratia Episcopo Augustensi, aut ejus in Spiritualibus Vicario Generali, Hainvicus Erngriess permissione divina Prepositus, totusque Conventus Monasterii Sancti Martini in Bernried, Ordinis Sancti Augustini Canonice Regularium Vestre Dyocesis, Quidquid poterimus obediencie & honoris. Cum itaque Ecclesia Parochialis in Marenbach prope Teytenbawsen dicte Dyocesis, que nobis & Monasterio nostro unita & incorporata existit, & cujus curam animarum per fratrem Canonicum & Conventualem ex nostro Monasterio ultra omnem memoriam hominum gessimus & exercuimus, a nostro Monasterio tanta distantia locali distet, quod Incole ejusdem Ecclesie nostrum Monasterium commode visitare nequeunt, quodque subditi ipsius sepius a divinis retrahuntur, & diverse negligencie circa infirmos & decumbentes in Sacramentorum administratione committuntur, Nos ex hiis & aliis pluribus racionalibus causis animos nostros moventibus dictam Ecclesiam in Marenbach cum Venerabili Patre Domino Johanne Vennd Preposito & Conventu in Bollingen Ordinis & Dyocesis predictorum pro Ecclesia filiali in Seeshapten, que nobis & Monasterio nostro propinqua valde existit, duximus permutandum, & canonice permutavimus, Jus Patronatus & omne aliud Jus nobis & Monasterio nostro in dicta Ecclesia in Marenbach quomodolibet competens in prenominationum Monasterium in Bollingen transferentes, Sperantes, quod ex hujusmodi permutatione tam prelibato Monasterio in Bollingen quam nobis salutaria provenire valeant incrementa, Rogantes propterea humiliter & devote Vestram Reverendissimam Paternitatem, quatenus hujusmodi nostram permutationem & translationem Auctoritate Vestra Ordinaria ratifi-

*ificare, approbare, & confirmare, ac omnem defectum, si quis in hiis intervenerit, sup-
 plere dignetur; In quo nobis & Monasterio nostro Vestra Reverendissima Paternitas
 gratiam prestabit singularem. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium
 premissorum presentes Litteras exinde fieri, nostrisque Sigillis Pvepositure & Conven-
 tus jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & factum in nostro Monasterio
 Bernried, Quarta feria Pascatis, Anno Domini millesimo quadringentesimo Septuagesi-
 mo nono.*

Sequitur Confirmatio :

„ Johannes Gossolt In Decretis Licenciatus, Canonicus & Archidiaconus Ec-
 „ clesie Augustensis, Reverendique in Christo Patris & Domini Domini Johannis Dei
 „ & Apostolice Sedis Gracia Episcopi Augustensis in Spiritualibus Vicarius Genera-
 „ lis, Universis & singulis presencium Inspectoribus Salutem in Domino sempiternam.
 „ Excitat mentis nostre archanum specialis affectio, qua Venerabilem Patrem & Re-
 „ ligiosos Fratres Dominum Johannem Prepositum & Conventum Monasterii Sancti
 „ Salvatoris in Bollingen, Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium, Au-
 „ gustensis Diocesis, sincera ipsorum devocione causante, paterno prosequi studio non
 „ cessamus. Ipsorum votis consensum benivolum impertimur, maxime in his, que
 „ ipsis oportuna conspiciamus, & per que eis fructus commodi accrescit, ac ea, que
 „ propterea ordinata & facta cognoscimus, ut semper illibata persistant, nostre con-
 „ firmacionis munimine roboramus. Sane nuper pro parte predictorum Prepositi &
 „ Conventus in Bollingen nobis fuit expositum, quod ipsi Ecclesiam filialem in Seef-
 „ haupten sub limitibus Ecclesie ipsorum parochialis in Oettingen dicte Diocesis si-
 „ tam, & ab eadem Ecclesia parochiali in Oettingen tanta distancia locali distantem,
 „ quod Incole ejusdem Ecclesie filialis commode Ecclesiam parochialem predictam in
 „ Oettingen visitare non valuerunt, quodque Subditi ejusdem sepius a divinis retra-
 „ cti, & diverse negligencie circa infirmos & decumbentes in Sacramentorum admi-
 „ nistracione fuerunt commisse, cum Venerabili & devotis nobis in Christo dilectis
 „ Domino Heinricho Preposito & Conventu Monasterii Sancti Martini in Bernried,
 „ Ordinis & Diocesis predictorum, ex premissis & aliis rationabilibus causis pro Ec-
 „ clesia parochiali in Marenbach prope apud Monasterium in Bollingen situata, &
 „ dicto Monasterio in Bernried ante hujusmodi permutacionem unita & incorporata
 „ de consensu dilecti nobis in Christo Petri Jäger Plebani in Oettingen permutarunt,
 „ prout in authenticis Litteris vidimus contineri. Unde fuit nobis pro parte prefato-
 „ rum Domini Prepositi & Conventus in Bollingen humiliter supplicatum, quatenus
 „ permutacionem hujusmodi Auctoritate nostra Ordinaria approbare & confirmare,
 „ ac Preposito & Conventui & Monasterio in Bollingen dictam Ecclesiam in Maren-
 „ bach unire, ipsisque, ut Ecclesiam eandem per Canonicum & Fratrem ex eorum
 „ Conventu regere & gubernare, ac Curam animarum regere & exercere possint,
 „ quemadmodum pretaetis Preposito Conventui & Monasterio in Bernried unita fuit,
 „ eamque rexerunt & gubernarunt, ac Curam animarum in eadem gesserunt & exer-
 „ cuerunt, Licenciam & facultatem dare & indulgere, nec non omne Jus prelibato
 „ Monasterio in Bernried ante hujusmodi permutacionem in ea competens, in Pre-
 „ positum Conventum & Monasterium in Bollingen plenarie dicta Auctoritate nostra
 „ Ordinaria transferre dignemur. Nos itaque Vicarius supradictus, qui petencium
 „ vota in his presertim, que conferunt, ut Monasteriis & personis in illis Deo deditis
 „ major succedat commoditas, attendentes etiam, quod nonnunquam personis per-
 „ mutantibus in rebus permutatis salutaria proveniunt incrementa, Supplicacionibus
 „ hujusmodi favorabiliter inclinati, Auctoritate nostra Ordinaria Permutacionem hu-
 „ jusmodi sic, ut permittitur, factam approbamus & confirmamus, nec non Ecclesiam
 „ parochialem in Marenbach cum omnibus & singulis Decimis, Juribus, Redditibus
 „ & Proventibus pretaetis Monasterio in Bollingen ad habendum, regendum, tenen-
 „ dum, possidendum & gubernandum perpetuo unimus & appropriamus, Volentes
 „ & concedentes eadem Auctoritate nostra Ordinaria, ut Prepositus, Conventus &
 „ Monasterium in Bollingen deinceps & in perpetuum dictam Ecclesiam in Maren-
 „ bach per Canonicum & Fratrem ipsorum Conventualem discretum & ydoneum de
 „ Monasterio & Conventu ipsorum regere & gubernare, ejusque Curam animarum
 „ gerere & exercere possint & valeant, eo modo & quemadmodum prelibati Preposi-
 „ tus, Conventus & Monasterium in Bernried ante hujusmodi permutacionem gesse-
 „ runt & exercuerunt, Statutis Synodalibus non obstantibus quibuscunque, Omne
 „ Jus prenominate Preposito & Conventui in Bernried in dicta Ecclesia Marenbach
 „ quomodolibet competens in Prepositum & Monasterium in Bollingen transferendo,

„ Supplentes eciã eadem Auctoritate omnem defectum, si quis forsitan intervenerit
 „ in premissis. Juribus tamen Episcopalibus & Archidiaconalibus in dicta Ecclesia
 „ Marenbach semper falvis. In quorum omnium & singulorum fidem & testimoni-
 „ um premissorum presentes Litteras exinde fieri, Sigillique dicti Domini nostri Au-
 „ gustensis, quo in nostro utimur Officio, jussimus & fecimus appensione communiri.
 „ Datum & Actum Auguste Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo
 „ nono, III. Kln. Maji.

Quemadmodum autem Joannes noster impigre curavit Spiritualia, Cultumque divinum in incorporatis Ecclesiis summopere auxit, ita etiam non neglexit temporalia, multaque nova Prædia coemit. Inter alia ædificia plurima, quæ fecit, novam haud Procul Pollinga extruxit Piscinam, Kaltenmoos dictam, cui in adjacente Colle Sacellum Sancto Wolfgango sacrum, cum jam dudum pedibus acriter laboraret, voti causa adjecit. De hoc Sacello, dum nuper ab Alberto Præposito Anno MDCCXXXIV. renovaretur, vetus Inscriptio in Muro hæc adhuc testabatur, quam, ne pereat, huc adscribimus.

Anno Milleno quadringent. octuagesimo tertio
 Summo Pontifice Sixto quarto regnante
 Anno duodeno cum Imperatore Friderico
 Quatuor illustribus hujus terræ Principibus,
 Sigismundus primus, Adalbertus ætate secundus
 Deinde Christophorus junior dictus, Wolfgangus,
 Hi veri Germani Adalberti Ducisque nati
 Subque Dei Famulo Johanne Vendt Præposito
 In Polling Cœnobio Anno regente tricesimo
 Ægrotante membris curari peten - - -
 Vovente Basilicam Sancto Wolfgango construendam
 Martisque Die Festum Geori præcurrente
 Hæc est incepta, annoque sequenti completa.
 Illicque inventa humana sunt ossa
 Posita in tumulo de Lapidibus fabricato
 Hujus ignoratur - - Deo ergo dimittatur
 Qui noscit cunctos viventes atque defunctos
 Cui Laus & Gloria sit in sæculorum sæcula
 Et post hanc, vitam tribuat nobis sempiternam
 Amen.

In fenestris hujus Sacelli adhuc depicta exstat hujus Prælati Imago cum Capucio de Veho, & Scuto suo Gentilitio, Caput Urfinum in campo albo cum lingua rubea exerta repræsentante.

Tandem optimus Præsul in bona senectute obdormivit in Domino Anno MCCCCLXXXI. Die XIX. Octobris.

Sub hujus Prælati Regimine in Canonia Pollingana floruerunt, variisque, quæ adhuc exstant, Scriptis inclaruere Petrus Puhierer Rector Ecclesiæ in Pollingen, Andreas Marstaller per complures annos Decanus Religiosæ Disciplinæ tenacissimus, Joannes Hirn postea Præpositus in Schlechdorf, qui hanc Canoniam utiliter gubernavit, Oswaldus Messing de Ecclesia Cathedrali Salisburgensi tunc temporis adhuc Regulari, ubi XXXIII. annos docendo & instruendo tanquam Hospes moratus est, optime meritus, Georgius Christofferi primus Vicarius Regularis in Ebrovingen seu Eberfingen, Crispinianus Kager, aliique.

XXVI.

MICHAEL Spett Patria, quantum conjicimus, Schongaviensis successit JOANNI, Vir admodum pius ac bonus, & ut ajunt verus Israelita, in quo non erat dolus. Hic primum ex suis Vicarium, Mathiam Spuel nomine, Virum valde doctum, ac insignem Verbi divini Præconem, ceu Scripta ejus relicta & in unum Codicem prægrandem redacta adhuc testantur, ad Parochiam Walleshusanam vigore Apostolici Privilegii præsentat, quem etiam Henricus de Liechtenaw p. t. Vicarius Generalis Augustanus Anno MCCCCXCII. admittit. Ecclesiæ quoque parochiali in Oettingen Anno MCCCCXCVII.

MCCCCXCVII. per obitum Rectoris secularis ultimi vacanti præfici curat vi ejusdem Privilegii Apostolici, collaborante præsertim Duce Bavarix Alberto, Martinum Holz knecht itidem Canonicum Pollinganium, pietate & doctrina præstantem.

Ab Episcopo Brixinensi Melchiore de Mechau S. R. E. Cardinale An. MCCCCXCIV. impetrat novum Incorporationis Ecclesiæ parochialis in Leutatsch Diploma, data insuper Facultate, ut prædicta Ecclesia deinceps, uti antiquitus, per Canonicum Regularem regi possit. Ex eo etiam tempore jam dicta Parochia ultra ducentos annos a Canonicis Regularibus continua serie regebatur. Libet ipsum Diploma noviter impetratum hic adducere, hoc ita habet:

„ Melchior Dei Gracia Episcopus Brixinensis, Universis & singulis Christi fide-
 „ libus presentibus & futuris, Salutem in Domino sempiternam. Ad perpetuam Rei
 „ memoriam. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam rigor equita-
 „ tis, quam ordo exigit rationis, ut id pro sui stabilimento & permanencia confirma-
 „ tionis nostre adminiculo robaremus. Sane nuper Venerabilis nobis in Christo
 „ sincere devotus dilectus Dominus Michael Prepositus Monasterii in Pollingen, Or-
 „ dinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium, Augustensis Diocesis, suæ & ejus
 „ Conventus nomine, una cum Fratre Augustino in nostra presencia proposuit, quod
 „ alias ex larga donacione quondam fe. Re. Dominorum Brunonis & Heinrici Episco-
 „ porum Brixinensium Predecessorum nostrorum Preposito & Conventui Pollingen-
 „ sis Cenobii Omnes Decime Novalium circa fluvium Lewtasch excrefcencium in
 „ predio quondam Nobilis Viri Bernhaldi de Weilheim simul cum tertia parte No-
 „ valium Decimarum, quam colunt ibidem fratres Wiltinenses, graciosè concessè
 „ existant, sicuti in Privilegiis eorundem Dominorum Episcoporum, prout in Auten-
 „ tics Copiis, quas coram nobis exhibuit, laciùs continetur; Quodque ad Capellam
 „ seu Ecclesiam parochialem Sancte Marie Magdalene in Lewtaschen nostre Diocesis
 „ instituere possint ydoneum Sacerdotem. Sed quia condicio temporis & qualitas
 „ hominum mutacionem & resistenciam antiquorum Privilegiorum sepe numero indu-
 „ cant, testante experientia; Unde fit, quod utilitas que eis jure cedere deberet, tra-
 „ ctu temporis penitus aboletur, quemadmodum non nulli dictas Decimas & alia Jura
 „ solvere negligunt, in animarum suarum periculum & dispendium, ac ipsius Prepo-
 „ siti & sui Conventus prejudicium, damnum pariter & jacturam; idcirco ut sibi &
 „ eidem Conventui Juris & Gracie remediis oportunis in premissis providere digna-
 „ remur, humiliter petiit & postulavit. Nos igitur petitionem suam, utpote Juri &
 „ rationi consonam attendentes. Rationi denique congruit & convenit honestati, ut
 „ ea, que per Predecessores nostros rationabiliter gesta ordinataque sunt, Successores
 „ exequi, laudare, approbare & manuteneri studeant. Preterea hujusmodi Donacio-
 „ nes & Confirmaciones tam Decimarum Novalium quam aliarum una cum tertia
 „ parte ex Colonis fructuum Wiltinensium proveniencium, ut prefertur, in subsidi-
 „ um Victus fratrum Deo in dicto Monasterio Pollingensi famulencium, per Anteces-
 „ sores nostros Dominos Episcopos concessas & donatas innovamus, & quantum de
 „ Jure debemus atque possumus, approbamus, ratificamus, laudamus, & de novo con-
 „ firmamus. Insuper eciam ipsis donamus & concedimus ac approbamus, quod idem
 „ Prepositus seu ejus Conventus possint & valeant perpetuis temporibus Sacerdotem
 „ ydoneum secularem vel Regularem, eciam ad eorum beneplacitum & nutum amo-
 „ vibilem sive temporalem, ad eandem Ecclesiam in Lewtaschen pro Curato institue-
 „ re; ita tamen, quod idem Curatus a nobis & Successoribus nostris, singulis annis,
 „ curam animarum recipere, ac Cathedricum seu alia Jura Episcopalia solvere te-
 „ neatur. Et propter hujusmodi nostram novam Donacionem & approbacionem
 „ quilibet futurus Prepositus in Pollingen in sua Institucione qualitercunque facta, &
 „ Monasterium suum teneantur nobis & Successoribus nostris Episcopis Brixinensibus
 „ pro tempore existentibus loco Reverencie plebis ejusdem quinque florenos Renen-
 „ ses persolvere. Statuentes desuper Auctoritate nostra Pontificali & Ordinaria om-
 „ nibus & singulis Dominis Abbatibus, Prepositis, Ceterisque parochialium Ecclesia-
 „ rum Rectoribus, & aliis subditis nostris universis inhibendo, ne prefato Domino
 „ Preposito & Conventui, eorumque Successoribus predicti Monasterii Pollingensis
 „ ammodo in ipsorum Privilegiis & hujusmodi nostra Approbacione, Concessione,
 „ Donacione & Confirmacione aliquid ingerant, aut impedire seu molestare presu-
 „ mant, sed potius affectu benevolo prosequantur. Volumus itaque atque decerni-
 „ mus Auctoritate nostra Ordinaria & Pontificali, ut premissa perpetuam habeant
 „ firmitatem & robur, & inconcusse observentur. In quorum omnium & singulorum
 „ fidem & evidens testimonium presentes nostras Litteras Sigillique nostri Episcopa-

„ lis Majoris iussimus & fecimus appensione communiri. Et nos Johannes Grewd-
 „ ner utriusque Juris Doctor Prepositus, Wolfgangus de Vorbach Decanus, To-
 „ tumque Capitulum Ecclesie Cathedralis Brixinensis ad premissa omnia & singula
 „ nostrum dedimus consensum pariter & assensum. In cujus fidem & rei evidentiam
 „ Sigillum nostrum Capitulare minus seu causarum est appensum. Datum & Actum
 „ Brixine, Die Lune, Nona mensis Junii, Anno Domini Millesimo quadringentesimo
 „ Nonagesimo quarto.

Idem Prepositus noster tradidit Duci Bavarie Alberto ad ejus Instantiam Villam nostram Pofchetzried, nunc Fürstnried dictam, una cum Jure pascendi, tribus olim Curiis integris cum dimidia constantem, pro qua vicissim Permutationis titulo ab eodem Duce Monasterio de novo collatum confirmatumque est Jus Hoffmarchiale Pollingæ cum Jure venandi per certum Districtum, Exemptio a Solutione indebiti cum Jure erigendi Tabernam, illamque vino ac Cerevisia providendi. Hæc ipsa Permutatio postea sub Successore Michaelis Anno MD. a Maximiliano Romanorum Rege sub multa decem Marcarum Auri in eos lata, qui Monasterium desuper molestarint, medietate Multæ Camera Imperii, altera Monasterio adjudicata, Augustæ Vindelicorum confirmata est.

Sub hoc etiam Præposito lis Monasterium inter & Civitatem Weilheimensem sæpius agitata ob vectigal in Nundinis Solemnibus III. Maji levandum terminata est per Sententiam ab Alberto Bavarie Duce latam Anno MCCCCXCV. quæ deinceps per Wilhelmum Ducem Anno MDXXXIV. iterum, iterumque per Maximilianum I. confirmata est; qua pronuntiatum, Infassos Bavarie a vectigali liberos, cæteros vero ad duos solummodo Denarios Monacenses Weilheimensi Civitati solvendos adstrictos esse, & quidem de Equis ac Bobus tantum. Prædictum insuper vectigal unguulare ex Gratia tantum & ad revocationem Civitati concessum Litteræ desuper confectæ testantur.

Tandem bonus iste Michael, postquam VIII. annis, suis laudabiliter præfuit, utpote jam dudum terrena omnia despiciens magna cum opinione Pietatis, animam suam Deo reddidit XX. Die Augusti Anno MCCCCXCIX. postquam ad Imitationem Prædecessoris sui novam Piscinam in Stadl, novumque Sacellum Divæ Virgini Margarethæ apud Villam Gräsla dictam exstruxit, cujus tamen Dedicationem Successori suo reliquit.

XXVII.

JOANNES III. hujus Nominis, cognomento Zingieffer, Weilhemii perhonestis Parentibus Senatoria Dignitate inclytis, ortus, per Viam Compromissi ex Decano electus est in Prælatum ipso Die Calixti Papæ & Martyris Anno MCCCCXCIX. Compromissarii actui huic solemniter intererant præter Henricum a Lichtenaw, Episcopi Augustani Friderici a Zollern in Spiritualibus Vicarium Generalem, Wolfgangus Rorensis & Ulricus Beyhartingensis Præpositi. Confirmatio hujus Electionis facta est Augustæ Vindelicorum Die proxima post undecim Millium Virginum, ubi antiquissimus mos, haud dubie ob Unionem, quam veteres nostri Canonici cum Cathedralibus adhuc Regularibus colebant, institutus, exactissime adhuc servabatur. Præbebatur videlicet a Neo-Confirmato (ceu ipse hic nos informat) præsentibus Confirmationi ab Episcopo factæ in Aula Episcopali Cathedralibus Canonicis vinum præstantissimum cum quibusdam Dulciariis, in novis Calicibus ligneis, qui ad hunc Actum specialiter tornabantur, a singulis per Turnum hauriendum, quod *Vinum admissionis* appellabant. Sic confirmatus in Spiritualibus Præpositus noster paulo post eandem etiam in temporalibus confirmationem ab Alberto Duce Bavarie Monachii, ejusque Fratre Germano Wolfgango, qui tunc Liechtenbergæ haud procul a Parochia nostra Walleshusana residebat, & adhuc Weilheimensis Dynastie Proventus possidebat, facile obtinuit, Episcopis Principibusque æque ac Suis charissimus. Ante omnia Refectorium, Librariam, Dormitorium (posito pro ejusdem Structura primo Lapide IV. Die Maji Anno MD.) & alia loca Conventualia, fere omnia, recens ædificata per Suffraganeum Augustanum in Pontificalibus benedici curavit Anno MDVIII. Piscinas quoque exstruxit complures in Nusperg, in Bernried, in Smitten, in Teimeried &c. &c. Ad Parochialem Ecclesiam in Aphdorf per liberam resignationem Jodoci Schmekendot Anno MDIII. vacantem in vim Privilegii Apostolici exposuit Joannem Hueber unum ex nostris. Alia etiam Prædia comparavit plura utiliter; Remque Domesticam pro sua in rebus

rebus œconomicis peritia insigniter auxit. Jura insuper ac vetera Monasterii Privilegia nunquam non egregie defendit, nova etiam a Summis Pontificibus ab Alexandro VI. Julio II. & Leone X. impetrare non neglexit. Cum Friderico Episcopo Augustano, primo statim Regiminis sui anno quoad certas Parochias de primis fructibus compositionem iniit. En testes hujus Concordiæ Litteras!

„ Fridericus Dei & Apostolice Sedis Gratia Episcopus Augustensis. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis Sollicitudinis nobis injunctum ministerium tunc exequimur, dum partes nostri officii salubriter & utiliter exponimus ad ea, que animarum salutem efficiunt, & conferunt, ut Cultus Divinus ab antiquo institutus non solum debite vigeat, sed etiam augeatur; vigilanter enim nos decet intendere ad singula, que ad ipsius debitam propagationem per nos valeant procurari. Sane pro parte Venerabilis & Devotorum nobis in Christo dilectorum Johannis Prepositi & Conventus Monasterii Sancti Salvatoris in Bollingen nostre Diocesis fuit expositum, quod licet olim nonnulli Predecessores nostri Episcopi Augustenses ipsorum Ordinem in visceribus charitatis specialius gerentes, ac ipsis de alicujus subventionis auxilio, per quod congruentius sustentari & onera eis incumbentia supportare valerent, salubriter providentes, inter cetera Ecclesias parochiales in Walleshaufenn, Apfeldorff, Eberfing & Otting dicte nostre Diocesis ipsis Preposito & Conventui Auctoritate ipsorum Ordinaria univerint, annexuerint & incorporaverint, ipsique Prepositus & Conventus earundem Incorporationum ac Unionum pre-textu possessionem dictarum Ecclesiarum apprehenderint, ac fructus, Redditus, Decimas & Proventus earundem receperint, & in usus suos converterint, nec non easdem Ecclesias jam per aliquos annos Auctoritate predicta per Presbiteros Regulares ipsorum Monasterii rexerint. Verum cum ipsi velint Altrissimo concedente regularem observantiam juxta Ordinis Institutionem strictius observare, & ut melius id facere possint, fratres suos a dictis Ecclesiis revocare, ne occasio eis detur vagandi, necessarium eis videatur & ipsi Monasterio pro Augmento Divini Cultus utile, easdem Ecclesias per Presbiteros seculares ad nutum amovibiles regi & gubernari juxta Litteras eis per Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum Dominum Sixtum Divina Providentia Papam quartum concessas & processum inde secutum, quorum vigore eis concessum sit, ut easdem per Canonicos dicti Monasterii vel Presbiteros seculares per Prepositum pro tempore existentem simul cum Conventu deputandos, & ad ipsorum nutum amovibiles regere & gubernare possint. Unde nobis dicta ex parte humiliter fuit supplicatum, quatenus, attentis premissis, ipsis, ut dictas Ecclesias per Presbiteros seculares aut Regulares ex causa necessitatis seu utilitatis ipsius Monasterii per nos aut Successores nostros pro tempore existentes approbatos, presertim Ecclesiam Otting supradictam, que vicina ipsi Monasterio existit, juxta Privilegium Apostolicum eis concessum ut premittitur, regere & gubernare possint, indulgere, & ipsum Privilegium quoad dictas quatuor Ecclesias gratiose admittere dignaremur, quoniam de Juribus Episcopalibus & aliis ipsas Ecclesias concernentibus satisfacere velint, & nobis & Successoribus nostris in illis minime præjudicare. Nos igitur Fridericus Episcopus prelibatus, qui petentium Vota, dummodo a rationis tramite non deviant, congruo favore prosequimur, ac illis annuimus libenter, cupientes Ordinem Sancti Augustini regulari observantia, uti ex nostri officii debito tenemur, in dicto Monasterio plantari & Divinum Cultum augmentari, Prefatis Preposito & Conventui, ut liceat eis dictas quatuor Ecclesias parochiales pro Regulari observantia tenenda & continuanda per Presbiteros seculares ad nutum ipsorum amovibiles aut Regulares ex causa necessitatis seu utilitatis ipsius Monasterii per nos aut Successores nostros pro tempore existentes approbatos, presertim Ecclesiam Otting supradictam, que vicina ipsi Monasterio existit, regere & gubernare aliasque & alia easdem quatuor Ecclesias concernentia facere juxta tenorem Privilegii supradicti duximus indulgendum & indulsumus, ac ipsas Litteras tanquam sanas & integras quoad premissa admisimus, Juribus tamen Episcopalibus & Archidiaconalibus, Capitulorumque Ruralium semper salvis, Pro quorum itaque Jurium nostorum Episcopalium satisfactione prefati Prepositus & Conventus nobiscum concordarunt, ut sequitur: In primis in Institutione cujuslibet Prelati in Bollingen qualitercunque facta Idem Prelatus, Conventus, & Monasterium eorum teneantur solvere Episcopo Augustensi pro tempore existenti loco primariorum fructuum de dictis quatuor Ecclesiis Walleshausen Apfeldorff, Eberfing & Otting septuaginta sex florenos ultra primarios fructus, quos de Monasterio solvere tenentur, ad quos solvendos nihilominus sint astricti & obligati. Item quia nunc Vicarii Annales in dictis Ecclesiis recipiantur, iidem prima vice presen-

„ tari teneantur Episcopo Augustensi aut suo Vicario ad subjiendum se examini, si
 „ sint ad Curam regendam ydonei vel ne; quod si reperiantur minus ydonei, Pre-
 „ positus & Conventus predicti alium debebunt presentare ydoneum, Jure Episcopi
 „ etiam salvo, quod hujusmodi presentatos propter excessus seu alias causas rationa-
 „ biles ad curam regendam admittere non teneatur, aut etiam repellere possit. Item
 „ quod iidem Vicarii singulis annis debeant recipere Commissiones, & dare singulis
 „ annis de Ecclesia Walleshausen Episcopo & Successoribus suis tres florenos Renen-
 „ ses, de Apfeldorff tres florenos, de Eberfing unum & de Otting similiter unum flo-
 „ renum Renenses. Item quotiescunque contigerit subsidium caritativum seu Steu-
 „ ram per Episcopum pro tempore existentem a suo Clero recipi, Monasterium pre-
 „ dictum ultra steuram, quam de Monasterio tenetur, de dictis Ecclesiis caritativum
 „ subsidium seu Steuram sicut ab aliis Ecclesiis in Diocesi Augustensi sine diminutione
 „ persolvere debeat, prout hactenus de ipsis Ecclesiis receptum & persolutum est.
 „ Item quod iidem Vicarii aut Monasterium teneantur solvere Cathedraticum, Jura
 „ Archidiaconalia & Capitulum Ruralium atque Procurationum aliaque onera di-
 „ ctarum Ecclesiarum supportare, prout Plebani Ecclesiarum earundem antea fece-
 „ runt & facere tenebantur. Item quod per Prepositum & Conventum congrue af-
 „ signentur portiones ipsis Vicariis Annalibus, ut hospitalitatem tenere, Jura Episco-
 „ palia solvere, & alia onera ipsius Ecclesie supportare possint. Item pro solutione
 „ & observatione premissorum omnes & singuli fructus, Redditus & Proventus dicta-
 „ rum Ecclesiarum debeant esse nobis & Successoribus nostris obligati & yppotheca-
 „ ti; & quod contra premissa nil impetretur, neque impetratis aliquomodo utatur,
 „ cum renuntiationibus solitis & consuetis in meliori forma, prout in Litteris rever-
 „ sis nobis & Successoribus nostris per dictos Prepositum & Capitulum datis latius
 „ continetur. In quorum fidem & testimonium premissorum presentes Litteras exin-
 „ de fieri, nostrique Sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum &
 „ Actum Auguste Anno Domini Millesimo quingentesimo primo, quarto decimo Kls.
 „ Januarii.

Eodem Anno Joannes noster obtinuit a Legato Apostolico Dispensationem quo-
 ad Lactinia &c. Privilegium hoc ita habet:

*Raimundus Miseratione divina tt. Sancte Marie nove Sancte Romane Ecclesie Pres-
 biter Cardinalis Gurcensis ad Universam Germaniam, Datiam, Suetiam, Norwegiam,
 Frisiam, Prussiam, omnesque & Singulas illarum Provincias, Civitates, Terras & loca
 etiam Sacro Romano Imperio in ipsa Germania subjecta ac eis adjacentia Apostolice Se-
 dis de Latere Legatus. Dilectis nobis in Christo Johanni Preposito & Conventui Mo-
 nasterii Sancti Salvatoris in Pollingen, Ordinis Canonorum Regularium Sancti Augu-
 stini, Augustensis Dioecesis Salutem in Domino. Eximie devotionis affectus, quem ad
 Romanam Ecclesiam gereve comprobastis, non indigne meretur, ut petitionibus vestris il-
 lis presertim, que vestris commoditatibus oportuna fore conspiciamus, & per que humane
 fragilitati succurritur, quantum nobis ex alto permittitur, favorabiliter annuamus.
 Cum itaque, sicut exponi nobis fecistis, in partibus vestris nec oleum olivarum nec vinum
 crescat, nec nisi de longinquis partibus & magnis sumptibus advehi possit, Vestrumque
 Monasterium in Territorio sterili situm sit, Oleum quoque Nucum seu alterius generis
 quam olivarum, quibus homines illius patrie utuntur, raucedinem & alia corporis incon-
 moda inducant; Nos humane fragilitati compatientes, Vosque, qui ut accipimus alias
 sub decenti regulari vita vivitis, ac Monasterium vestrum predictum specialibus favori-
 bus prosequentes, ut, Apostolorum Vigilis ac beate Marie Virginis Assumptionis dun-
 taxat exceptis, singulis diebus Adventus Domini Ovis & Caseo, nec non Quadragesima-
 libus & aliis diebus extra Septimanam Sanctam ac Sanctis feriis per anni circulum, qui-
 bus Butiri & aliorum lacticiniorum esus de Jure vel ordinis statutis aut consuetudine
 est prohibitus, Butiro & aliis lacticiniis hujusmodi Vos vestrique Successores ac omnes
 & singuli familiares vestri domestici & ad mensam vestram Sumendi cibi vel resiciendi
 gratia declinantes & accedentes perpetuo vesci & uti valeatis atque valeant, Vobis Au-
 thoritate legationis nostre, qua fungimur in hac parte, tenore presentium de specialis do-
 no gratie indulgemus; Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac Monasterii &
 Ordinis predictorum etiam Juramento confirmatione vel quasi firmitate alia roboratis
 Statutis & Consuetudinibus, Ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. In
 quorum fidem presentes Litteras fieri, nostrique Sigilli jussimus & fecimus appensione
 communiri. Datum Spire Anno Incarnationis Dominice Millesimo quingentesimo pri-
 mo, Quarto Kl. Martii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Do-
 mini Alexandri divina Providentia Pape Sexti Anno decimo.*

Discimus exinde, Usam abstinendi a lacticiis in aliquibus locis, saltem Regularibus, hucusque obtinuisse, etsi jam dudum cum Germanis & Gallis quoad hæc fuerit dispensatum, ut docet Fieurius.

Erat autem Joannes noster non solum Præsul providus, prudens, ac indefessus tam in Spiritualibus, quam in temporalibus; sed unus etiam ex præcipuis & doctissimis sui temporis Præsulibus in Bavaria, Litterarumque æque ac Litteratorum Amator ac Fautor Summus. Hunc in Finem ut Fratres juniores tempus non inutiliter collocarent in addiscendis severioribus Disciplinis, Excellentissimos pro illorum Instructione conduxit Magistros, Joannem videlicet Altenstaigium Mindelheimensem, & Mathiam Gretzium Hauttetenensem, ambos editis doctissimis Libris notissimos, quos ideo non absque magnis Expensis ex florentissima, tunc temporis adhuc Catholica, Academia Tubingana Pollingam evocaverat, domique inter suos per complures annos aluerat, fovematque Musarum Mecænas amplissimus. Prior horum suam dein Dialecticam, quam olim Pollingæ præter alia docuerat, in Oppido Hagenau Anno MDXIV. impressam, Joanni nostro dedicat cum sequenti Inscriptione: *Ad integerrimum Virum Christo devotissimum Joannem Zingießner Præpositum Canonorum Regularium Ordinis Sancti Augustini Monasterii Pollingensis florentissimi &c.* In Epistola autem Dedicatoria hæc præter alia habet: *Quare tu, Joannes Optime, tuis fratribus consultissime provides, quos & doctissimos habere, & optimos esse, in nullaque re ad Salutem spectante deficientes habere contendis &c.* Quod re ipsa etiam præstitit Pastor Vigilantissimus. Ad Finem autem Operis hujus annexa est ab eodem Authore Altenstaigio Quæstio admodum prolixa, qua inquiritur: *An Subditi Religiosi mittendi sint ad Gymnasium seu Academiam publicam?* Ea sic incipit: *Joannes Altenstaig Præposito suo Colendissimo S. P. D. Petiit a me Dignatio tua, Domine Joannes Præposite, sincerissime ut Scriptis meis Tibi significem, quid ego sentiam de mittendis quibusdam tuis fratribus ad Studium aliquod Universale &c.* ad Finem dein pro Sententia affirmativa sic perorat: *Quare nihil erit amplius, quod a proposito tuo optimo & egregio te avocare debet, imo omni via & modo enitere, & labora, ut, quod cepisti vel facere instituisti, quamprimum conficias, nec diutius cunctare, ne NB. consultores pravi, quos plures scio, ab instituto pulcherrimo te revocent, vel NB. prudentes boni & docti, qui tua causa, ut eorum fert opinio, quod consulo, dissuaserunt, in quos ego non invebor ut debeo; imo colo, veneror & semper observabo, sed in malos tantum, qui nihil boni persuadere norint, quorum ratio est depravata, & ingenium corruptum &c.*

Hanc jam Quæstionem a Joanne nostro sibi propositam resolverat Altenstaigius Anno supra millesimum quingentesimum duodecimo, ut ibi expresse dicitur, quo ipso anno Pollinga circa Festum Purificationis B. V. M. Mindelheimium discesserat, factus paulo ante, nempe in Festo S. Michaelis Archangeli, Sacerdos, ubi litanti ad aram primum Deo Sacrificium Mindelheimii Johannes noster a latere adstitit una cum quatuor Fratribus, seu Canonicis Pollinganis, ejus quondam per quadriennium fere Discipulis, quorum nonnulli Epistolæ adhuc existant in alio ejusdem Altenstaigii libro, *de Conficiendis Epistolis* hoc ipso ultimo anno, quo Pollingæ morabatur, edito, & nostro Joanni non minus quam alteri cuidam Joanni Canonico Augustensi, Driospolensi, & Brixinensi, sed adhuc adolescenti ex Nobili, quæ tunc temporis Mindelheimii flourit, Fruntpergerorum Familia, a quibus idem Altenstaigius Beneficium ibidem acceperat, in signum grati animi dedicato. Cum autem ob publicum hoc Altenstaigii Scriptum oblocutiones aliorum, maxime Prælatorum quorundam vicinorum, Joanni nostro jugiter opponentium, Juvenes Religiosos non foris in vanis scientiis, quæ inflant, sed domi in sancta simplicitate & humilitate, quæ ædificat, educandos esse, minime cussarent, imo potius augerentur, Joannes noster executionem Propositi sui licet invitatus adhuc distulit, novumque pro Fratribus suis Junioribus Tubinga conduxit Magistrum, Mathiam Gretz, Virum in Jure Canonico, aliisque Disciplinis Theologicis apprime versatum.

Mansit hic iterum Pollingæ, tanquam Instructor Fratrum, ab Anno MDXIII. usque ad Annum MDXVII. intra quod tempus, Principibus nostris sæpius Pollingam divertentibus, agente præsertim Præsule nostro, sic innotuit, ut factus exin Sacerdos, tandem etiam ob Zelum Catholicæ Religionis, Scientiarumque tam divinarum quam humanarum famam publicam in Decanum Canonorum Secularium Insignis Collegiæ Ecclesiæ ad D. Virginem Monachii pro meritis suis ab eisdem fuerit assumptus.

Interea jussu Principum Bavarix Anno MDXVI. capit reformari Universitas Ingolstadiana, urgentibus præsertim rem hanc Sebastiano Ilungo, & Leonardo ab Eck de Wolffseck, Consiliariis intimis; Reformatio dein hæc potissimum demandata erat Famoso illi Doctore Joanni Eckio, quocum noster etiam Joannes jam ab aliquot annis arctam familiaritatem coluerat, ita, ut in publicis Statuum Comitibus, quæ tunc temporis frequenter Anglipoli celebrantur, fere non nisi ad dilectum suum Eckium diverteret, & hic vicissim Præsulem nostrum Pollingæ non una vice quotannis inviseret; sic ambo erant quasi cor unum & anima una, ita se invicem diligebant honorabantque. Jam hac occasione, stimulante præsertim Eckio, facit tandem Joannes noster, quod jam dudum animo præconceperat, nec solum Principes ipsos ipse adit, sed etiam Decanum suum Conradum ad Episcopi Augustani Vicarium Generalem Augustam Vindelicorum ablegat pro impetranda (quod forte mirum videri possit) licentia, aliquos ex Fratribus suis studiorum causa Anglipolim mittendi; quam cum obtinisset, utpote sub hac Ægide tutus, anno statim insequente (illo ipso nempe anno supra millesimum quingentesimum decimo septimo, quo impius ille Fidei morumque Reformator Lutherus adversam Ecclesiam Catholicam nefarium primo vexillum extulit) ipso die Sancti Maximiliani Confessoris, XII. Octobris, quo ipso tempore Wilhelmus, Ludovicus & Ernestus Fratres ac Duces Bavarix personaliter Pollingæ præsentibus aderant, duos ex suis Sigismundum Diez haud ita pridem Sacerdotio initiatum, & Paulum Gretz Subdiaconum Magistri Mathix Gretz, de quo supra verba fecimus, ex fratre Nepotem Anglipolim mittit, *dederuntque ipsi Principes (Verba hic exscribo nostri Joannis Præpositi) Litteras Doctore Eckio, Præceptore Fratrum, ac viva voce Commissionem fecerunt Cancellario (Episcopo nempe Eychstettenensi, qui hoc munere perpetuo fungitur, & cujus tunc temporis Pro-Cancellarius Eckius erat) qui & fratribus insinuavit Intentionem Principum, ita quod deberent se gerere secundum Regulam, quam professi sunt; & Chartam Episcopi acceperunt a nobis (pergit idem Joannes) roboratam Sigillo nostro.* Puncta nempe aliqua, specialiter ab ipsis observanda, quæ Joannes noster tanquam vigilans Pastor pro ovibus suis, magis ipsis necessaria utiliaque, ut strictè ea observent, conscripsit, & Episcopus pro majore robore firmavit. Verosimile est, primos hos fuisse ex omnibus Religiosis professis, qui post Foundationem Academix seu Universitatis Anglipolitaneæ eo missi fecerant, publicumque Magisterii Gradum, promovente Eckio, ibi susceperant; quod exemplum dein alii etiam Prælati, utut serius, non sine fructu secuti sunt.

Perfecto jam hoc Negotio Bibliothecam, quam jam novam, ut diximus, struxerat, instruxit etiam libris numero & selectu præstantibus, in quorum coemptionem magnam pecuniarum Summam expendit: sic una duntaxat vice septuaginta illum simul Volumina ab Antonio Koburgero Cive Norimbergenfi sat caro pretio emisse legimus, ut vel inde Lector conjiciat, qualis ejus in renascentes Litteras pruritus fuerit. Id autem absque dolore cordis intrinseco commemorare hic haud possumus, hac ipsa occasione, dum novi hi Libri arte typographica tunc adhuc satis nova & rara impressi compingerentur, complures veterum Codicum Manuscriptorum Sæculi VIII. & IX. cum ex optimo Pergameno essent, abiisse in frustra, Bibliothecarii an Bibliopegæ culpa nescimus. Rem sic contigisse oculis nostris adhuc conspiciamus.

Quemadmodum autem in Litteras, ita etiam erga Litteratos admodum fuit propensus Joannes noster, maxime autem erga Joannem Eckium, & Casparum Sasgerum Virum valde doctum & multis editis Libris illustrem ex Ordine Minorum strictioris observantiæ. Hic posterior dedicavit etiam Joanni nostro Exercitia quædam Spiritualia valde prolixa, & in XXXIII. Capitula per tres vias communes, ut norunt Ascetæ, *Purgativam* scilicet, *Illuminativam*, & ut vocat, *Perfectivam* distincta sub Titulo: *Normula recte vivendi Fratris Caspari &c.* Præfatio ad Joannem nostrum sic habet: *postulavit Reverende Pater, Charitas Vestra, nec non pia quadam importunitate crebrius animum meum pulsavit, quatenus brevi succinctoque Sermone Modum quemdam bene regulatè vivendi depingerem: quamquam autem diu ob ingenii mei parvitatem, vitæque meæ imperfectionem repugnaverim, ne Magisterii mibi in Scola Virtutum usurparem officium, vicit tamen pia Vestra Charitatis sedulaque instantia, ut &c.* Opusculum hoc Authographum, Spiritu Dei plenum, hodieque mereretur imprimi.

Joannes Eckius autem (pro quantum Virum hic iterato nomine) integris septem mensibus & ultra Pollingæ moratus est, ut Præsulis nostri alloquio frui posset. Cum anno MDXXI. Pestis Ingolstadii, aliisque finitimis locis sæviret, ac in sola Metropoli Boica Monachii ultra IV. millia hominum abriperet, Eckius Pollingam, utut non om-

nino liberam, haud secus quam ad Portum tutissimum confugit. Cur autem Pollingam potius quam alium in locum abierit, ipse se explicat in Tabula quadam picta, quam Præfuli nostro ea occasione dono dederat, quæque adhuc exstat, tanquam grati animi ejus Memnosinon perpetuum; cumque in ea Virtutes, Eminentiasque Joannis nostri ad vivum vellet depingere, alludens ad ejus Nomen, tres simul Joannes in una tabula repræsentaverat, nempe Joannem Baptistam in medio, Evangelistam a Dextris, & a sinistris Joannem Chrysoctomum, cum hac Scheda volante, sequens exhibente Hexametrum:

Est Volucer, est Vox, est aureus ore Joannes. Subtus autem Scutum suum Gentilitium, quod a latere apposuerat, hæc verba adscribi fecerat: *Joannes Eckius Art. Decret. & Theol. Doc. Peste Ingolstadii saviente, buc ad Patres amore & fama eorum allectus secessit, & ob rei memoriam suis sic ex Voto F. C. Joan. Stannifusore PP. Cbuurado Hertl Decano MDXXI.*

Cæterum nec diem, nec horam transegisse Eckium otiose in suo Tusculo Pollingano, Monumenta, quæ ibidem scripsit, & reliquit, abunde testantur. Libros IV. quos decem dierum intercapedine de *Purgatorio* scripserat adversus Lutherum, Librorum suorum ope destitutus, exaravit in Bibliotheca Pollingana, ut habetur in ejus opere de *Purgatorio*, typis Marcelli Franck Romæ Anno MDXXIII. excuso in Folio, ut ajunt. Eodem tempore & loco fecit etiam Regestum quoddam Vocularum Hebraicarum ex Lexico Joannis Reuchlini, qui primus in Germania linguam Sanctam ea ætate instauravit. Regestum hoc constat Voculis 5033. repetitis 2993. non repetitis 2040. ad finem hæc leguntur: *Vigili opera, improbo labore, Ego Joan. Eckius Regestum illud super Lexico Hebraico Capnionis Pollingæ collegi, dum illuc Peste Ingolstadii grassante concessissem. XX. Augusti finivi Anno Gratia MDXXI.* Utile hoc Opus pro addiscenda Lingua Sacra adhuc exstat in nostra Bibliotheca, Manu Pauli Gretzii nostri, de quo supra locuti sumus, descriptum. Sic enim ipse nos docet ad finem, ubi hæc habet: *Exscripsi ego Paulus tertio Kal. Septembris ab ejus Archetypo, quod mihi agrè commodabat, quia ipse solus suo maximo & continuo labore collegit citra meam vel ullius operam adjutricem, quare indignum aiebat, fructus metere, quos non seminastis; hoc est, frui alieno labore. Qui non laborat, non manducet. Sed sic vos non vobis &c.* ita Paulus noster. Exstat præterea in eodem Codice Manu Pauli exarata, *Epitome Eckii* (ita Titulus habet) *super Grammatica Hebræa M. Farcinarii vulgo Kimbi MDXXI.* ad finem hæc habentur: *Anno 1521. 18. Kl. Julii Pollingæ descripsi ab egregii Viri Jobannis Eckii Archetypo* (ita equidem ultimum Nomen jam penitus abrasum interpretor) *Ad Initium autem hujus Epitome in Margine hæc leguntur: Adverte extra de notatis Declarationem Reuchlinam, qui publice legit illam Grammaticam Ingolstadii anno 1521. me Eckio Auditore, & in hanc formam in Summario redigente.* Ulterius continet Codex iste M. S. Pauli nostri, Exercitationem etiam quamdam in septem Psalmos Pœnitentiales sub hoc Titulo: *Septem Psalmi Pœnitentiales Hebraice, & quomodo a septuaginta, Hieronymo, Felice Pratensi, ac Capnione Phorzensi versi sint cum Explanacione Grammatica 1521. XVII. Kl. Septemb.* Præfatio sic habet: *Adverte ante omnia Hieronymum saepe dissentire a Septuaginta Interpretibus; nec mirabere, quod Septuaginta Viri in Lingua patria eruditissimi a Hieronymo, qui & ipse Linguam Sanctam ex assè calluit, variant; nam Biblia Septuaginta non fuit punctata, Hieronymus puncta secutus est: quo fit, ut longe dissent; utri autem credatur magis, ambiguum, an Septuaginta, qui unanimi & concordi Sententia in unam coierunt Sententiam, quos vocularum æquivocatio non latuit, an sequacibus, qui incaperunt Puncta Bibliæ præsigerè. Ego ab Editione Septuaginta cum S. Augustino non facile recederem, absque Hieronymi contemptu.* An autem hæc Exercitatio sit Eckii, aut potius nostri Pauli, cujus caractere scripta est, ignoramus.

Quidquid sit, sic equidem Eckius apud suum dilectum Mæcenatem Joannem nostrum in suo Tusculo Pollingano horas & momenta Musis sacravit. Prætereo multos alios tunc temporis Viros doctissimos, quibuscum Præful noster dulce habuit Litterarum commercium; Aventini solius amicitiam, utut is sæpius illam ambivit, semper abhorruisse videtur: quid causæ fuerit, non invenimus, hariolari nolumus.

Cum autem tot tantisque prærogativis emereret præ aliis Joannes noster, fama que publica esset, illum esse unum ex doctissimis piissimisque Bavariæ nostræ, tunc temporis admodum corruptæ, Præfulibus, qui potens esset Disciplinam Religiosam jam passim relaxatam una cum doctrina sana inter tot novaturientium pruritus aut

restituere, aut in illis locis, ubi adhuc vigeret, sartamentam conservare, nemini mirum videri debet, Principes nostros Catholicissimos, Duces Bavariæ, tam Albertum Patrem, quam Wilhelmum & Ludovicum Filios, qui ea ætate non tam per alios Ministros, quam per se ipsos Bavariam regebant, & ipsimet suorum Commissariorum relationes plerumque audiebant, legebantque, ultra viginti annos & amplius in Visitationibus ac Reformationibus Monasteriorum nostri Ordinis illius opera & zelo utiliter usos esse, cujus rei Exempla non pauca asserre possemus. Cum autem ea ætate nulla esset absurditas, quæ non reperiret suum Patronum, & hi ipsi, quorum officium & ratio Status aliud postulabant, etiam publice criminosos ac incorrigibiles haud absque Scandalo protegerent, ideoque totus Visitationis, Reformationisque effectus plerumque esset nullus, visum est Principibus, agente præsertim Eckio, instare apud Curiam Romanam Leonis PP. X. ut liceat ipsis deinceps Visitatores Monasteriorum pro Bavaria constituere ex Abbatibus & Præpositis quoscunque, *Diæcesanorum, seu Ordinariorum Locorum, & quorumvis aliorum licentia minime super hoc requisita.* Facile id etiam impetrarunt a Leone X. Bulla Concessionis desuper data XV. Nov. Anno MDXXI. Cum vero Leo X. post aliquot dies non sine suspitione veneni morte inopina periret, Adrianus VI. id ipsum de novo concessit, Bulla data ultimo Augusti, Anno MDXXXII. quam, cum non sit ubivis obvia, & vi hujus Bullæ Prælatus Pollinganus constitutus fuerit in Visitatorem Monasteriorum Ordinem Canonicum S. Augustini in Bavaria profitentium, hic per extensum subjungere volumus.

„ Adrianus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis, Alfah inferioris & in
 „ Allerspach Pataviensis Diocesis ac in Tegernsee Frisingensis & in Firstenfeld Ab-
 „ batibus, nec non Præposito per Præpositum gubernari soliti in Pollingen Monaste-
 „ riorum Augustenf. ac Procancellario Universitatis Studii Ingolstadiensis, Eystetenf.
 „ Dioces. Salutem & Apostolicam Benedictionem. Rationi congruit & convenit æ-
 „ quitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis Gratia processerunt, licet ejus superveni-
 „ ente obitu Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum fortiantur effectum;
 „ Dudum siquidem felicitis recordationis Leoni PP. X. Prædecessori nostro, pro parte
 „ dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Wilhelmi & Ludovici altæ & inferioris
 „ Bavariæ Ducum, exposito, quod cum in Ducatu & aliis dominiis temporalibus ipso-
 „ rum Wilhelmi & Ludovici Ducum ac illorum districtibus & territoriis essent quam
 „ plura Monasteria, Prioratus, domus & alia loca diversorum Ordinum tam Virorum
 „ quam Mulierum, quæ tam in capite quam in membris ac in spiritualibus & tempo-
 „ ralibus visitationis & reformationis officium exposcebant, maxime in Provinciis al-
 „ tæ & inferioris Bavariæ pro eo, quod personæ in illis degentes, regularis observan-
 „ tiæ norma & suavi contemplationis jugo postpositis, ad enormia & detestabilia vi-
 „ tia prosiliebant, eaque detestabiliter committere non formidabant in animarum sua-
 „ rum periculum, divinæ Majestatis offensam, religionis opprobrium & perniciosum
 „ exemplum ac scandalum plurimorum, ac pro parte dilectorum Wilhelmi & Ludo-
 „ vici Ducum asserentium se claræ Memoræ Maximiliani in Imperatorem electi, dum
 „ viveret, ex sorore Germana Nepotes fuisse, eidem Prædecessori humiliter suppli-
 „ cato, ut pro divini Cultus & regularis observantiæ propagatione circa visitationem
 „ & reformationem hujusmodi ac alias in præmissis oportune providere de Benigni-
 „ tate Apostolica dignaretur præfatus Prædecessor, qui ad ea per quæ Monasteria &
 „ alia religiosa loca salubriter dirigerentur, & in eis regularis disciplinæ norma serva-
 „ retur, divinus Cultus auferetur, Caritas vigeret, humilitas perseveraret, & omnis
 „ bene vivendi institutio sæliciter adimpleretur, solertiæ suæ curas libenter dirigebat,
 „ hujusmodi supplicationibus inclinatus sub dat. videlicet decimo septimo Kal. De-
 „ cembr. Pontificatus sui anno nono, voluit & concessit Vobis, Filii, Abbates & Præ-
 „ posite, nec non cum, sicut dicti Duces etiam asserbant, Procancellarius Universi-
 „ tatis studii Ingolstatis, Eystetenf. Dioc. Canonicus Ecclesiæ Eystetenf. esse con-
 „ suevisset, Procancellarie; de quorum discretione in his & aliis specialem in Domi-
 „ no fiduciam obtinebat, dari in mandatis quatenus assumptis vobiscum & in hoc vo-
 „ bis assistentibus duabus vel tribus personis religiosis Ordinum, quorum Monasteria,
 „ Prioratus & loca per vos visitanda forent, seu aliis probis viris in Ecclesiastica Di-
 „ gnitate constitutis, Deum timentibus & Religionem zelantibus ad singula Monaste-
 „ ria, Præposituras, Prioratus, domos & alia loca religiosa tam virorum quam mu-
 „ lierum quorumcunque, etiam S. Benedicti, S. Augustini Canonicorum Regularium,
 „ Cisterciens. & Præmonstratenf. ac etiam regularis observantiæ, Fratrum Prædica-
 „ torum, Minorum, Heremitarum ejusdem S. Augustini, & beatæ Mariæ de Monte
 „ Carmelo Ordinum, Ducatus, Dominiorum, districtuum & territoriorum prædicto-
 „ rum tam exempta quam non exempta per Vos visitanda personaliter accedentes &
 „ solum

„ solum Deum præ oculis habentes & eis præsidentes, nec non alias illorum singula-
 „ res personas tam in capitibus quam in membris nec non spiritualibus & temporali-
 „ bus, diocesanorum locorum & quorumvis aliorum Licentia super eo minime requi-
 „ sita, Auctoritate Apostolica quotiens oportunum foret, visitaretis nec non quæ inibi
 „ correctionis & reformationis ministerio indigere reperiretis, prout Vobis juxta
 „ Canonicas Sanctiones nec non laudabilia Monasteriorum, Prioratum, Locorum &
 „ Ordinum prædictorum consuetudines & regularia instituta expedire videretur, in-
 „ quiretis corrigeretis & emendaretis : Et insuper idem Prædecessor vobis Mona-
 „ steria, Prioratus, loca & personas hujusmodi, etiam prius visitata & reforma-
 „ ta, quotiens oportunum foret, tam in capite quam in membris ac in eisdem spiri-
 „ tualibus & temporalibus reformandi & corrigendi & ad regularem observantiam re-
 „ ducendi & illam in eis perpetuo formandi ac personas sub observantia degere recu-
 „ santes cogendi & compellendi easque si dissidiosæ, scandalosæ vel alias criminosæ
 „ forent, juxta easdem Canonicas Sanctiones & regularia instituta suorum Ordinum
 „ ac excessuum qualitatem & exigentiam, etiamsi inibi præsiderent, pœnis debitis pu-
 „ niendi & si excessus hujusmodi exposcerent a dictis Monasteriis, Prioratibus & lo-
 „ cis, illorumque Abbatibus Præpositibus & aliis, quæ inibi obtinerent, dignita-
 „ tibus & officiis amovendi & illis privandi, nec non Abbatibus Præpositis & perso-
 „ nis sic amotis & privatis, ut ad alia Monasteria sive loca suorum Ordinum, ubi be-
 „ nivolos receptores invenirent, se transferrent, licentiam concedendi ac alias perso-
 „ nas, quæ inibi sub dicta reformatione vivere vellent, introducendi, nec non Mona-
 „ steriis, Prioratibus, domibus & locis religiosis utriusque Sexus per vos pro tempo-
 „ re visitatis & reformatis, de Abbate, Abbatissa, Priore, Priorissa & alio quocunque
 „ Præsidente, loco eorum & earum, quos & quas visitando ab illis amoveri & priva-
 „ ri contingeret, providendi & loco amotorum seu amotarum alium vel aliam surro-
 „ gandi & ad aliorum Electiones, cum expediens videretur, procedendi ac Monaste-
 „ ria, Prioratus, domos & loca reformanda eorumque personas a regimine, jurisdic-
 „ tione & Superioritate Prælatorum non reformatum eximendi & absolvendi ea-
 „ que Prælati reformati in vera observantia viventibus subjiciendi & committendi,
 „ nec non quoscunque Religiosos extra Monasteria & religiosa loca, etiam in paro-
 „ chialibus Ecclesiis, absque dispensatione Apostolica residentes, ad claustrum revo-
 „ candi, & eos, ut ad eorum loca religiosa redirent, compellendi : nec non omnia &
 „ singula, quæ juxta instituta Ordinum & Canonicas Sanctiones hujusmodi ad divi-
 „ ni Cultus augmentum, nec non veræ religionis observantiam & animarum salutem
 „ & fidelium ædificationem, ac alias pro felici regimine & gubernatione ac salutari
 „ directione Monasteriorum domorum locorum & personarum earundem necessaria
 „ cognosceretis, seu oportuna faciendi, statuendi & exequendi, nec non contradic-
 „ tos quoslibet & rebelles cujuscunque dignitatis, status, gradus, Ordinis, præemi-
 „ nentia, Nobilitatis & conditionis forent, quandocunque & quotiescunque expedi-
 „ ret, per Excommunicationis, suspensionis & interdicti aliasque formidabiliores, de
 „ quibus Vobis expediens videretur, sententias, censuras & pœnas, sublato diffugii
 „ & Appellationis obstaculo, auctoritate prædicta compescendi & si opus foret, auxi-
 „ lium brachii secularis invocandi, auctoritate prædicta plenam & liberam faculta-
 „ tem & auctoritatem elargitus fuit ; Non obstantibus Constitutionibus & Ordina-
 „ tionibus Apostolicis ac Monasteriorum, Prioratum, domorum, locorum & Ordini-
 „ num prædictorum juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia
 „ roboratis statutis & consuetudinibus, nec non quibusvis Privilegiis, immunitati-
 „ bus, libertatibus, exemptionibus, Literis & indultis Apostolicis eisdem Monaste-
 „ riis, Prioratibus, domibus, locis, Ordinibus & personis sub quacunque verborum
 „ forma & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis clausulis irritantibus &
 „ aliis decretis etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis
 „ plenitudine & aliis quomodolibet etiam iteratis vicibus per quoscunque Romanos
 „ Pontifices & Sedem Apostolicam concessis & confirmatis etiam si in illis caveretur
 „ expresse, quod ab aliis, quam suorum Ordinum Superioribus & Prælati reformari
 „ & visitari non deberent, quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus
 „ speciali, specifica, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clau-
 „ sulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda aut
 „ aliqua exquisita forma ad hoc servanda forent, tenores hujusmodi pro sufficienter
 „ expressis habens, illis alias in suo robore permanens, ea vice duntaxat specialiter
 „ & expresse derogavit, contrariis quibuscunque. Aut si Abbatibus, Abbatissis, Præ-
 „ positis, Prioribus, Priorissis & aliis præfatis, vel quibusvis aliis communiter vel di-
 „ visim, ab Apostolica Sede esset indultum, quod interdicti, suspendi vel excommuni-
 „ cari non possent, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de

„ verbo ad verbum in indulto hujusmodi mentionem. Voluit etiam idem Præde-
 „ cessor, quod si contingeret, per Vos aliquos privari, & Monasteriis de aliorum per-
 „ sonis, nec non de Prioratibus & aliis beneficiis per privationem hujusmodi tunc
 „ vacantibus, aliis personis provideri, personæ ipsæ, de quibus Monasteriis provide-
 „ ri ac quibus provisiones Prioratum & beneficiorum hujusmodi fieri contingeret, ut
 „ præfertur, infra sex menses a die captarum provisionum eorundem, novam provi-
 „ sionem a Sede prædicta impetrare, & Litteras Apostolicas desuper totaliter expe-
 „ dire ac jura Cameræ Apostolicæ propterea debita persolvere, omnino teneretur;
 „ alioquin provisiones hujusmodi ipso jure essent nullæ. Ne autem de voluntate,
 „ concessione, derogationeque prædictis, pro eo quod super illis dicti prædecessoris
 „ ejus superveniente obitu Litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hesi-
 „ tari dictique Wilhelmus & Ludovicus Duces illorum frustrentur effectu, volentes
 „ & dicta Apostolica Auctoritate decernentes quod voluntas, concessio & derogatio
 „ prædecessoris hujusmodi perinde a dicta die decimo septimo Kal. Decembr. suam
 „ fortiantur effectum, ac si super illis ipsius Prædecessoris Litteræ sub ejusdem diei datum
 „ confectæ fuissent, prout superius enarratur, quodque præsentis Litteræ ad proban-
 „ dum plene voluntatem, concessionem & derogationem hujusmodi, atque suffici-
 „ ant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur discretioni Vestræ per
 „ Apostolica Scripta committimus & mandamus, ut assumptis vobiscum, & in hoc
 „ vobis assistentibus duabus vel tribus personis Religiosis Ordinum, quorum Mona-
 „ steria, Prioratus, vel loca per Vos visitanda fuerint, seu aliis probis viris in digni-
 „ tate Ecclesiastica constitutis, Deum timentibus & Religionem zelantibus, ad Singu-
 „ la Monasteria, Præposituras, Prioratus, domos & alia loca religiosa tam virorum
 „ quam mulierum quorumcunque etiam Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Canoni-
 „ corum Regularium, Discerpiens. & Præmonstratens. ac etiam regularis observantiæ
 „ Fratrum Prædicatorum, Minorum, Heremitarum ejusdem Sancti Augustini & bea-
 „ tæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum Ducatus, Dominiorum Districtuum & Ter-
 „ ritoriorum prædictorum, tam exempta quam non exempta per Vos visitanda, per-
 „ sonaliter accedentes & solum Deum præ oculis habentes illa, & ejus præsidentes,
 „ nec non alias illorum singulares personas, tam in Capitibus quam in membris, nec
 „ non in spiritualibus & temporalibus diocesanorum locorum & quorumvis aliorum
 „ licentia desuper minime requisita, Auctoritate nostra, quotiens oportuum fuerit,
 „ visitetis, nec non quæ inibi correctionis & reformationis ministerio indigere repe-
 „ riretis, prout vobis juxta Canonicas Sanctiones, nec non Laudabilia Monasterio-
 „ rum, Prioratum, Locorum & Ordinum prædictorum consuetudines & regularia
 „ Instituta expedire videbitur, inquiratis, corrigatis & emendetis, ac omnia & singu-
 „ la alia præmissa faciatis & exerceatis juxta voluntatem & concessionem Leonis præ-
 „ decessoris hujusmodi, non obstantibus omnibus supradictis. Datum Romæ apud
 „ Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo
 „ secundo, Pridie Kl. Sept. Pontificatus nostri anno primo.

Verum cum Joannes noster paulo post, anno nempe insequente, V. Idus Februa-
 rii in Festo S. Altonis Confessoris, vita mortali fuerit exemptus, & ad beatam, ut spe-
 ramus, in Cælis vitam, laborum suorum Præmium, transferit, non diu is Apostolici
 hujus Visitatoris Munere perfunctus est, relinquens illud Successori suo Joanni Venn-
 dio, de quo inferius.

An autem Joannes noster, ut indicare videtur Hundius Gewoldi, primus Cap-
 pas mutarit, non satis liquet; Veteres Prælatorum Imagines aliud docent; Privile-
 gium vero, quod hac de re sibi suisque Canonicis per Eckium Roma, dum hic ibi mo-
 rabatur, obtinuit, sic habet:

*Leonardus miseratione divina tituli Sancti Petri ad Vincula Presbiter Cardinalis
 Dilectis in Christo Preposito in Pollingen Presbitero & Canonicis Ordinis Canonorum
 Regularium Sancti Augustini Augustensis Diocesis Salutem in Domino. Ex parte ve-
 stra nobis oblata petitio continebat, quod tu & omnes alii Canonici Regulares in Choro
 & extra, dum divina peragitis, portare tenemini Caputium pellibus ovinis suffultum, &
 ita, cum tu ab aliis Canonicis non discerneres nec cognosceris, cuperetis propterea Capu-
 tium ex pellibus variorum vulgariter de Vebo suffultum & Canonici pellibus Mustellarum
 alias asperiolorum tendentibus in rubrum portare, cum ita etiam a plerisque in Germa-
 nia portentur, quod licite facere posse dubitatis, aut vobis forsitan non permittitur abs-
 que Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare supplicare fecistis humiliter, Vobis super his
 per Sedem ipsam provideri. Nos igitur Auctoritate Domini Pape, cujus Penitentiariæ
 curam*

curam gerimus, & de ejus speciali mandato super hoc vive vocis oraculo nobis facto, ut caput a membris differat, Caputium tuum ex variorum pellibus suffultum, & Canonici pellibus Mustellarum in rubeum tendentibus portare & deferre libere & licite possitis & valeatis, licentiam & liberam concedimus facultatem, vobiscumque super premissis dispensamus. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac Statutis tam Provincialibus quam Sinodalibus, dictique Ordinis consuetudinibus, Ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub Sigillo Officii Penitentiarie. III. Idus Junii. Pontificatus Domini Leonis Pape Anno Octavo.

Demum præter complures *Epistolas*, quas in variis suis itineribus, tanquam deputatus ab Ordinibus Boicis ad colligendas Steuras, conscripserat, & alias curiosas *observationes*, in Forma *Ephemeridum* conscriptas, reliquit nobis Joannes noster prægrandem diversorum *Sermonum* latine conscriptorum fasciculum, quos in variis nostris Parochiis ante Prælaturam habuit; cumque jam esset Decanus, non destitit, Sermones cujusdam celebris Minoritæ F. Petri Christiani, quem quondam noverat ac audierat, in unum valde spissum Volumen colligere. Ita enim in fine Codicis hujus habetur: *Explicunt Sermones de tempore multum notabiles per totum annum F. Petri Christiani Ordinis Minorum, quem ego novi, ac audiivi, ac per me F. Johannem Zingieser Monasterii Pollingen tunc temporis Decanum inmeritum, Canonicorum Regalarium Ordinis, Scripti ac in unum collecti Anno Domini MCCCCLXXXIX. III. Nonas Aprilis.* Eodem anno elucubravit is brevem *Tractatum de Passione Domini*, valde devotum ac solidum. Complura alia, quæ ipso monente ac instigante Canonici sui conscripserant, silentio hic involvimus. At Joannem Taffernerum, vel potius Daffnerum non possumus omnino præterire, ex Decano Pollingensi ad Prælaturam Beurbergensis promotum, Virum tam pietate quam doctrina prorsus insignem, cujus Elogium in Descriptione hujus Celeberrimæ Canonice invenies.

Memorable adhuc est sub hujus Prælati Regimine, Maximilianum Imperatorem, dum Anno MDX. Feria VI. ante Jacobi una cum Wilhelmo Duce Bavarie & sexcentis equis Weilhemiū transiret, iturus in Italiam, non solum apud nos pernotasse, sed etiam Domino Salvatore in Pollingen, cujus Imagine mirifice delectabatur, integrum, ut vulgo vocant, Sacrum Ornatum, Casulam scilicet valde pretiosam, aliasque pro Sacri Altaris Ministris Vestes summi pretii in sui erga Crucifixum amoris perpetuum Mnemosynon Dono submisisse, cui postea Wilhelmus Dux, præter generosum equum, Crucem pariter pretiosam, Mater autem Wilhelmi, jam Vidua, & Augustissimi Imperatoris Soror, Kunegundes Eutropia ducentos florenos addidit.

XXVIII.

JOANNES hujus Nominis IV. Vir a singulari animi benignitate, morumque civilitate summopere commendatus, ac ex Nobili Vindendorum Familia prognatus, Joannis hujus Nominis II. de quo supra verba fecimus, Nepos dignissimus, ab officio Cellerariatus ad Summum Prælaturæ Fastigium vocatur Anno MDXXIII. die vero lunæ XXIII. Mensis Februarii. Electus is est per viam Compromissi, præsentibus Jacobo Hainrichman Augustensis Episcopi Christophori a Stadion Vicario in Spiritualibus Generali, & Casparo Barth J. U. D. Ecclesiæ Collegiatae ad D. V. Monachii Decano, una cum RR. Præsulibus Wessofontano & Raittenbuchensi Casparo & Urbano. Statim post suam Inaugurationem Templum Parochiale, post funestum illud incendium Anni MCCCCXIV. primitus Pollingæ erectum, ac B. V. M. Sacrum, cum ruinæ jam esset proximum, destruxit, aliudque eidem Gloriosissimæ Matri Dei e Fundamento intra tres annos excitavit, dedicatum XXV. Nov. Anno MDXXVI. a Joanne Episcopo Augustopolitano, Suffraganeo Augustensi. Paulo post solennem, eamque angarialem Defunctorum, cum Canonicis Pollingensibus Fraternitatem habentium, Memoriam, hætenus in Ecclesia primaria Domini Salvatoris celebratam, ad hanc novam a se ædificatam B. V. M. Ecclesiam parochialem sub Titulo *Mariae invocata pro Defunctis* transtulit, quam Fraternitatem una cum multis aliis Nobilibus personis ex utroque Sexu ipse accepit, suoque Patrocinio simul & Præsidio dignatus est Serenissimus Bavarie Dux Ludovicus Anno MDXXVII. ut adhuc ex picturis videre est in Fenestris; quo novo Exemplo Piissimus Dux veterem de Purgatorio Articulum adversus Lutherum ejusque affectas in nostra Bavarie egregie stabilivit. Templum hoc Parochiale adhuc hodie insigne illius temporis Monumentum, aureis characteribus lapidi incisum, exhibet, quod hic adscribi meretur. Sic habet:

Hoc diva Virginis templum edificari fecit Venerabil. P. D. Joannes Vend Præpositus sub Principibus Christianiss. Bavarie Guilelmo, Ludovico & Oerneslo. Anno Salutis MDXXIV. eo autem triennio, quo templum edificaretur, hoc memoranda contigerunt; Rustici a Luthero Heresiarcha seducti passim in Germania contra suos Dominos insurgunt, arces & templa destruentes, ex quibus super centena millia occiduntur, soli Bavarie Principes suos in Fide & Obedientia continent, Rex Gallorum Franciscus ab Exercitu Cæsaris Caroli V. capitur, Rex Hungarie Ludovicus contra Turcas proficiens occiditur, Roma a Cæsariano Exercitu capitur, Papa Clemente VII. in deditiorem recepto.

Paucis autem comprehendi haud potest, quas alias hoc ipso tempore, quo novum Reginae Cœli templum ædificaverat, expensas Joannes noster facere debuerit: ipse nobis has in suis Ratiociniis ad nauseam usque recenset, unde non solum multum æs alienum contrahere, sed etiam complura Prædia alienare coactus est, damno Canonice nostræ plane irreparabili; & quamquam apud Principes nostros magna polleret Gratia, & eorum Proceribus esset intimus, imo Ludovicus ipse Dux Bavarie, dum tumultuantes in Suevia Rustici etiam Bavarie excidium jam minabantur, celeberrimamque Canoniam Præmonstratensem in Steingaden, sex horas Pollingæ distitam igni ferroque devastabant, ultra tres hebdomadas Pollingæ cum Baltassare Tanhausero præfens adesset, tamen impossibile erat, omnes Militis in agro Pollingano stationem suam habentis Excessus præcavere aut arcere. Huic malo accessit aliud non minus leve, nempe Decimatio Papalis adversus Turcam, & conflagratio Villæ Harsee dictæ; quæ omnia fere mala in annum XXIV. & XXV. supra millesimum quingentesimum incidere. Tot tamen calamitatibus in primo quasi Regiminis sui aditu haud fractus Præsul noster animum semper ad altiora direxit, parum curans, si auferrentur temporalia, dummodo cum antiqua Fide servarentur Bona æterna. Hinc non solum juxta Exemplum Prædecessoris sui Disciplinam Religiosam optime conservavit, sed & auxit, factus ipse Exemplum & Speculum Præfulis integerrimi, qui non omisit juxta Indultum Pontificium Prædecessori suo, ut diximus, jam concessum, etiam alios Ordinis nostri Canonici Præsules in Bavaria in suis visitationibus ædificare, & ad optima quæque animare.

Prorsus stupenda autem erat ejus erga commissas sibi oves vigilantia & charitas; Cum ea ætate Novaturientium pruritus ubique perstreperent, non solum subditis suis de optimis Pastoribus providit; sed & his severum mandatum dederat, ut antiquum ubique Verbum Dei contra has novellas perverasque Doctrinas in incorporatis Parochiis publice defenderent, prædicarentque, ceu adhuc constat ex multis id genus Sermonibus, qui ea ætate de controversis Fidei Articulis ad populum habiti sunt. Tandem hos inter labores septennio vix emenso, cum omnibus beneficeret, præsertim iis, qui ex nobili quidem Familia, sed injuria temporum ad incitas redacti erant, & quorum tunc in nostra Vicinia complures erant, vulgo eorum duntaxat Pater dictus, subito ad cœlestem, ut opinari nos jubet Vita ejus Sancta, Patriam migrat Die XXIX. Maji Anno MDXXX. mercedem laborum suorum recepturus a Deo. Præter ingens sui Desiderium reliquit Confratribus suis *Varia ac ampla Excerpta ex Opusculis Spiritualibus S. D. Bonaventurae in unum spissum Volumen jussu Joannis Stanifusoris Præpositi Anno MDVII. collecta.* Verosimile est, hæc illum conscripsisse in Usum Novitiorum, quorum per complures annos, cum Sub-Decani Officio fungeretur, Magister & Director erat. Ad hæc in duobus Voluminibus latino stylo conscripsit *Diversos Sermones de Tempore & de Sanctis*, quos Anno XIV. XVI. XIX. & XX. supra MD. in variis nostris Parochiis habuit; in omnibus Spiritum Doctoris Seraphici, quem totum infudit, large profudit, Vir vere spiritualis. Adhuc Sub-Decanus interfuit etiam Synodo Dillingæ Anno MDVI. celebratæ. Insignia ejus, Insignibus Joannis hujus Nominis II. Patru sui, prorsus similia, Caput Ursinum cum Lingua exerta rubea præsentant in Campo Albo,

XXIX.

CONRADUS *Härtl*, Latino Sermone *Hartmannus* cognominatus, cui Pollingæ ipsa natale solum præbuit, ab Officio Decanatus, quod per annos fere XXVIII. continuos summa cum laude administraverat, jam homo decrepitus, multisque infirmitatibus subiectus, nolens volens, præesse jubetur, statimque, ipsa nempe Electionis Die XXVII. Junii Anno MDXXX. confirmatur a Jacobo Hainrichman Episcopi Augustani Christophori a Stadion Vicario in Spiritualibus Generali. Præter jam dictum Hainrich-

richmannum, & Casparum Parthium J. U. D. & Ecclesiæ Collegiatæ ad D. V. Monachii Decanum, tanquam Commissarios Episcopales & Ducales, Electionis actui intererant Urbanus Præpositus in Raittenbuch Frisingensis, & Joannes Præpositus in Bernriedt Diœcesis Augustensis. Videtur fuisse electus in dissensione Fratrum, Vota sua in plures dispergentium, quamquam præ omnibus, si infirmitates corporis & ætatis excipias, hac Dignitate fuerit absolute dignissimus; erat enim Vir pius, doctus, prudens, & in rebus fere omnibus summe expertus; nec tantum Disciplinam Religiosam amaverat foveratque tanto tempore illibatam, sed etiam rem domesticam, multis ante annis, tanquam œconomus gnaviter utiliterque administraverat, imo, ut paucis dicam, jam dudum totum Monasterium tam in temporalibus quam in Spiritualibus, maxime in absentia Prælatorum, optime gubernaverat. Verum cum nondum Triennium effluerit, quo dolorificæ admodum Operationi, Sectionique Chyrurgicæ (Herinia enim laborabat) Augustæ Vindelicorum in tam provecta jam ætate sese subjecerit, infirmitatesque, quæ senium comitantur, in horas invalescerent, post anni unius curriculum, hanc Dignitatem, quam jam dudum meritus fuisset, una cum vita mortali exiit, ipsa Die Exaltationis S. Crucis Anno MCXXXI. qua Summum Domini Salvatoris Festum Pollingæ celebrabatur.

XXX.

GREGORIUS Petz, Dießa oriundus, sicut Conrado successit in Decanatu, ita nunc illi succedit in Prælatura. Electus is est paucis post obitum Prædecessoris sui diebus, nempe XXVII. Septembris, Anno MDXXXI. per viam Compromissi, ut vocant, mixti, Jacobo Hainrichmanno, & Caspare Parthio, quorum sæpius jam facta memoria, una cum Urbano Præposito Raittenbuchensi & Marco Hardero Decano ad S. Mauritium Augustæ Vindelicorum, actum hunc præsentia sua condecorantibus & confirmantibus. Etsi is ob injurias temporum complura prædia vendere coactus sit, alia tamen subinde comparavit, Canonix nostræ utilia.

Wilhelmo Duci Bavarix erat in paucis charus; hinc cum Anno MDXXXIX. haud procul Anglipoli, ubi Filius ejus, duodecim circiter annorum, tunc unicus, *Albertus* postea dictus *Magnanimus* in studiis morabatur, pestiferæ luis indicia sese præberent, non dubitavit, unicum hunc suum, eumque pretiosissimum thesaurum Pollingam, tanquam ad alterum tunc temporis Scientiarum Emporium, transferre, nostrique Gregorii tutelæ commendare, ubi non solum parvus iste Julius Boicus ultra integrum annum (quousque scilicet in Vicinia Anglipolitana omne abesset periculum) cum sat numerosa Curia atque famulatu hic adfuit, permanissetque, sed etiam in omni Litterarum amœniorum genere sub Magistro Paulo Gretz, tunc Decano, & Erhardo Eyrl Canonix nostræ professo (de quo inferius plura) tantos profectus fecit, ut Illustrissimus Progenitor suam desuper satisfactionem Gregorio nostro non una vice gratiosè testatam fecerit. Expensarium propter eundem Serenissimum Hospitem Pollingæ factum, propria Præsulis nostri Manu scriptum, adhuc exstat œconomix Boicæ Monumentum perpetuum, quod illius temporis Morem, rerumque pretium nobis optime depingit.

Cætera Gregorii Facta illustria hic non moramur. Sedit is Summa cum Laude annis XXXI. mortuus adscriptus VIII. Idus Augusti Anno MDLXII. Professione Jubilæus, de quo Chronographus noster paucis multa dicit, nempe, *præfuit, quamdiu præfuit.* Exstant adhuc tria Volumina Sermonum, typis dignissima, quos Gregorius noster in diversis Parochiis habuit, latino Sermone conscriptorum, in quibus Catholicam Fidem adversus Novatores egregie explicat, atque defendit. Anno MDXLIX. legitur interfuisse Synodo Provinciali Salisburgensi.

Sub ejus Regimine a Decanatu Pollingano ad Celeberrimam Ordinis nostri Prælaturam in Udenstorff vocatus est noster Paulus Gretz, de quo crebra jam occurrit Memoria. Hic Vir hic est, qui Anno MDXVII. una cum Sigismundo Diez præmatura jam dudum morte, Anno scilicet MDXX. abrepto, Anglipolim missus, publica ibidem Magisterii Laurea sub Doctore Joanne Eckio donatus est, tantaque Doctrinæ fama præ aliis effulsit, ut alter Eckius haberetur, imo Discipulus supra Magistrum. Erat is non vulgariter doctus Linguam Hebraicam, ut demonstrant varia ejus in hac lingua scripta, quæ adhuc exstant in Folio, ut ajunt. Latine autem scripsit tersissime, & nitidissime, ut Fragmenta, quæ Pollingæ adhuc exstant, satis loquuntur. In Oratione Funebri Ingolstadii publicis typis Davidis Sartorii Anno MDLXXVI. edita M.

Caspar Hell ejus Panegyrista, postquam in ejus Laudes fufe differuit, ad finem sic perorat: *Quæ quidam omnia cum dilucide admodum in te (te jam Virum Sanctissimum alloquor ó Paule) cernebantur, quis te nunc non beatum, non felicem predicaret? qui neglectis & spretis hujus mundi deliciis solitarium quoddam vitæ genus ingrediens in Instituto hoc Religioso, quod dicitur Canoniorum Regularium, ad LXII. annos religiose admodum vixisti, quindecim annis Decani Munere, non sine parva tuæ Pietatis atque Disciplinæ laude, functus fuisti, XXXII. Cænobii hujus Gubernacula retinuisti, qui vitæ cursum usque ad LXXX. ætatis tuæ annos consummasti, fidem servasti, Castitatem servasti, bonam Disciplinam servasti, Pietatem servasti, qui denique Murum te pro retinenda monastica Disciplinâ posuisti, & labores infinitos sustinuisti, quos equidem Deus Pater Omnipotens superioribus diebus liberaliter tibi remuneravit, quod te, cum satis annorum haberes, LXXX. nimirum egressus, cum satis Dignitatum & Laborum Muneribus apud Summos Christiani Orbis Viros catholicos perfunctus esses, in Cænobio Fidei tuæ quondam commisso, rebus prius omnibus confectis riteque dispositis, ex hac lacrymarum valle ad beatissimam illam cælestemque Patriam, ad quam tot laboribus & vigiliis diu aspirasti, morte tam felici & placida benigne & misericorditer evocavit, evocavit, inquam, in medio studiorum tuorum Musæolo & laborum scholasticorum Hypocausto, in charissimorum tuorum Confratrum & Patrum pro te agonizante devote flexis juxta lectum, in quo decumbebas, genibus comprecantium, in præsentia denique tot amicorum & doctorum Virorum, qui de morbo lethali conflantem minime deseruerunt, sed omnibus amicitia debitis officiis gratissimo animo eoque, donec in Manus Christi Salvatoris tui Spiritum tuum commendare, profequi voluerunt &c.* M. Joannes Engerdus Peëtices in Academia Ingolstadiensi Professor Ordinarius Pauli nostri Vitam, Studia, & Mores egregios funebri etiam Carmine profecutus est, ibidem impresso &c. & hæc de his.

XXXI.

Qui hucusque ultra XXX. annos Rem domesticam gnæviter & utiliter sub Gregorio administraverat, ERHARDUS Eyrl Amergaviensis, hujus loci Judicis filius, nunc jam senex ab Officio Cellariatus ad Prælaturam pro meritis suis vocatur. Electio ejus facta & confirmata est Anno MDLXII. die IV. Septembris a Michaële Dornvogelio Ottonis ex Illustrissima Truchsessiorum de Waldburg Familia, Episcopi Augustani ac S. R. E. Cardinalis Vicario in Pontificalibus & Spiritualibus Generali, Assistentibus Urbano Raittenbuchensi & Joachimo Steingadensi Præsulibus, cum Erasmo Venndio Ducis Baviariæ Alberti Secretario, Viro admodum litterato.

Præsulis hujus industria, bellum perpetuum otio indicentis, admiranda potius quam imitanda nullis sat laudibus extolli potest. Peritus in arte Scriba præter *Litteras plurimas* reliquit *Indicem* seu *Inventarium* Archivii nostri, nec non *Librum Ritualem* seu *Cæremonialem*, in quo Officium divinum in singulos anni Dies peragendum distinctis Characteribus juxta consuetudinem & modum nostri Monasterii accurate annotavit. Liber iste in 4to, præmissis Sanctorum Calendario, aliisque hanc Inscriptionem præfert: *In Nomine Sanctæ Trinitatis & individue Unitatis Breviarius de tempore & de Sanctis per circulum Anni secundum consuetudinem & modum nostri Monasterii feliciter incipit &c.* Omnes consuetudines Pollinganzæ quoad Ritus & Cæremonias hic accurate describuntur. Præter hæc extant IV. tomi in 8vo Sermonum Dominicalium & Festivalium, partim lingua latina partim vernacula conscriptorum ab eodem Erhardo Præposito nostro; in his potissimum tractatur de præcipuis illius temporis Fidei controversiis, elucetque in omnibus non solum bonus Catholicus, sed etiam cordatus Theologus. Joannes de Pechano Cantuariensis quondam Ecclesiæ Archi-Præsul ex Ordine Minorum assumptus edidit *divinarum Scripturarum Collectarium*, Parisiis Anno MDXIII. impressum; hoc Paulus Kretzius, de quo paulo ante locuti sumus, cæpit *augere*, Erhardus autem *complevit*, & ad finem perduxit Anno MDXLV.

Nec legnior fuit ejus jam in Prælatura constituti pro Bono Filiorum suorum Spiritualium Vigilantia. Dux Baviariæ Albertus V. fecerat ante V. circiter annos Gregorio Erhardi Prædecessori hanc Gratiam, ut Parochiam Walleshusanam jam dudum quoad temporalia & Spiritualia Canoniz nostræ incorporatam pro Parochia Peiffenbergensi, haud procul Pollinga distita, cujus Jus Patronatus una cum Jure Vogteicio ad prædictum Principem tunc pertinebat, permutare, hancque eodem Jure quoad spiritualia & temporalia, quo illam, deinceps posset possidere. Existimabat nempe bonus ille Præpositus ex viciniore Parochia Peiffenbergensi, quam ex Walleshusana

remo-

remotiore, plus commodi atque utilitatis sese capturum. Verum rem aliter se habuisse, Præfulemque enormiter sese decepisse tristes admodum Eventus ad oculum demonstrat. Gregorio interea ad meliorem vitam evocato, neo-electus Erhardus Canonice suæ fata miseratus nihil non agit apud præfatum Principem, ut dictam modo Permutationem cassare, totamque rem ad priorem iterum statum reducere dignaretur. Albertus, qui nihil aliud hac Permutatione intendit, quam dilectæ suæ a teneris Pollingæ ex titulo Gratitude beneficere, ejusque utilitatem promovere munifice, repente inspecta, Precibus supplicantis Erhardi sic annuit, ut non modo Parochiam Walleshusanæ, jam permutatam cum Peissenbergensi, in integrum restitueret, sed etiam Peissenbergensem (reservatis duntaxat sibi suisque Serenissimis Successoribus pro Præstatione annua Titulo Advocatiæ, VIII. Saccis Avenæ, & IV. Siliginis) Domino Salvatori in Pollingen, cujus ultra annum, Peste ut supra diximus grassante Ingolstadii, gratus inquilinus Cultorque a puero erat, nova Gratia perpetuaque Donatione, motu proprio adjiceret, vel ex hoc *Magnanimi* Cognomento Princeps vere dignissimus. En Litteras Magnanimitatis hujus testes perpetuas!

„ Von Gottes Genaden Wir Albrecht Pfalzgraue bey Rhein, Herzog in Obern
 „ vnd Nidern Bayrn &c. &c. Bekennen als ainiger Regierender Fürst für Vnns
 „ vnser Erben vnd Nachkumen, offenlich in Khrafft dis Briues. Nachdem
 „ Wir hievor im verschinen Sechzigsten Jar der wenigern Zal, weilend dem Er-
 „ samen in Gott vnserm lieben getrewen, Gregorien, Brobst vnser Closters Pol-
 „ lingen, auch dem Convent da selbs, auf Ir diemietig biten, vnser Jus Patronat
 „ vnd Lehen der Pfarrn Peysenberg, vmb das Pfarrlehen zu Waleshausen ver-
 „ wechslet vnd eingetauscht haben, vnd vnns aber seither von yezigem Prelaten
 „ zu vermeltem Pollingen, Brobst Erharden, mermals diemietiglich fürgetragen
 „ worden, wie solcher obberierter Wechsl vnserm Closter in vil weg, sonderlichen
 „ aber des ansehlichen Zehentts halben, der mit Waleshausen vnd dem Filial Pe-
 „ stenackher vergeben worden, nachtailig vnd beschwerlich falle. Das wir dem-
 „ nach gedachtem Brobst Erharden, vnd vnserm Closter zw sonndern Gnaden,
 „ obermeltem Wechsl widerumben aufgehelt, vnd die Sachen mit der Pfarr Wa-
 „ leshausen allerdings in den alten Standt gestellt, also vnd dergestalt, da yeziger
 „ Pfarrer zw Waleshausen Mang Stiglmaier mit tod verget, das die Pfarr Walles-
 „ hausen, sambt dem Filial Pestenackher widerumb zw vnserm Closter Pollingen
 „ eigenthumblich fallen, demselben zw ewigen Zeiten veraint, vnd incorporiert
 „ sein vnd beleiben, auch ain Jeder Prelat mit besetzung vnd entsetzung derselben
 „ hanndlen, thun vnd fürnemen solle vnd möge, wie von alter her, vnd ehe es
 „ zw merberiertem Wechsl khumen, der gebrauch gewesen ist, vnser vnd vn-
 „ serer Erben halben gennzlich vngerrt. Doch solle vorgedachter ieziger Pfarrer
 „ daselbs, Mang Stiglmaier, sein leben lang alda vnbeschwert beleiben, wie er dann
 „ auf den getroffenen Wechsl zu sollicher Pfarren durch den Ordinarium confirmirt
 „ worden ist. Wir haben auch verrer, zu erweisung noch merer Gnaden, vnd
 „ damit der Prelat vnd Convent vmb vnser zeitlich vnd ewigs hail andechtigi-
 „ chlich ze biten desto mer gelegenhait bekhumen, das Jus Patronat vnd Lehen der
 „ obermelten Pfarr Peysenberg, so wir gegen dem Pfarrlehen zu Waleshausen ver-
 „ wechselt hatten, auch gleichsals bey vnserm Closter Polling gelassen, der gestalt,
 „ das solliches hinfürter zw ewigen Zeiten bey demselben vnserm Closter auch be-
 „ leibe, vnd die Pfarr von dannen aus mit den Pfarrlichen Rechten versehen, oder
 „ sonnst nach jedens Prelaten willen besetzt werde. Verzeihen vnns also baidet
 „ mergemelter Pfarrn Waleshausen vnd Pestenackher Juris Patronatus vnd Le-
 „ henschaften, fü vnns vnser Erben vnd Nachkumen, hiemit gar vnd gennz-
 „ lich, in Khrafft dis Brieffs, vnd übergeben die aus Gnaden obberiertem Brobst
 „ Erharden, dem Convent vnd iren Nachkumen, wie das bestendigster form
 „ rechtens, vnd der heyligen Canonen Sazung nach beschehen solle, khan vnd
 „ mag. Doch behalten Wir vnns, vnsern Erben vnd Nachkumen auf der Pfarr
 „ Peysenberg ain ewige Vogtei bevor, also, das von dannen, nach absterben des al-
 „ ten Pfarrers von Peysenberg, deme sein Leben lang ain bestimbte Competenz von
 „ vnd aus vnserm Closter Pollingen gegeben windet, auf vnsern Chasten zu
 „ Lanndsparg jarlich acht Schäffl Habern, vnd vier Schäffl Korn, Chastenmaß, ge-
 „ dient vnd geantworth werden sollen. Aber mit Waleshausen soll es, nach
 „ Stiglmaiers tödlichem abgann anderst nit, dann wie vor dem getroffenen Wechsl,
 „ vnd als von aller herkhumen, gehalten werden. Das alles zu ewiger Vrkunt,
 „ haben Wir disen Brief mit aigner Hand vnderscriben, auch mit vnserm an-
 „ hängenden Secret-Innsigl bekhreffügt. Vnd geben in vnser Stat München,
 „ *Tom. V. Cann. Regg. Origines.* Rrr „ am

„ am tag der heyligen Junckhfrauen Barbaræ, im Jar nach der Geburt Christi tau-
 „ sent fünthundert fünf vnnnd sechzig.

Quando hæc permutatio facta est, Parochiam Peiffenbergensem regebat Joannes Spizwegg, ultimus ex Presbyteris sæcularibus Parochus; cum autem jam esset Senex, reservata sibi Pensione Angariali, sponte cessit Joanni Reismajr primo ex Regularibus ibidem Vicario Anno MDLVIII. ex quo tempore ininterrupta serie a Canonicis Pollinganis hæc regitur, Ottone Truchsessio S. R. E. Cardinale ac Episcopo Augustano cum Monasterio ob primos fructus de dicta Parochia deinceps solvendos transigente: Econtra ad Parochiam Walleshusanam tunc a Principe præsentabatur Magnus Stigl-majr, qui in vim Gratiolæ Dispositionis usque ad Annum MDLXIX, ultimum vitæ ejus, ibidem mansit; post obitum autem ejus successit iterum unus ex Canonicis Pollinganis Paulus Zwickl nomine; & ex hoc tempore Cura nunc dictæ Parochiæ usque in hodiernum diem penes nos iterum existit & existit ut prius. Sic nempe Magnanimo huic Principi, quem Patres Concilii Tridentini *Firmissimum Apostolicæ Ecclesiæ Propugnaculum* appellarunt, non sufficiebat adimplesse Justitiam usque ad ultimum Apicem, nisi amore Domini Salvatoris in Pollingen, erga quem a puero addictus erat, novas etiam Gratias adderet.

Anno MDLXX die XXVI. Januarii fit Erhardus noster Professione jubilæus; cum autem vires corporis semper magis magisque decrescerent, Onus Prælaturæ, quod IX. annis cum laude gessit, Anno MDLXXI. die XXV. Julii sponte dimittit; vitæ vero suæ finem imponit die III. Martii, Anno MDLXXIII. Vir non minus de Republica Litteraria, quam de nostra Canonica optime meritus.

Erhardo ad Clavum sedente sublimatus est ad Celeberrimam S. Nicolai prope Passavium Prælaturam Canonicorum Regularium Ord. S. Aug. Augustinus Arnold (sub Gregorio Prædecessore jam jussu Alberti Principis illuc vocatus) unus ex nostris Canonicis, Vir doctus & pius, qui XIII. annis & amplius, quibus præfuit, sedulus ac diligens Prælatus erat in sua Administratione. Obiisse illum legimus VIII. Idus Septembris, Anno MDLXXVII.

XXXII.

Resignante ultro, & præ senio, Erhardo per ostium legitima vocatione intravit Anno MDLXXI. die XXX. Augusti JACOBUS Schwarz, Dieffsa ex Senatoria Familia oriundus, postquam novem circiter annos tanquam Decanus Fratibus præfuit. Electioni intererant Joannes Schencking Ottonis S. R. E. Cardinalis ac Episcopi Augustani Vicarius Generalis, Assistentibus Udalrico Dieffsenfi & Urbano Raittenbuchensi Præpositis, una cum Sebastiano Gros de Trockau dicto Pfersfelder Decano ad S. Petrum Monachii, & Ulrico Romung de Seeholzen, tanquam Consiliariis & Commissariis Ducis.

Turrim Parochiali Ecclesiæ contiguam ipse extrui curavit; minores autem duas Campanas suis expensis adjecerunt Wilhelmus & Ferdinandus Fratres & Duces Bavariæ Anno MDLXXXVIII. Sacras Reliquias plures auro argentoque exornavit splendide, suoque Scuto Gentilitio, duos pisces se invicem bifecantes repræsentante in campo rubro, insignivit. Bibliothecam non quidem auxit, sed in ordinem redexit, ostendens, quid fuisset factururus, nisi debita ingentia, a temporibus Lutheri potissimum causa Religionis contracta expungere debuisset, quod & fecit providus & egregius Oeconomus. Ipso etiam volente imo urgente, Mensa Præpositi, quæ hucusque longis temporibus a Mensa Capituli fuit separata, nunc est unita. Præfuit is utiliter ultra XX. annos, & e vivis excessit die XXIII. Octobris Anno MDLXXXI.

Sub hoc Præsule Joannes Reismajr, Odratinga Canonice nostræ Vico oriundus, Vir probus & doctus, ex Canonico Pollingano & Vicario primo Regulari Parochiæ Peiffenbergensis, exauthorato Udalrico, creatur Præpositus in Dieffen, ubi magna cum utilitate præfuit annis XV. desiitque vivere IV. Idus Aprilis Anno MDLXXXIX.

XXXIII.

CASPAR Leis, Ottingæ prope Pollingam natus, ex Custode Ecclesiæ electus est in Prælaturam Die XXV. Novembris, Anno MDLXXXI. præsentibus Joanne Hierony-

ronymo Stor de Ostrach saepe dicti Episcopi Augustani Vicario In Spiritualibus Generali, Davide Andecensi & Hieronymo Wettenhusano Præsulibus, una cum Udalrico Hacker Canonico ad D. V. Monachii, & Sebastiano Preuen in Gasselsperg & Azlburg Cameræ Ducalis Consiliario & Præfecto in Thonaustauff, tanquam Commissariis Ducis.

Anno MDCVII. cæpit novam, destructa veteri, ad Ecclesiam Domini Salvatoris ex quadrato lapide, quem tuphum vocamus, ædificare Turrim; ad prius vitæ quam operi huic & raro & sumptuoso, quod ultra medietatem non promovit, finem imposuit, etsi annos XXV. & ultra, Prælaturæ Dignitatem tenuerit, Rebus humanis exutus die XIII. Februarii, Anno MDCXVI. Synodo Dicecesano sub Henrico Episcopo Augustano Anno MDCX. celebrato interfuit.

Sub hoc Prælato promotus est ad Prælaturam Ordinis nostri celeberrimam in Dietramszell Paulus Hirschauer; Anno MDLXIII. die VI. Septembris Pollingæ professus, optime de illa Canonica meritis, quem Professione & Sacerdotio Jubilæum Anno MDCXXII. die XII. Julii obiisse legimus.

XXXIV.

KILIANUS Westerrieder ex Cellerario, cujus Officio aliquamdiu cum magna utilitate præfuit, electus est *per viam Inspirationis nullo penitus discrepante*, ut habent Acta, Anno MDCXVI. Die VII. Aprilis, Actum hunc ipsa statim Electionis Die ex Commissione Henrici, ex illustri Familia de Knöringen, Episcopi Augustani, loco Vicarii Generalis, confirmante Jacobo Prælato Wettenhusano in Præsentia Commissariorum Ducalium Henrici Anslæi Canonici ad D. V. Monachii simulque Præpositi in Habach, & Alberti Dichtl de Fuesberg & Duzingen Consilarii Principis & Præfecti in Starenberg, compluriumque vicinorum Prælatorum, Wolfgangi Bernriedensis, Simonis Dieffenensis tanquam Scrutatorum, uti etiam Michaëlis Andecensis & Gregorii Wessofontani, aliorumque Virorum honoratorum complurium.

Præsul hic, nulli Prædecessorum suorum secundus multa præstitit, quibus laudem ac memoriam apud nos promeritus est immortalem. Claustrum, Dormitorium ac Refectorium sic reparavit, ut novam hæc omnia tunc faciem induisse visa fuerint. Pro decore Domus Dei zelatus est plurimum. Nam Ecclesiam Domini Salvatoris vix non ex toto aliam, eamque ampliolem, augustiolem, ac ornatissimam fecit. Altaria in eadem Ecclesia posuit duodecim una cum IV Organis Musicis, quod non facile in aliis Basilicis reperietur. In Ara Principe miraculosam Crucem Domini Salvatoris statuit, repositis supra ac infra Crucis Brachia Sacris SS. Virginum ac Martyrum Severinæ ac Perpetuæ Corporibus; Aram hanc una cum Ecclesia XII. Kalend. Octobr. Anno MDCXXVIII. consecravit ipse RR. ac Celsissimus S. R. I. Princeps & Episcopus Augustanus Henricus ex illustri Familia de Knöringen, residua vero undecim ejusdem Ecclesiæ Altaria ojusdem Suffraganeus Petrus Wallius Episcopus Adramitanus VI. Idus Maji Anno MDCXXIX. Geminam Confraternitatem instituit, primam S. Crucis pro impetranda felici Morte Anno MDCXXI. a Gregorio XVto Indulgentiis perpetuis donatam, alteram per Reverendos Patres e Familia S. Dominici in honorem SS. Nominis Jesu pro abolendo Blasphemix nefando Crimine Anno MDCXXVII. quæ utraque hodieum floret.

Anno Regiminis VI. Christi vero MDCXXI. detectum est haud procul ab Ecclesia parochiali Hypogæum Conditorium, quale fere Servatoris nostri in Palestina visitur, ex quadrato lapide a Solymipetis reducibus Sæculo XII. in illo loco, ut conjicitur, exstructum, in quo Sæculo VIII. Sanctam Crucem a Thassilone repertam crediderunt. Hac ipsa occasione inventus est lapis rotundus certis Characteribus, Numeris aut Signis insignitus, adeo tamen obscuris, & maga ex parta abrasis, ut hac in re expertissimi haud aliquid inde divinare potuerint, ceu ex mutuis Raderi, celebris tunc temporis Jesuitæ, aliorumque cum Kiliano Litteris patet. Cæterum hunc ipsum locum Religiosissimus Antistes nobiliorem ac illustriorem reddidit Sacello venustissimo in Formam Crucis cum tribus Altaribus desuper exstructo, quod in honorem S. Caroli Borromæi consecrari fecit per Sebastianum Miller Episcopum Adramytanum ac Suffraganeum Augustanum die XXV. Novembris Anno MDCXXXI.

Post divini Cultus augmentum non minori Sollicitudine vigilavit pro Regularis Disciplinae incremento; dum pro eadem conservanda, veteribus non nihil repurgatis, nova condidit Statuta, ab Henrico Episcopo Augustano confirmata die XIV. Aprilis Anno MCCXXI. Ut Canonici sui semper bene occuparentur, ac in omni Eruditionis genere tam Sacrae quam profanae crescerent, idoneosque Pastores Ovibus sibi concreditis ipse praeficeret, laboravit plurimum. Hunc in Finem Canonicos aluit in Universitatibus, maxime Anglipolitana, ubi & ipse Philosophica & Theologica Studia una cum Jure absolvit, studiorum causa complures; Bibliothecam vero magno Librorum Selectissimorum Numero locupletavit. Licentiam aedificandi Monasteriolum seu Residentiam pro IV. Religiosis Canonicis in Forsterried, ut hac via Cultus Thavmaturgae Crucis ibidem ampliora sumere posset incrementa, a Serenissimo Bavariae Duce Maximiliano I. obtinuit Anno MDCXXII.

Ast haec aliaque plura pro Dei suiue Collegii honore meditantem praepedivit Mars & Furor Suecicus Bavariae incumbens, cui cum suis cedere, & inter Tyrolenses Alpes aliquamdiu latere coactus fuit Anno MDCXXXII. & sequenti; dum interea hostis ingentia Monasterio damna intulit, Victualia omnia, Pecora, ac Utensilia quaeque, imo ipsa ornamenta Ecclesiastica diripiendo, nec non Villam Gossenhoven, aliaque Praedia complura in cineres redigendo. Praeter haec hosti in praedam cesserunt Lipsanthecae aliquot, aliaque ex argento confecta vasa tam sacra quam profana ad tria florenorum millia taxata, in obscuro loco recondita, sed hosti prodicione aperta. Insuper, ne flamma Monasterio Ecclesiaeque ingentibus Sumptibus vix exstructae injiceretur, malum hoc deprecari necesse fuit, soluto Augustae Vindelicorum Governatori Suecico Benedicto Oxenstirn ingenti Lytro. Redux tandem ex fuga Praesul, cum devastationem spoliationemque sui Collegii coram cerneret, haud diu vivus superstitit, Calamitatibus, quibus obrutus fuit, mortem accelerantibus, quam piissime oppetiit V. Aprilis Anno MDCXXXIII, sepultus inter Sacristam & Sacellum B. V. M. de Achberg ex post nuncupatae.

Praesidente Kiliano Joannes Chryostomus Sutor ex Canonico Pollingae professo, tunc Decanatus Munere apud nos functo, natus Pollinganus, fit Praelatus & Archidiaconus Raittenbuchensis die XXII. Decembris Anno MDCXIX. qua Dignitate post VII. annos libere abdicata elegit potius in humili salvari, quam in alto periclitari, annis exinde XXX. in Superiori Peissenberga ad B. V. Mariam prudentis ac praeservidi Confessarii nec non Ecclesiasticis Munere functus, Octogenario major, bis Jubilaeus, die XIII. Januarii Anno MDCLXVI. Deo animam reddidit, sepultus Raittenbuchii in Sacello Veteri; ubi etiam egregium Ingenii sui Partum, Librum scilicet Sacrae Ascensi plenum, reliquit. Alius autem Canonicus Regularis, Melchior Faber nomine, tunc temporis, quando Sueci in Bavariam irruebant, Vicarius & Pastor in Peissenberg, cum nollet oves sibi commissas instar Mercenarii deferere, misere in ipsis aedibus parochialibus occisus est a Sueco Milite die XXXI. Maji Anno MDCXXXII. Cooperatore ejus Gerhoho Mayr, similiter Canonico Regulari, fuga in Styriam, ubi mortuus, vix elapso.

XXXV.

HARTMANNUS Koch, post absoluta Anglipoli studia aetate adhuc juvenis ad varia Officia applicatus, sed moribus maturus & canus, & jam Sub-Decanus in praesenti rerum statu, ubi Mars Suecicus omnia devoraverat, Fratrum Calculo vix non unanimi, duobus duntaxat discrepantibus, omnium dignissimus censebatur KILIANI Successor. Electio ejus incidit in diem VII. Maji Anni MDCXXXIII. ut habent Acta, praesentibus ex parte Episcopi Georgio Krausio SS. Th. D. ad hunc Actum specialiter deputato, ejusdemque Episcopi Sacellano ac Consiliario, ex parte autem Electoris Bavariae Joanne Adolpho Dichtl de Duzingen, ejusdem pariter Consiliario ac Praefecto in Starenberg, una cum duobus Praesulibus tanquam Scrutatoribus Othmaro Gebolzrieder Abbate in Ettal, & Michaelle Fischer Praelato in Raittenbuch.

Verum Hartmannus noster Sarcinam, quam cum Praelaturae Dignitate in se suscepit, ultra annum cum dimidio haud tulit, lue pestifera, quam Miles Burgundicus viciniae nostrae, ut putabatur, intulerat, una cum aliquot e suis Canonicis, qui contagiosis magna cum charitate assistebant, quam citissime, & hora, qua non putabat, e medio sublatus, & in parochiali Ecclesia absque omni Pompa terrae mandatus Anno MDCXXXIV. die XXVIII. Octobris, aetatis XXXIV. Relictis duntaxat XXIV.

flore-

Rorenis, Debitis autem passivis, quæ ob irruptionem Sueci Militis Kilianus jam fecerat, & ipse adhuc augere coactus fuerat, valde magnis.

XXXVI.

Viduata per mortem HARTMANNI, peste tam subito erepti, Canonici, diu deliberatum erat, ubinam futuri Prælati Electio in tam delicatis temporis circumstantiis foret instituenda; jamque Peiffenbergæ, jam etiam Schongavium pro loco Electionis destinabantur; tandem tamen, cum sanior jam aura in Agro Pollingano redire videretur, in loco ipso Pollingæ electus est SIGISMUNDUS Pfchorn, non paucis ex Electoribus absentibus & suffragia sua per Schedas submittentibus. Quinam autem Præsides aut Commissarii aut Scrutatores Prælati huic Electioni interfuerint, nos adhuc dum latet: id solum scimus Electionem, cui aliqui Commissarii Electorales intererant, habitam fuisse Pollingæ die XXVII. Novembris Anno MDCXXXIV, quam Sallerus noster in suo Libello *Heiliger Sebaz von Pollingen &c.* nescio, quo errore seductus ultra diem VII. Maji, quem Hartmanni emortualem credidit, sequentis anni, attamen contra fidem omnium Documentorum, extendit.

Sigismundus vix electus, ut haberet, quo suos relictis sibi a demortuo Præsule tantum XXIV. ut diximus, florenis in summa rerum omnium penuria aleret, non solum Prædia Opima Nebel, Schellenberg, Forcha &c. die XV. Januarii Anno MDCXXXV. vendere, sed etiam, ut Electori ac Duci suo pro necessario Patriæ Defensione contribuere posset, paulo post totam fere Suppellectilem Sacram, in specie duas Statuas argenteas Christi Domini & B. V. Mariæ, item alias duas S. Augustini & S. Caroli Borromæi una cum Candelabris, aliisque Sacris Vasis, quæ adhuc hostium manus effugerunt, confringere coactus fuit. Huic malo accessit aliud, Canonici nostræ non minus grave, adversa scilicet Præsulis nostri valetudo, & vix non perpetua ejus infirmitas; & quamvis ætate adhuc floridus, viribusque robustus videretur, brevi tamen ob frequentem Thermarum usum, qui quotannis ex Consilio Medici repetebatur, satque caro steterat pretio, adeo debilitatus est, ut jam vix ossibus hæreret.

Præsuit is IX. annis cum dimidio, lenta morte confectus; cum enim die XII. Martii Anno MDCXLIII. Monachium abiret, recuperandæ Sanitatis Gratia, de die in diem pejus se ibi habere cepit, donec tandem die XII. Maji ab hac infirmitate solutus, sacroque Viatico munitus ad cœlestia, ut speramus, Gaudia transferit. Obiit autem Monachii in ædibus Ferdinandi Pirchingeri nobilis Senatoris & Pharmaceutæ celeberrimi, Fautoris nostri optimi. Demortui Cadaver Pollingam translatum ante Aram B. V. Mariæ in Cœlos assumptæ, sepulturæ traditum est. Sigismundus noster Weihemio oriundus erat; amabatque Sales & Jocos honestos, quibus amarissimas etiam horas sibi dulcorare atque condire sciebat.

XXXVII.

Antherus Azwanger, Störzinga in Tyroli oriundus, Nobilis Provincialis, quondam comprofessus, nunc Successor SIGISMUNDI, inter tumultus Belli Suecici pacifica Electione promotus est ad Prælaturam in Festo decem Millium Martyrum nempe Die XXII. Junii Anno MDCXLIII. In hunc non tam Dignitas Officii, quam malorum ac calamitatum omnium congeries translata est, quibuscum luctari debuit, quousque tandem post tricennale Bellum Germaniæ Anno MDCXLVIII. Pax optata rediit. Quæ & quanta autem in repetita Irruptione Militis Suecici & Fœderatorum Anno MDCXLVI. ubi pleraque ferme Prædia aut exusta aut spoliata legimus, sustinuerit, cum brevibus dicere verbis non possumus, hic transimus.

Dehinc autem, nempe a tempore Pacis reddita, bonus ac providus Pastor nihil omisit, quo damna a Sueco Milite potissimum illata refarciret; quod adeo feliciter præstitit, ut præter rem domesticam restitutam, villasque Monasterii de novo ædificatas, Grandem Hierothecam ex auro argentoque affabre factam ac Progenitores Christi ex Jessæa Stirpe descendentes representantem, perpetuum administrationis laudabilissimæ ac singularis Devotionis Monumentum inter Sacra Ecclesiæ Cimelia reliquerit, multaque Debita deleverit. Senio tandem viribusque fractus Dignitate sponte se abdicavit ipso Die Exaltationis S. Crucis Anno MDCLXIX. altero mox anno XIV. Januarii placida morte extinctus, & ante Aram S. P. Augustini sepultus. Præsuit ultra annos XXVI. austerus sibi aliisque, quique suos magis Imperio quam

charitate, attamen cum discretione regebat. Magna quoque Gratia pollebat apud Mariam Annam Ducissam Bavariæ Maximiliani I. Electoris relictam Viduam, qua & ornamenta ac Vestes Sacras pro Missa Solemni ex aureis, argenteis ac holosericis flis acu pictas; quas propriis manibus cum aliis de Gynæceo suo confecerat, Domino Salvatori in Pollingen dono dedit, quibus postea Ferdinandus Maria Elector ac Dux Bavariæ sex Candelabra argentea addidit.

Anthero Res Pollinganas administrante Joannes Fridericus Morhard de Offenwang in Romeck, Testamento III. Maji Anno MDCLXIII. confecto, Domino Salvatore in Pollingen legavit Castrum seu Arcem suam nobilem Romeck, una tantum hora Pollingana distantem, una cum omnibus Prædiis, Molendinis, Tabernis, Censibus, Redditibus, Decimis, hominibus, Jurisdictionis fructibus, & universis pertinentiis mobilibus & immobilibus, feudalibus & allodialibus ad eandem Arcem pertinentibus, certis tamen conditionibus adjectis, 1mo, ut prædictum Castrum deinceps nunquam alienetur, sed perpetuo incorporatum Monasterio maneat. 2do, ut Canonici singulis septimanis tria Sacra legant ad intentionem ab eodem in vivis factam. 3tio, ut Lumen perpetuum in Ecclesia parochiali Hugolving per eosdem foveatur. 4to, ut Eleemolyna in carne & pane juxta quantitatem præscriptam in ejusdem Anniversario singulis annis in pauperes, post fufas in Arce determinatas alta voce preces, distribuatur. Obiit prædictus nobilis Testator ac Fundator Die XVII. Novembris Anno MDCLXVIII. sepultus in Sacello S. Sebastiani M. per suos antecessores Ecclesiæ in Hugolving annexo; in ejus Sancti Honorem prænominatus Fundator An. MDCLXII. Confraternitatem ibidem instituit, quam liberaliter ab eo fundatam, & ab Alexandro VII. ejusque Successoribus Indulgentiis decoratam Episcopus Augustanus approbavit. Protectio Confraternitatis perpetua est penes Prælatum Canonice Pollingensis, tanquam Dominum Arcis Romeck.

Ad perpetuam supradictæ Foundationis ac Donationis Memoriam conservandam marmoreo lapidi in Ecclesia Pollingana ad latus Epistolæ prope Altare Venerabilis Sacramenti posito sequentia incisa leguntur:



Omnia in Deo

Nobilis Vir Joan. Frid. Morhard ab Offenwang in Romegg ultimus suæ Familia dedit per Dei Gratiam Ecclesiæ Pollingensi in Foundationem perpetuam Castrum Romegg cum agris, Decimis, Subditis & Pertinentiis pro tribus Sacris (septimanis singulis legendis) Eleemosynaque certa panis & carnis annuatim distribuenda, lumineque perpetuo coram Venerabili in Hugolving conservando, uti ex Foundatione III. Maji Anno MDCLXIII. Monasterio data patet. Obiit Anno MDCLXVIII. Die XVIII. Novembris. Tu Viator Vale, vive sequere.

XXXVIII.

Resignante sponte ANTHERO, cujus Resignationis Instrumentum adhuc supereft, CLAUDIUS Planck, spectata Monachii ortus Familia post absoluta Dillingæ studia severiora, annosque non paucos in Parochiis Walleshufana, Peissenbergensi, & Forsterriedensi magno animarum Fructu consumptos, Præpositus renuntiatur VII. Die Octobris Anno MDCLXIX. a Prudentia, Comitatu morum, Benignitate in suos ac exteros laudem promeritus semper singularem. Ferventissimus is Religiosæ Disciplinæ existit Amator, suorumque Canonicorum togas ex albis deinceps nigras esse voluit, quod & in aliis per Augustanam Diocesin Canonicorum Collegiis observari cepit: facundus cæterokin Verbi divini Præco, etiam in Dignitate constitutus, non intermisit frequentius e suggestu ad Populum dicere. Sacras Reliquias Hosti acatholico provide ab Antecessoribus subtractas, suoque hucusque Ornatu destitutas magnis sumptibus Decoris ac Venerationi pristinae magna ex parte restituit. Statuæ B. V. Mariæ (quam Justina Töpslin Monacensis Anno MDCLVIII. fieri curavit, & ad Sacellum in Achperg tunc noviter erectum, ac magno eo peregrinantium numero famosum, sed aliorum contrariis molitionibus denuo eversum destinaverat) propriam Capellam, Ecclesiæ Domini Salvatoris in Pollingen contiguam, in eaque perpulchrum Altare apparavit; ubi Deipara Gratiarum Mater, plurimis benefica, magna devotione colitur.

Villam insuper Rottsee de novo construxit. Pro VIII. Urnis vini, haftenus ex certis Prædiis ac vineis apud Oppidum Clusam levatis, emit Anno MDCLXXXVIII. duas Vineas in Ober- & Unter-Lana in Superiori Mais fitas. Anno denique Regiminis XII. diris calculi doloribus confectus vivere desiit die XVI. Januarii Anno MDCLXXXII. omnibus, qui noverant, de Jactura tam amabilis Præfulis acerbe dolentibus. Exanime Cadaver jacet in medio templi prope Clathrum, quod partem Ecclesiæ anteriorem a posteriore distinguit.

XXXIX.

VALERIUS Paudrexl Peiffenbergensis post absoluta Anglipoli studia Sacratiora præclarum ac fervidum animarum Pastorem egit annis XIV. ad S. Crucem in Forsterried; exinde ad Monasterii Regimen per Canonicam Electionem assumptus, clara Antecessorum suorum pressit vestigia. Electus is est per viam Scrutinii Anno MDCLXXXII. Die XVI. Februarii, Præsidente Francisco Ziegler Joannis Christophori ex Illustrissima Familia de Freyberg Episcopi Augustani Vicario Generali, præsentibus quoque, tanquam Scrutatoribus, Renato Dieffenfi & Ottone Bernriedensi Præfulibus; ex Commissione autem Serenissimi Electoris huic Actui Solemni intererant Joannes Jacobus Thalman de Niderfels ad D. Virginem Monachii Decanus, & J. C. Oswald J. U. Doctor.

Vienna anno insequente obsessa a Turcis, in ipso statim Regiminis sui ingressu dura admodum Fata expertus est, contribuendo cum aliis pro conservanda Religione Catholica, quod & libenter fecit, cum sancte ac fideliter sciebat expensum, quidquid ad hunc finem fuerat impensum, etsi id sine novis Debitis non fuerit factum.

Hic primus fuit ex Præfulibus Pollinganis, qui ab Innocentio XI. Summo Pontifice, datis prius ab Episcopo Augustano Joanne Christophoro, singulari Canonice nostræ Fautore, commendatitiis Litteris, Usum Mitræ ac Baculi præter alia Pontificalia Insignia, favoresque Apostolicos accepit; etsi ægre, ac non nisi amicorum precibus devictus Solemnem postmodum Inaugurationem, ac Benedictionem ipsam admiserit Anno MDCXC. Die XVI. Aprilis ab Episcopo Dioclenfi Eustachio Egolpho a Westernach, Episcopi Augustani in Episcopalibus Suffraganeo, assistentibus sibi Præfulibus Infulatis Felice ad S. Crucem Augustæ Canonicorum Regularium Præfato, & Quirino Abbate in Monte Sancto Andex, aliisque vicinis Prælati compluribus. Operæ pretium videtur, ipsam Bullam Pontificiam hic subijcere:

Innocentius Servus Servorum Dei ad perpetuam Rei Memoriam. In Apostolica Dignitatis solio, & Potestatis plenitudine, Summa Redemptoris nostri Clementia meritis licet imparibus constituti ad ea libenter intendimus, per quæ provisionis nostræ auspiciis Monasteria insignia, eorumque Abbates seu Præpositi eis pro tempore Præsidentes majoribus semper honorum, & dignitatum prærogativis extolli, & decorari valeant; Sane pro parte dilecti Filii Valerii Baudrexel moderni Præpositi Monasterii S. Crucis, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium loci Pollingensis in Bavaria, Augustana Diæcesis, Provincia Moguntina, Nobis nuper exhibita petitiio continebat; Quod cum in dicto loco, quod amplum, valdeque celebre, ac inter alia Monasteria illarum partium maxime insigne existit Monasterium S. Crucis præfatum, per Præpositum Abbatem nuncupatum regi, & gubernari solitum, a novem jam Saculis institutum reperiat, cujus ipse Valerius modernus Præpositus jam dudum suscepto dicti Ordinis habitu, magna cum laude Monasterii S. Crucis hujusmodi Canonicorum Regularium, qui in illo viginti sex boni, litterarum periti, & exemplares Sacerdotes, cum duobus Novitiis, & duobus aliis Laicis nunc reperiuntur, Regimen hucusque supportavit, in eoque, sub dicti Valerii Regimine & Gubernio, Religiosa Disciplina, Doctrina, & Observantia Regularis ita vigeat insignita, & floreat, ut pauca similia Monasteria, quæ tam in spiritualibus, quam temporalibus Deo conservante emineant, reperiantur; dictum vero Monasterium S. Crucis nulla speciali prærogativa gaudeat, plurimum tamen decori, venustati, ac Dignitati Ordinis & Monasterii S. Crucis hujusmodi conveniat, ut in aliquo a Nobis & Sede Apostolica condecorari mereatur; Quare pro parte dicti Valerii Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus dicti Monasterii S. Crucis Decori, divinique Cultus incremento consulere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur, qui Monasteriorum, aliorumque Ecclesiasticorum locorum, & Abbatum, seu Præpositorum illis Præsidentium, decorem & venustatem summo opere exoptamus, eundem Valerium, ejusque Successores dilecti Monasterii S. Crucis pro tempore Præpositos, specialis Gratia favore prosequi volentes,

lentes, ipsumque Valerium a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & penis a Jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super Ritibus Ecclesiasticis Præpositorum ipsi Valerio, ut ex nunc, & deinceps perpetuis futuris temporibus, tam ipse Valerius, quam pro tempore futuri dicti Monasterii S. Crucis Præpositi Mitra, Annulo, & Baculo Pastoralibus, ac aliis Pontificalibus Insigniis uti, nec non in prædicto, ac quibuscunque aliis Monasteriis, Prioratibus, locis, & Ecclesiis ab eo dependentibus, ac ejusdem Monasterii S. Crucis, & illius pro tempore existenti Præposito subjectis, in quibus ipse Præpositus pro tempore existens, in Pontificalibus celebrabit, Benedictionem Solemnem post Missam, Vesperarum, & Matutinarum, ac aliorum Divinorum Officiorum Solemnia supra populum inibi existentem, dummodo ibidem aliquis Antistes, seu Sedis præfate Legatus præsens non fuerit, vel si præsens sit, ejus ad id expressus accedat assensus, elargiri, ac Cruces, Imagines, Calices, Campanas, Vasa, Tabernacula pro conservatione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, & Reliquiarum Sanctorum confecta, nec non Altaria, Corporalia, Vestimenta etiam Sacerdotalia, & alia Paramenta, & Ornamenta Ecclesiastica quacunque, in quibus Sacri Olei, vel Chrismatis Unctio non requiritur, pro præfato, præfati- que Monasterii S. Crucis, & aliorum illi subjectorum Monasteriorum, Prioratuum, & locorum a dicto Monasterio S. Crucis dependentium usu tantum cum Solemnitatibus solitis, & Ceremoniis juxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritum, morem & consuetudinem benedicere, Monasteriorumque, Prioratuum, & locorum hujusmodi Ecclesias, ac Cemetèrii, quæ Sanguinis, seu Seminis humani effusione pollui contigerit, Aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antistitem, Gratiam & Communionem Sedis Apostolicæ habentem, ut movis est, benedicta reconciliare libere & licite valeat Apostolica Auctoritate de Consensu Venerabilis Fratris nostri Episcopi Augustani Provinciæ Moguntinæ, tenore præsentium concedimus, & perpetuo indulgemus, plenamque, liberam, & omninodam facultatem, & Auctoritatem desuper impartimur, decernentes easdem præsentibus semper & perpetuo validas, & efficaces fore, & esse, ac sub quibusvis similibus & dissimilibus Gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus minime comprehendendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum Statum restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas, ac denuo etiam sub quacunque posteriori Data quomodocunque eligenda concessas esse, & fore, sicque per quoscunque Judices Ordinarios vel delegatos quavis Auctoritate fungentes judicari, & desiniri debere, irritum quoque & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis Auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Monasterii S. Crucis, & Ordinis hujusmodi etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque; Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Absolutionis, Concessionis, Indulti, impartitionis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleesimo sexcentesimo octuagesimo, tertio decimo Kl. Januarii, Pontificatus nostri Anno tertio decimo.

Ut præsens Apostolicum Indultum a Sua Sanctitate Reverendiss. D. Ordinarii præhabito, & in Romana Cuvia producto consensu demississime impetratum ad suum effectum deduci possit, harum per tenorem conceditur.

Ex Officio Vicariatus Augustæ die 26. Martii 1689.
Franciscus Ziegler Vicarius Generalis.

(L. S.)

Ambrosius Appell Sigillifer.

Non

Non possumus hic, neque debemus silentio præterire insignem Benefactorem nostrum, perillustrem scilicet Comitem Jacobum Antonium de Cefana & Colle in Schönpühl, Præfectum electoralem Weilhemii, qui primus fere Motor exstitit Canonicis Pollinganis, ut pro impetranda Mytra aliisque Pontificalibus Ornamentis Antistitis sui Augustam, Romamque supplicarent. Quemadmodum enim is, tanquam devotissimus Thavmaturgæ Crucis Cultor, Dominum Salvatorem in Pollingen, durante vita sua, tenerrima semper dilectione complexus erat, ita & in morte hujus memor, ut ejus promoveret honorem, VI. Aprilis Anno MDCLXXXVIII. mille ac quingentos florenos pro Ove Paschali, ut scribit testator, ea conditione Monasterio nostro legat, ut pro quingentis florenis Lampas argentea, scuto ejus gentilitio insignata, conficiatur, in eaque Lumen perpetuum anta Aram S. Crucis conservetur, residui autem mille floreni serviant pro expensis ad comparandam Mytram, Pedumque Pastorale necessariis, quod & factum est.

Præfuit autem Valerius utiliter & laudabiliter annis fere XIX. magnoque suorum luctu e vivis ereptus est Die XX. Januarii Anno MDCCI sepulturamque accepit Sacristiam inter & Sacellum B. V. Mariæ de Achberg dictæ, tactus Apoplexia Monachii, dum illuc ad publicas Nundinas Negotiorum causa abiret; rediit tamen adhuc Domum, sed jam factus elinquis, brevi post pie in Domino obiit. Præter alia ædificia, quæ reparavit, Domum œconomicam cum stabulis, duo itidem Sacella, unum in Villa Goffenhoven Anno MDCLXXXIX. alterum in Villa Harrsee Anno MDCXCI. e fundamento nova excitavit. Scientias & bonas Artes promovit plurimum, suosque Canonicos in variis Academiis aluit non modicis expensis, quos inter ad Magistriam in Disciplinis Philosophicis complures, in Theologicis autem Scientiis duo, nempe Albertus Ofwald, & Philippus Saller, de quibus inferius plura, ad publicum Doctoratus Gradum Dillingæ, ipso sic volente, promoti sunt. Scientias quoque Mathematicas, Linguasque peregrinas, quarum & ipse admodum gnarus erat, Pollingam introduxit totis viribus; eminuere in his præcipue Prosper Pichlerus Monacensis, & Dominicus de Bartholamedis Oenipontanus, ambo tam in Theoria quam in praxi insignes Mathematici. Parochias insuper nobis incorporatas semper providit optimis Pastoribus Scientia & Pietate clarissimis; ac nihil demum omisit, quo Gloriam Domini Salvatoris, Salutemque suorum Canonicorum posset promovere, ceu ipsius *Exhortationes Capitulares*, quas statis vicibus habuit, adhuc testantur. Thesaurum SS. Reliquiarum, Cultumque Sanctorum insigniter etiam auxit; a Flavio Chisio S. R. E. Cardinale & Episcopo Portuensi obtinuit Corpus S. Constantii M. Anno MDCLXXXVIII. Die XXIX. Decembris, ex Cæmeterio S. Marcelli M. a Casparo de Carpineo S. R. E. Cardinale, & in Urbe Vicario Generali Corpus S. Victorini M. anno eodem, Die XI. Decembris ex Cæmeterio S. Pontiani. à F. Josepho Eufanio Aquilano Ord. Eremitarum S. Augustini Episcopo Porphyriensi, & Sacarii Apostolici Præfecto Corpus S. Benigni M. Anno MDCXC. die IX. Octobris ex Cæmeterio Callepodii una cum Capite S. Bonifacii M. Anno MDCLXXXVIII. Die XVI. Decembris extractum. Sub hoc Præfule Joannes Udalricus Fill a Windach L. B. de Cammerberg, utpote Valerio nostro addictissimus, Arcam, in qua veneranda Ossa S. Antheri P. M. jam dudum ab hac Illustri Familia huc donata, excepto tamen Capite, Religioso Cultu hic asservantur, argento splendide exornari curavit, addita per ejusdem Conjugem Mariam Reginam, natam Pergerin, ac Baronissam de Emslieb, prædicti S. Martyris argentea Statua, in cujus Basi asservatur Sanguis sæpe dicti Martyris Vasculo vitreo inclusus.

XL.

ALBERTUS Ofwald, Fridbergæ Oppido prope Augustam Vindelicorum oriundus, SS. Theologiæ Doctor, ex Decano, tertio, ut ipse nos *in suis Ephemeredibus* docet, scrutinio Canonice eligitur in Prælatum Anno MDCCI. Die XXVIII. Februarii. Præses hujus Electionis Canonice erat Joannes Casimirus Röls Augustæ Vicarius Generalis SS. Theologiæ Doctor, & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, Assistentibus Andrea Dieffensi, & Joanne Bernriedensi Præpositis. Deputati a Serenissimo Baviaræ Duce, & Electore Maximiliano II. Commissarii erant Joannes Ertl Consiliarius & Canonicus ad D. V. Monachii, & Joannes Fridericus de Machausen cum Secretario Schiltelio. Mytra Baculoque Pastoralis insignitus fuit Albertus Pollingæ eodem adhuc anno Die XI. Septembris ab Episcopo Diocleni Eustachio Egolpho a Westernach Suffraganeo Augustano, assistentibus Felice ad S. Crucem, & Leopoldo ad S. Georgium Augustæ Mytratis Præsulibus, multisque aliis vicinis Prælatibus Actum hunc sua Præ-

sentia concelebrantibus. Ex quo tempore Albertus ad Regimen euectus est, nihil is per XLIII. & amplius annos, quibus præfuit, neglexit, quo Antecessorum merita aut exæquaret, aut superaret, licet in ea inciderit tempora, quæ aut bellicis tumultibus inquieta, aut aliis sinistris casibus aspera spem fere omnem abstulerant, magni aliquid pro Dei Ordinisque honore ac Collegii tum spirituali tum temporali incremento moliendi.

Anno siquidem MDCCIII. ac insequente, Cæsareo Milite tum Bavariæ summe infesto, ob continuas gravissimasque Exactiones, non solum quidquid Pecuniarum supererat, sacrificare, sed etiam magna Debita contrahere necesse fuit. Dominico de Bartholamedis tunc temporis Decano primo ad Fauces Julias dein Ernbergam abducto, ubi præ fame & pediculis vix non mori necesse erat, grandi Lytro libertas emenda fuit a Governatore illius loci, a *Coppenbagen*, dicto. Incolentis Militis ausus nefandos ac Sacrilegos, quando secunda jam vice e Tyroli in Bavariam irruperat, silentio tegimus; id tamen celandum minime est, quod præter alia Damna Monasterio illata CXXXVIII. plaustra, præda ex eodem facta, secum abduxerit.

Dum autem hæc facta sunt, etiam Dominus Salvator in Pollingen Monachium tanquam ad locum Afyli ex sua antiqua Sede migrare debuit, ne una cum aliis rebus Sacris Crux Sancta ab hoste aut profanetur, aut pereat. Vix autem hæc mense Julio Anno MDCCIII. Monachii advenerat, ac in Capella domestica Illustrissimi Domini Baronis de Cammerberg Domini Joannis Udalrici Fill ab & in Windach &c. Eximii nostri Benefactoris aliquot diebus requieverat, translata ea ob multitudinem accurrentium ad Templum Patrum Eremitarum Ord. S. Augustini, ibique in Altari, ut vocant, *Pistorum* maximo tum incolarum tum aliorum, qui hoc Belli tempore Monachium confugerant, concursu, publico Cultui exposita, usque ad mensem Aprilem sequentis anni manserat; quo tempore, cum aliqua saltem tranquillitas rediisse videretur, Albertus ante omnia Arcam Domini iterum reduxit Domum. Priusquam autem Solemnis hæc Translatio fieret, instituta est Monachii apud RR. Patres Augustinianos trium Dierum publica Comprecatio; singulis diebus habebatur Officium Solemne cum Concione; tertium ipse Albertus noster celebravit in Pontificalibus; quo finito ingens numerus tum Cleri tum Populi SS. Thesaurum ad Portam Neuhufanam & ultra, nonnulli etiam Pollingam usque, summa cum devotione comitati sunt. In Reditu autem Crux Sancta ab omnibus Vicis & Pagis, ubi transferat, maxime vero a vicinis Weilheimensibus (in quorum parochiali Ecclesia Die XXIII. Aprilis pernoctavit) maxima veneratione excepta est. Die sequente Pollingam, tota Vicinia accurrente, summa cum devotione & Pompa translata, Canonicis Pollinganis una cum suo Insulato Capite, & ingenti hominum ex omnibus nostris Parochiis accitorum multitudine, cum Vexillis & ferculis, ad mediam fere distantiam in Agro, ut vocant, Pollingano obviam procedentibus, Arcamque Domini suis humeris in Requiem suam antiquam reducentibus. Quale tunc Gaudium tota Vicinitas Religiosa ac Politica ex Reditu Domini Salvatoris hauserit, qualeque Solatium inde perceperit, solus Scrutator Cordium Deus scit, calamus exprimere nescit. Dicto eodem tunc die Hymno Ambrosiano, Officioque divino in Pontificalibus Ceremoniis peracto, ingens Hospitum numerus ad mensam laute ac honorifice exceptus est.

Reducto sic Domino Salaatore rediisse etiam Pollingam videbatur Benedictio superna; & quamvis hostis Austriacus anno præterito die XVI. Julii ultra XXX. Domos Pollingæ, complures adhuc Peissenbergæ una cum Curia Parochiali in cineres redegerit; brevi tamen tempore omnia hæc exusta Domicilia in illustriori forma resurrexerunt, conatum Præfulis nostri benedicente manifesta Manu Dei. Cum autem non multo post, die videlicet XV. Maji Cæsariani inopinato Monachium occupassent, novæque Exactiones fierent, novus iterum timor adhuc trepidantes invasit, non ejiciendus ex animis jam dejectis, donec res Bavaræ, præstito prius a Statibus (quos inter & noster Præful aderat) die III. Julii Fidelitatis Juramento, sereniorum sub Administratione Cæsarea induerint faciem. Et licet Exactionum nullus adhuc esset finis, non semel tamen testatus est Albertus noster, Bavariam sub Administratione Cæsarea optime fuisse gubernatam; id quod non nisi optimo Principi Maximiliano Carolo de Löwenstein tanquam supremo Administratori, ejusque in Cameralibus adjuncto Comiti de Seau in acceptis referendum esse dicebat & scribebat.

Certe Dominus Salvator in Pollingen non una id ipsum vice expertus est. Cum Anno MDCCXI. fulmen de Cælo pridie post Festum S. Augustini, quo ipso die Comes

mes Lambergius cum illustrissima sua Familia ac aliis hospitibus vicinis Festum S. Patris nobiscum celebrantibus, paulo ante abierat, horrea sub Cœna incenderet, ac vorax flamma intra unius alteriusve horæ spatium frumentum fœnumque absumeret, ædificiis œconomicis, stabulisque fere omnibus per quadrum exustis, primus fuit Princeps Löwensteinus, qui (memor adhuc illius Pisciculi, quem octoginta Pondo habentem, & in vicinio Lacu nostro prope S. Jacobi Ecclesiam, *Ottelensee* dicto, a piscatoribus nostris captum An. MDCCVII. die XXII. Decembris, ante IV fere annos ab Alberto nostro dono receperat) non solum Præfulem nostrum in sua afflictione solatus, ad omnia, quibus is opus jam haberet, liberaliter conferenda ultro se obtulit, sed &, quæ promiserat, ingenue fecit, & ultra. Cum Anno MDCCXII. die XIII. Novembris Fatibus decederet Maria Polyxena Principissa prædicti Bavariæ Administratoris de Löwenstein Coniux, nata Comitissa Khuen de Belasy & Lichtenberg, noster iterum Albertus Diem Depositionis Primum, Septimum ac Trigesimum sub Infula Monachii celebrare ab Illustrissimo Viduo iussus est; qua occasione novis rursus Gratiis repletus Pollingam rediit. Hinc factum est, ut non tantum exusta ædificia breve inter tempus reparare, sed etiam rem domesticam in florentem iterum statum potuerit reducere.

Expectationem vere humanam prope superat, quod non obstantibus tot casibus adversis, modicis instructus mediis, eo ipso tempore, quo nostra Bavaria adhuc sub Administratione Cæsarea erat, pro nova Collegii structura Præparatoria facere, imo Pace Rastattensi Anno MDCCXIV. mense Martio vix subscripta ædificium ipsum e Fundamento novum, posito jam Ritu Solemni, hoc eodem anno, IV. Die Maji, a RR. Domino Andrea Sedlmajr, Præfato Infulato in Dieslen primo Lapide, excitare sit aggressus, successu adeo felici, ut illud suo etiam tempore, sicut id hodie visitur, potuerit perficere. Possent complura adhuc adduci ædificia, quæ Albertus aut reparavit, aut excitavit, nisi ad alia nobis properandum esset.

Quemadmodum autem in Administratione Rerum temporalium providus is semper, ac in minimis etiam fidelis inventus est, ita etiam nihil magis cordi habuit, quam Disciplinam Religiosam, cujus tam in se quam in suis spiritualibus Filiis rigidus observator erat, dicere sæpe solitus, minimos etiam defectus, nisi severe corrigantur, & quasi in Infantia elidantur, tractu temporis fieri maximos. Eum in finem introduxit salubriter Sacra, ut vocant, Exercitia, semel in anno per octiduum ab omnibus obeunda.

Non minore zelo conatus est promovere honorem Ordinis ac Collegii sui, uniendo illud, sic ut loquar, *de novo* Congregationi toto Orbe Celeberrimæ in Laterano, ut vocant. Esi enim pleraque Canoniorum Regularium Collegia, saltem Boica, eo jam tempore, quo Canonici Regulares Basilicam Lateranensem ipsi adhuc in Urbe possiderent, Congregationi huic fuerint unita, constat tamen hanc ipsam Unionem, cum Bonifacius PP. VIII. Canonicos Regulares inde ejiceret, hisque Sæculares substitueret, turbulentis illis temporibus, quæ Canonicum Ordinem toto propemodum Orbe affligerunt, plane fuisse solutam, donec hæc iterum per alia, novaque Summorum Pontificum, alter sentientium, ac Regularem Canoniorum Statum collaudantium, Privilegia suo quasi e tumulo cum gaudio fuerit resuscitata. Damus hic ipsas Unionis Litteras, quæ sic habent:

„ Nos D. Jacobus Martini Lucensis, Congregationis Canoniorum Regularium
„ Salvatoris Lateranensis, Ordinis Sancti Augustini, Abbas Generalis.

„ Reverendissimo D. Alberro moderno Abbati seu Præposito Mitrato Collegii
„ seu Monasterii Pollingani Canoniorum Regularium S. Augustini in Superiori Ba-
„ varia Diœc. Augustanæ, Provinciæ Moguntinensis, ejusdemque Monasterii Cano-
„ nicis præsentibus & futuris Salutem in Domino.

„ Quamquam indifferenter Bonum sit sui diffusivum, & sine acceptione persona-
„ rum Gratiam in alterutrum administrare debeamus, maxime quod boni optemus
„ inveniri dispensatores multiformis Gratiæ Dei, abundantius tamen viscera charita-
„ tis aperienda illis censemus, qui, Congregationem nostram speciali amoris studio
„ diligentes, speciali etiam dilectionis prærogativa fiunt digniores: ea propter Cum
„ Vestrum in Congregationem nostram devotionis affectum atque summe nobis com-
„ mendabilem Professionis paritatem vivo cordis occurso intueamur; Vos ideo in
„ partem Sortis nostræ conscribendos decernimus, atque eosdem vos idcirco in Com-
„ munionem nostram suscipimus, & omnium Indulgentiarum, Indultorum, Privile-

„ giorum nostrorum participationem in Spiritualibus admittimus & acceptamus, vo-
 „ lumusque tenore præsentium omnibus aliis Gratiis, seu prærogativis a Summis Pon-
 „ tificibus, & ab aliis nobis quomodocunque concessis, quibus Abbates & Canonici
 „ nostri utuntur, potiuntur, & gauderent, Vos quoque uti, potiri, & gaudere libere
 „ & licite posse; hac tamen conditione servanda, ut in nova Electione Præpositi,
 „ quoties facta fuerit, Confirmationem a Nobis, vel a Successoribus nostris petatis,
 „ & recipiatis, ac singulis annis unam Missam Cantatam de Beatissima Virgine in Fe-
 „ sto Assumptionis ejus celebretis, illudque Sacrificium Vos pro nostra Congregatio-
 „ ne applicetis, & de tali applicatione Nos seu Successores nostros certiores per Lit-
 „ teras reddatis. Vos autem in Fratres nostros recipimus, conscribimus, & adnota-
 „ mus, Vobis ex nunc Orationum, Missarum, divinatorum Officiorum, Jejuniorum,
 „ Peregrinationum, Spiritualium Exercitiorum, Bonorumque omnium, quæ divina
 „ Clementia per nostras utriusque Sexus Religiosas Personas, præsentis & futuras,
 „ ubique terrarum dignabitur operari, participationem harum Serie Gratiöse impar-
 „ timur, Monasterium Vestrum tanquam ipsius nostræ Congregationis Germanum,
 „ ac de Gremio Vos, tanquam Con-Canonicos nostros agnoscimus, facultate a Sum-
 „ mis Pontificibus, & a Capitulo nostro Generali Nobis concessa illos aggregandi,
 „ qui parem profitentur vivendi Regulam, sicut vos profitemini; & proinde Vos ag-
 „ gregatos declaramus omni meliori modo, quo possumus, ad præmissorum veram,
 „ realem, atque perfectam participationem, usum, & Communionem, servata semper
 „ vestra præsentis, & in futurum servanda Regiminis Vestri Monasterii laudabili con-
 „ suetudine. Vos vero fratres nostros amplectentes & agnoscentes pro Communionis
 „ nostræ exercitio hortamur in Domino, ut Congregationis nostræ, cujus de Gre-
 „ mio estis, Conservationem & incrementum Vestris apud Deum quotidianis preci-
 „ bus omni, quo potestis, fervore exoptuletis pro Dei Summi & optimi sempiterna
 „ Gloria. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. In quorum fidem
 „ & authenticam Veritatem &c. Datum Romæ ex Canonica nostra S. Mariæ Pacis,
 „ Die XXX. Martii, Anno MDCCCVIII.

(L. S.) D. Jacobus Martini
 Abbas Generalis.

D. Angelus Maria Barfotti
 Secretarius.

Hæc, quæ nunc de Unione Congregationis Lateranensis diximus, verbo dunta-
 xat indicare voluimus in Gratiam eorum, qui sæpe blasphemant, quod ignorant. Stri-
 ctiorem autem aliquando fuisse Unionem hanc, quam nunc est, ipsi non diffitemur;
 imo ut in dies magis perficiatur, in Domino optamus. Hinc factum est, ut, cum An-
 no MDCCXXIV. de Authore famosi illius Libelli *De Imitatione Christi* Controversia
 a centum circiter annis jam mota, in nostra etiam Vicinia resuscitaretur, & occasione
 hujus Controversiæ unus e nostris Canonicis, Eusebius Amort, inter alia Opera Apo-
 logetica hanc concernentia, *Summam Theologiæ Mysticæ Venerabilis Servi Dei, Tho-
 mæ a Kempis, Canonici Regularis, Ordinis S. Augustini ex IV. Libris de Imitatione
 Christi, in modum Exercitiorum Sacrorum, quondam redactam a R. P. Georgio Hefero
 S. J. ex Codice Dieffensi* ederet, hanc ipsam Reverendissimo ac Illustrissimo Domino
 Antonio Mangilio Congregationis Lateranensis, Ordinis Canonicorum Regularium,
 tunc temporis Abbati Generali Dignissimo, in aliquale saltem recognitionis nostræ Mo-
 numentum jussu nostri Alberti consecraret, dedicaretque.

Similiter, cum Anno MDCCXXX. die X. Januarii Petrus Forerius Lotharingus,
 Parochus Mataincuriæ, Institutor primum Sanctimonialium seu Canonissarum Con-
 gregationis Dominæ nostræ, dein etiam Reformator ac demum Præpositus Generalis
 Canonicorum Regularium Congregationis Salvatoris nostri a Benedicto XIII. Sum-
 mo Pontifice *Beatorum* Catalogo summa cum Solemnitate infereretur, eadem Beatifi-
 cationis Memoria insequente anno ab Alberto nostro Pollingæ per triduum ea, qua
 potuit, Celebritate habita erat. Primum die III. Junii Officium habuit RR. Dominus
 Maurus Praun Abbas Andecensis, dicente ad Populum Leonardo Braitenaicher ibi-
 dem professo, altera die secundum RR. Dominus Thassilo Pölzl Abbas Wesfontanus,
 Concionante Placido Angermajr Sub-Priore ibidem; tertia die Albertus noster ipse
 sub Infula stetit ad Aram Summus Sacerdos, Sebastiano Andre Parocho in Unter-Hau-
 sen

sen, & Weilheimensis Capituli Ruralis Camerario ad vicinam plebem ex Parochiis copiose affluentem perorante. Finito demum Prandio Albertus ipse Sacrum Ambonem, utpote per plures quondam annos in nostris Parochiis facundus divini Verbi Prædicator, conscendit, & dicta egregia Panegyri, totam hanc Solemnitatem pulcherrima Processione finivit.

Longum jam foret recepere, quæ & quanta in hac Beatificationis causa nostri Canonici fecerint. Exstant adhuc complures Epistolarum Centuriæ, quas in hac re noster Philippus Sallerus Romam, Lotharingiam, & in omnem fere Germaniam Augustiniano-Canonicam dederat, receperatque, Verus pro Gloria Magni hujus *Servi Dei* Zelator. Eodem tempore, ut cito haberetur succincta Notitia *Vitæ, Virtutum ac Miraculorum* Sancti hujus in lingua nostra patria, Vitam quidem *Matthias Reschius* ex ejusdem Sancti Biographo cœvo, Joanne Bedelio, *Virtutes autem & Miracula* Eusebius Amortius ex Codice MS. *Actorum B. Petri Forerii*, quem a RR. Domino Abbate Piart dono acceperat, compendio conscripserunt, typisque Monacensibus vulgarunt. Paulo post Amortius duo etiam alia Opuscula adjecit; unum sub Titulo: *Kurze Nachricht von dem Ursprung der regulierten Canonissinen der Congregation de nôtre Dame, oder Unser lieben Frauen, gestüfftet unter der Regel des heiligen Augustini von B. Petro Forerio &c. Gedruckt München Anno 1733.* Alterum, cui hic Titulus: *Erste Zierd der von B. Petro Forerio aufgerichteten Congregation Unser lieben Frauen (de nôtre Dame) oder auferbäuliches Leben Alexia le Cleve, erster Oberin obgemelter Congregation zu Nancy in Lothringen, welche im Ruff der Heiligkeit im Jahr 1622. verfehden. Gedruckt München 1734.* Taceo alias Notificationes & Opuscula, quæ in hac re Sallerus noster aut edidit, aut reimpressit.

Hinc autem factum est, ut dum RR. Dominus Joannes Baptista Piart, Abbas Domaprensis, Congregationis Salvatoris nostri in Lotharingia, ac per complures annos in Causa Beatificationis ad Romanam Sedem specialiter deputatus Postulator & Procurator Generalis una cum Sociis suis, duobus Canonicis ejusdem Congregationis, SS. Theologiæ Doctoribus, Hyacintho Haurault Priore in Abbatia Lunavillensi, & P. Gerard Professore SS. Theologiæ in Abbatia Petrimontensi, Roma Domum revertetur, iter suum per Bavariam Pollingam institueret, suos, ut in ingressu suo ajebat, Mecænates ac Patronos summos ore ad os salutaturus, debitasque eis Grates *Beati* Nomine coram acturus. Hac occasione obtulit Præsuli nostro ipse RR. Dominus Piart quasdam Reliquias de B. Petro Forerio, Amortio autem supra jam laudatum Codicem *Actorum* ejusdem Sancti. Postquam autem aliquot dies Pollingæ moram traxerat, abiit Forsterriedam, ubi prædictus Sallerus ultra XL. annos expositus, animarum curam exercuerat, ac paulo post Eychstadium ad Canonissas Forerianas. Porro quam tenere sibi invicem hucusque nunquam visi, attamen a multis annis longo litterarum commercio sibi mutuo cogniti, sese amplexati fuerint RR. Dominus Piart, & Sallerus noster, non est quidem hujus loci indicare; duas tamen ex centum aliis Epistolas, posterioribus annis a RR. Domino Piart ad Sallerum nostrum datas, penitus dissimulare non possumus, ut, quo animo is semper erga Sallerum nostrum fuerit, paucis cognoscamus. Prima de Anno 1732. die III. Julii sic habet:

Gratia Vobis & Pax a Deo Patre & Domino J. C. S. N.

Perillustris, & Reverende Admodum Domine!

„ Etsi sæpius memor. & excitus, ut scriberem perillustri & Reverendæ admodum Dominationi vestræ, ab excepta, jam sat diu, ejus postrema, eaque suavissima Epistola, abstinui nihilominus, donec, quid nuntiarem scitu dignius, occurreret; cum præterea quamplurimis sive domesticis, & Congregationis nostræ, sive extraneis negotiis & curis detinerer, & cum languida sæpius valetudine, qua ne seriis facile vacare potuerim, remansi impeditus, ac propterea veniam dare dignabitur diuturniori silentio. Inter cætera porro, quibus tempus & mentem elargiri mihi necessum fuit, concurrerunt præsertim lites cum Mataincuriensibus de Corpore *Beati Petri Forerii* finiendæ, & ejusdem proprii *Officii* Elucubratiõ & Editio. Utrumque tandem ad plerorumque Vota confectum est. Remanebunt quidem Mataincuriæ Sacra *Beati* Ossa; sed pactis Instrumento publico, seu Transactione utrimque voluntaria de Die 21. Junii proxime elapsi conditionibus, etiam ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo Tullensi, Diocæsano, & Suprema Auctoritate Ducali firmatis, quibus agnitum fuit & expressum, Venerandum Corpus jure Proprietatis esse Congregationis nostræ; ipsum fore collocandum in Capsa curis

Tom. V. Cann. Regg. Origines.

Uuu

&

„ & Expensis nostris jamjam confecta exquisitiori arte, non vero in alia, quam & ipsi
 „ Mataincurienses fieri, duobus fere ab annis, curaverant, nec adeo egregia; Claves
 „ Captæ nostræ, prius Sigillis Episcopi Diocæfani, & Congregationis nostræ munitæ,
 „ servandas fore, unam in Reverendissimi Superioris nostri Generalis manibus, alte-
 „ ram in Pastoris Mataincuriæ, Canonici Regularis; & eandem, quem mallems,
 „ Ecclesiæ loco exponendam, licet crate ferrea, eaque deaurata tribus sub Clavibus,
 „ quarum una erit penes Majorem, ut ajunt, Incolarum Communitatis, conclusam;
 „ & his adjectæ fuerunt in Instrumento clausulæ, quibus fundi spatium sat amplum
 „ nobis conceditur ædificandæ novæ in Beati Honorem Ecclesiæ, & ad loca regularia
 „ ad Canoniam duodecim saltem Canonorum construendam, præter jura in Sylvis
 „ & pascuis non modice utilia &c. Quibus ita constitutis Episcopus diem designavit
 „ trigessimam Augusti proximi ad exhumationem Corporis, trigessimam primam, quæ
 „ Dominica erit, & duas subsequentes, ad Beatificationis Solemnia, ad quæ jam pa-
 „ rari caperunt necessaria, ut, quantum fieri poterit, nobilius & devotius peragantur.

„ Officium proprium Beati, quod probavit & permisit in sua Diocæsi Episcopus
 „ Tullensis, recitabitur seu cantabitur Die Lunæ proxima Forerio Sacra; & hujus
 „ transmittendum Exemplar perillustri & Reverendæ admodum Dominationi vestræ
 „ duxi, Vesperis, Laudibus, & Missa cum Notis, distinctum, & simul librum, de quo
 „ in præcedentibus meis Literis scripsi, cui Titulus: *Conduite de la Providence*, qui
 „ lectoribus eximie placet. Utrumque etiam Clarissimo Domino Con-Canonico Mi-
 „ chaëli Veitl Augustam dirigo, & tertium Exemplar Officii cum notis & Librum
 „ Viennam vere optimo & dignissimo Amico nostro Domino Augustino Rittl, sed alia
 „ via; nam ad Dominum Hurault Superiorem Canonix Argentinensis mando, quod
 „ spectat ad Dominationem Vestram, & præfatum D. Michaëlem Veitl, sub uno eo-
 „ demque involucro; occurrunt enim quandoque Argentinæ commoda Augustam
 „ versus; & scribo pariter eidem Domino Michaëli Veitl, ut, cum pervenerit ad ma-
 „ nus ipsius, quod superscriptione dirigetur Dominationi Vestræ, ad eandem trans-
 „ mittere velit. Gradiatur rogo hoc leve recordationis meæ signum.

„ Litteris Carissimi Domini Abbatis Benvenuti comperio probatas Romæ Le-
 „ ctiones proprias Beati Petri Forerii pro Universo Ordine Canonico, quarum tria
 „ transmisit Exemplaria, sed valde truncatæ & diversæ sunt ab iis, quæ prius Romæ
 „ editæ fuerant; unde minus nobis placuere, nec scio, quis fuerit Auctor, ut sic im-
 „ mutarentur. At conjicio placitum magis Officium integrum proprium, quod
 „ jam ad singula Monasteria utriusque Congregationis, Salvatoris nostri & Domine
 „ nostræ, transmissum fuit, & valde iis arridet, ad quos pervenit. Quamquam au-
 „ tem de eo Romæ silere constituerim, quia illius Approbatio, quantum scio, nego-
 „ tium foret plurimum annorum, & ingentium Expensarum, ita enim delectantur Ro-
 „ mani, sufficere nobis existimavimus Bullas Pii V. & Urbani VIII. ut ipsi nos hoc
 „ Officium componeremus, & ab Episcopis nostratibus probaretur, atque ipsum in
 „ prædictis ambabus Congregationibus recitaretur seu caneretur annuatim; Nec
 „ hæreo, quin pariter recitari seu cantari idem valeat in Germaniæ Canoniciis, quibus
 „ speciatim concessum fuit Apostolico Brevi, ut Beatificationis Forerianæ Solemnia
 „ peragerent, qua de re arbitrentur earundem Prælati cum suis. Suppono idem
 „ transmissum fuisse Sanctimonialibus Canonissis Euchstadii, & Nimphenburgi, uti
 „ Nanceianis transmittendorum cuique sui Ordinis Monasterio Exemplarium munus
 „ commissi. Si secus, illud idem, quod transmitto Perillustri & Optimæ Domina-
 „ tioni Vestræ, poterit denuo typis dari Monachii earundem Expensis, quibus erit
 „ usui, uti excudendum puto Parisiis & alibi in Gallia pro Gallis Monasteriis, cum
 „ Editio Nanceiana vix pro Lotharingis utriusque Congregationis satis futura sit.

„ Nil novi scire volui de nostra Dignissima Matre de Kneble, a quo Eychstadio
 „ profectus sum, licet ipsa mihi & ego ipsi bis terve scripserimus, devotiis nimirum
 „ reciprocis Litteris, qua de re vere doleo; nam singulari eandem prosequor existi-
 „ matione & gratitudine pro eximia virtute & prudentia, aliisque egregiis dotibus,
 „ ac erga nos optimis Officiis; oro, ut hanc meritissimam Beati Forerii in Christo
 „ Filiam, cum se dabit occasio, pro parte mea ex corde salutare dignetur. Veneror
 „ quoque summopere Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Prælatum Pol-
 „ linganum, nec non æque pium & doctum nostrum Con-Canonicum Dominum Eu-
 „ sebius Amort, quos velim pariter nomine meo salutatos cum cæteris nostris in Ba-
 „ varia Benefactoribus, & etiam Monialibus Salesianis.

„ Superest, ut toto affectu me commendem perillustri & Reverendæ admodum
 „ Dominationi Vestræ, quam specialissime amare & venerari nunquam desinam, fu-
 „ turus ipsi, quamdiu superstes ero, omnium

Domapri 3. Julii 1732.

*Humillimus & Obstrectissimus in Christo Fra-
 ter & Servus*

J. B. Piart C. R. Abbas Domaprensis.

Altera de Anno 1734. Die XII. Febr. hujus est Tenoris :

Gratia Vobis & Pax a Deo Patre & Domino J. C. S. N.

Perillustri & Reverende admodum Domine!

„ Jam dudum, imo ante exhumationem venerandi Corporis Beati Petri Forerii,
 „ & ipsomet die, quo facta est, ac postea, mente revolvi, ut transmitterem ad Peril-
 „ lustrem & Reverendam admodum Dominationem Vestram unum ex Fragmentis
 „ Ossium ejusdem tunc mihi concessis ; enimvero ita rogaverat, nec ullus erga Bea-
 „ tum, & Congregationem ab ipso reformatam se exhibuerat animo devotum magis,
 „ & beneficum, maxime ad subsidia pro ejusdem Beatificationis Solemniis, tum Ro-
 „ mæ agendis, quum in universa prope Germania, per quam magnifice etiam cele-
 „ brata fuerunt, promovente præsertim Clarissima Dominatione Vestra, cum qua ma-
 „ nus junxere cæteri etiam Con-Canonici mihi Carissimi Pollingani, sub Illustrissimo
 „ & Reverendissimo suo Præsule, quem, ut cognovi, nunquam satis revereri valeo.
 „ Reditque mihi simul amantissima memoria erga vere pium & doctum Virum Re-
 „ verendum admodum Dominum Eusebium Amort. Sic, inquam, animo revolve-
 „ ram, & statueram ; verum nulla mihi, quantumvis sciscitandi, sese præbebat op-
 „ portuna & secunda occasio transmittendi, nec absque mœrore ; dum ecce relatum
 „ fuit, Aulicum quemdam Lotharingiæ, nomine Dominum Wolf, Bavarum, statuisse
 „ reditum in Patriam, atque quadam in ejusdem Provinciæ Canonica Regulari man-
 „ sionem fixurum ; quam ob rem ipsummet adii, & promisi humanissime, delaturum
 „ perquam libenter & fidelissime Monachium usque, quidquid ad id ipsius in mani-
 „ bus censerem consignandum. Hac igitur tandem occurrente via transmitto pium
 „ gratitudinis & amicitia pignus, Fragmentum Ossium Corporis Beati Petri Forerii,
 „ cum authentica ejusdem veritatis attestazione, simulque Relationem Gallice editam
 „ Gestorum tum Romæ, quum Matincuriæ ad Solemnia ipsius Beatificationis, &
 „ Exhumationem venerandi illius Corporis ; quibus devotioni Perillustri & Reve-
 „ rendæ admodum Dominationis Vestræ erga eundem Beatum toto animo consulere
 „ gestio, rogans, ut, nisi Pignus idem apud se velit servare quamdiu supervixerit,
 „ saltem statim postea in Insignis Canonice Pollingane Sacratio reponatur, exponen-
 „ dum aliquando fidelium venerationi, cum in decenti Ostensorio fuerit collocatum.
 „ Tribus solummodo personis seu Monasteriis Sacra hujusmodi Fragmenta usquedum
 „ concessi, & conclusa fuerunt singula in valde pulchris Reliquariis, quorum unum
 „ fere totum aureum altitudinis plusquam unius pedis, duo alia argentea eximie ela-
 „ borata. Gratitude & amicitia pariter esse duxi, ut similia fere Fragmenta cum
 „ authenticis Litteris mandarem Carissimis Con-Canonicis & Amicis Domino Veitl
 „ Augustam, & Domino Ristl Viennam, pariterque Reverendæ Domine de Kneble
 „ Eychstadium, sed eadem fuit moræ ratio, & adigor, ut quæ Viennam & Eychsta-
 „ dium directa sunt, sub eodem involucro ad Clarissimam Dominationem Vestram
 „ transmittam, ipsam rogans, ut, qua facilius securiusque potuerit via, tendant &
 „ perveniant, ipsa benigne & officiose, ut solet, satagente ; mecum & ipsi pro gratio-
 „ so officio devinctiores & memores procul dubio futuri sunt.

„ Decem circiter menses effluxerunt, a quo pervenit in manus gratissima postre-
 „ ma Clarissimæ Dominationis Vestræ, in qua non absque eximia animi lætitia legi,
 „ & receptum Librum : *Conduite de la Providence* cum Officio proprio Beati Petri
 „ Forerii, & utrumque placuisse, & novum Agmen Canonissarum Congregationis
 „ Domine nostræ feliciter ductum favente V. R. Dominatione Pedeponum, & ge-
 „ nerosissime opitulantis Con-Canonicis nostris ejusdem Oppidi stabilitum. Spem
 „ insuper restitutionis Litterarum Commertii cum inclyta Matre de Kneble, eligen-

„ da propediem Superioriffa fui vere Monasterii Eychftadiani; Quod ita fuiffe com-
 „ peri primo a duabus Monialibus ejusdem Congregationis anno elapfo Lotharin-
 „ giam Eychftadio reducibus, & gratiffimo laudantibus animo eandem nuper electam
 „ Superioriffam, totamque Bavariam, & præcipue ejusdem Canonicos Regulares;
 „ unde mihi jucundiffima nata est occasio difcurrendi fat diu de iisdem. Deinde ve-
 „ ro ejusdem inclytæ, dixerim Heroïnæ Regularis, pervenit Epiftola, qua gaudio &
 „ ingenti ædificatione perfufus fui, & Deo, cujus viæ inſcrutabiles, gratias egi. Tan-
 „ dem lætatus ſum etiam ſuper prosperitatibus Virginum Nimphenburgenſium, qui-
 „ bus ſane ſuper omnia gratulor, imo toti Congregationi Dominæ noſtræ, quod adeo
 „ charitativum, & in omnibus officioſiffimum eiſdem Deus ſtatuerit & effecerit Pa-
 „ tronum, Clariffimam ſcilicet Dominationem Veſtram, qua ſine vix in Bavaria ex-
 „ ſtitiffet ſpes & ſolacium felicioris progreſſus.

„ Hucusque quatuor tantummodo Canonicos Regulares Mataincuriæ habemus
 „ valde quidem occupatos pro Confefſionibus devotorum concurrentium æſtivo tem-
 „ pore, ſed longe minus hyberno; nec favent circumſtantiæ, ut ædificandi impræ-
 „ ſentiarum ibidem Monasterii ſtatuantur Conſilium, maxime ob penuriam immobi-
 „ lium, quibus ſuſtentationi provideatur plurium Religioſorum; vias adaperiet Deus,
 „ quando ipſi placuerit. Interim quamdiu ſuperſtes ero, nunquam non ero Clariffi-
 „ mæ & admodum Reverendæ Dominationis & ex intimo cordis affectu ac ve-
 „ neratione

Domapri 12. Februarii 1734.

*Humillimus, obſtrictiſſimus, ac devotiſſi-
 mus Frater & ſervus*

J. B. Piart Abbas Domaprenſis.

Atteſtatum RR. Domini Abbatis de Reliquia accluſa ſic ſonat:

*Joannes Baptiſta Piart Abbas S. Salvatoris in Domapro Sedi Apoſtolicæ Imme-
 diatus cum territorio, Prothonotarius Apoſtolicus, Canonicorum Regularium Congrega-
 tionis Salvatoris Noſtri primus Aſſiſtens, & Procurator Generalis ejusdem Congrega-
 tionis pro rebus Romæ agendis ac ſpecialiter pro ſpectantibus ad Beatum Petrum Fore-
 rium omnibus, ad quos ſpectare poterit, ſalutem.*

*Fidem facimus ac teſtamur, nos dono dediſſe Perilluſtri & Reverendo admodum Do-
 mino Patri Pbilippo Saller, Canonico Regulari Canonice Pollingana, Parrocho in For-
 ſterriet, Fragmentum Offis venerandi Corporis Beati Petri Forerii, nobis ex Gratia
 conceſſi occasione & die ejusdem Exhumationis trigeſima prima Auguſti Anni 1732.
 quod quidem prius recludimus in parvula ſcatula ſeu Reliquiario argenteo ovato, cum
 Cryſtallo antevius, & firmavimus ſerico funiculo albo circumligato, ad cujus extrema-
 tes appoſuimus & appendimus Sigillum nobis conſuetum, cera rubea impreſſum, eamque
 repoſuimus in alia ſcatula varie tinctis paleis decorata, quam charta alba involvimus,
 ac eodem Sigillo munivimus. Ipſum autem in Sanctæ Unionis & amicitie pignus dedi-
 mus, & ea mente, ut in nobiliori ac pretioſiori Oſtenſorio ſeu Reliquiario rite repoſitum
 aliquando prævia Ordinarii licentia Fidelium venerationi exponi valeat, & ad Eccle-
 ſiam præfatæ Canonice Pollingana jure pertineat, & in fidem veritatis præmiſſorum
 præſentibus conſueto noſtro Sigillo munitis ſubſcripſimus, atque a Secretario noſtro con-
 traſignari mandavimus, die decima quinta Februarii, Anni milleſimi ſeptingentefimi tri-
 geſimi quarti.*

*J. B. Piart Abbas S. Salvatoris
 in Domapro,*

(L.S.)

*De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi
 Domini Abbatis*

N. Lalongé Can. Reg. Secretarius.

Hucus-

Hucusque insignis hæc Reliquia B. Petri Forerii in Altari publico nondum quidem est exposita; speramus tamen id aliquando majori cum splendore futurum, cum Deus meliora tempora dabit. Caterum id adhuc hic addere debemus, hac ipsa Reliquia pectori admota Sallerum nostrum in suo ultimo agone a non levibus tentationibus fuisse liberatum, ceu ipse nobis tunc assistentibus jam agonizans testatus est, & id ipsum in ejus Rotulo, ceu vulgo loquimur, expresse legimus.

Reliqua Acta & Facta Alberti nostri jam paucis concludimus. An. MDCCXXXII. una cum suo Comprofesso Philippo Sallero secundum post L. Religiosæ Conversationis annos Professionem Domino Salvatore in Pellingen solemniter deposuit, quatuor Myratis Præsulibus, compluribusque Religiosis Viris, nec non & aliis spectatæ Dignitatis & Nobilitatis Viris, Cæremoniâ hanc sua Præsentia condecorantibus. Finito Prandio Drama Musicum successit, & a Musis Pollinganis in Scenam productus est *Senex Jolaus, seu Sponsus Jubilæus pro repetendis felicioribus Nuptiis sepe fortiter impugnatis, sed fortius propugnatis in Juvenem mutatus.* Fabula desumpta ex Ovidio L. IX. Metamorph.

Anno MDCCXXXVIII. celebravit secundas Primitias in Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli. Ad illas a Serenissimo Electore Carolo Alberto delegatus est Illustrissimus DD. Ignatius de Wilhelm Consiliarius intimus Serenissimi. A Statibus Bavaricæ, in quorum Ordinem pro colligendis Superioris Bavaricæ Steuris noster etiam Albertus specialiter cooptatus erat, missus est RR. DD. Hermannus Abbas Schefflarensis, Deputatus Statuum Bavaricæ, quorum Nomine Calicem cum Patena elegantis operis obtulit. Concionem, quæ & impressa est habuit RR. DD. Corbinianus Præpositus in Schlechdorff. Ante Solemne Officium cantabatur *Veni Sancte*, claudebatur *Hymno Ambrosiano.* Venerabile Capitulum Pollinganum obtulit novum ornatum magni pretii & rari operis. Hospites præterea adfuere plurimi, RR. DD. Præsules Herculani Diessensis & Mansuetus Bernriedensis, & Delegati Religiosi ex Etal, Raitenbuch, Wessesbrun, Andechs, Fürstenveld &c. multique alii ex equestri Ordine Viri nobiles, quibus post Prandium in novo Theatro, eum in finem recenter constructo, exhibebatur *Jacob, Jubilæus Sacerdos.*

Post tot tandem Promulsides, senectuti ut plurimum gratas, cum post mortem Caroli VI. Imperatoris, absque masculino Hærede decedentis, ratione Successionis, Bavaria & Austria colliderentur, brevi post tristitia admodum Fata iterum expertus est Albertus noster, Austriacis copiis Pollingam non una vice usque ad novissimum quadrantem emungentibus, usque adeo, ut venerandus noster Senecio, cum nil pecuniarum superesset amplius, etiam fuga sibi consulere debuerit. Et quo fugit jam Hemiplecticus, nisi Ursinum, proximum nobis in Suevia, ac jam dudum ab Alberto nostro summe amatum, honoratumque S. R. I. Monasterium Benedictinum? Ibi etiam non solum summa cum humanitate a Reverendissimo DD. Abbate Bernardo, cui Deus, Remunerator hospitalitatis sanctæ, multos adhuc annos, vegetos, sanosque largiatur, exceptus est, sed & beneficiis honoribusque obrutus, quod grati publico hoc testimonio commemorandum duximus.

Cum autem, rebus interea ab Administratione Austriaca utcunque in Bavaria compositis, Pollingam rediisset, & brevi post, inclinante scilicet Anno MDCCXLIII. Austriaci a Gallis Rheno depulsi, Hybernalibus valde pretiosa iterum in Bavaria capebant, tot tandem molestiis, viribus cæteroquin adhuc integer, de repente succubuit, nova apoplexia tactus sub ipsa post Consecrationem Missæ, quam in suo privato Oratorio dicebat, & adhuc integram, fomentis odoriferis confortatus, finiebat. Exin lecto affixus per triduum, accedente Catarrho suffocativo, ipsa Die Dominica, qua Ecclesia, inter jejuniorum & Pœnitentiæ squallores, suos paululum luctus solvit, quæque Anno MDCCXLIV. in diem XV. Martii incidit, animam suam Deo reddidit, sepultus in medio Chori Ecclesiæ a Reverendissimo DD. Herculano Præposito Diessensi; Funebre ejus Elogium typis impressum egregie in die Trigesimo proclamante ex Cathedra R. D. Ralfone Neiner Canonico Regulari in Diessen, & nunc ejusdem Canonice Procuratore Dignissimo.

Lapis Ejus Sepulchralis, affixus a latere, hanc profert Inscriptionem:

Tom. V. Cann. Regg. Origines.

Xxx

D.

D. O. M.
ALBERTO OSWALD

SS. Th. D. Præposito & Abb. Lat.

Statuum Provinciæ S. B. Steurario

Monasterii ex Fundo

noviter a se structi

in Spiritualibus

atque temporalibus

Restauratori bis Jubil.

Qui inter Tumultus

Belli Boici quievit in pace.

Idibus Mart. A. D. MDCCXLIIII.

C. P. M. P.

Sub felici diurnoque Alberti bonas Litteras amantis, protegentisque, Præsidio complures quidem, præfertim in Sacris Cathedris, florere Pollingæ Canonici, scientia sacra & Pietate conspicui. Cum autem multi eorum adhuc vivant, unius duntaxat vel alterius memoriam hic facere volumus, quos Deus nostris jam eripuit tenebris, & ad sanctiorem, ut speramus, lucem transtulit. Primum Locum damus Venerabili Seniori nostro Philippo Sallero, Patria Augustana Vindelico, Viro ingenii felicissimi, Judicii Summi, & in omni Historia Sacra & profana, maxime Boica, Eruditionis immensæ, de quo jam multa diximus. Præter Opuscula edita, quorum Parnasso Boico aliqua, ipso etiam invito, inserta sunt, reliquit is nobis 1mo *Manuale Novitiorum*, 2do. *Chronicon nostri Collegii ad sua usque tempora perductum*. 3tio. *Catalogum Prælatorum, qui Canonice Pollingana præfuerunt, una cum Nominibus eorum, qui sub eorum Regimine in Apostolicas Augustini Leges jurarunt, numero & ordine digestum*, 4to. *Tria circiter millia Concionum*, quas, utpote quinquaginta annos integros in Pestenackerensi, San-Hypolithensi, ac Forsterriedensi Parochiis nostris expositus Vicarius, magno cum animarum fructu habuit, scripsit, composuitque, Prælo utique dignissimas, nisi Character, quo exaratae sunt calamo vitreo, nimium minutus, ac propemodum oculos fugiens, impigros etiam a labore absterret. 5to. Conscripsit varia Ordinis nostri Chronica & Statuta; ex his posterioribus aliqua Amortius noster in sua *Veteri Disciplina Canonorum Regularium & Sæcularium An. MDCCXLVII. Venetiis edita* T. II, inseruit. 6to. Fecit ex vetustis Litteris sibi communicatis *Compilationem Sacerdotiorum & Altarium seu Beneficiorum in Collegiata Ecclesia ad D. Petrum Monachii*. 7mo. Habemus ab ipso *ingentem Litterarum doctissimarum Collectionem*, quas diversi Status ac Ordinis Viri, Eruditissimi ad ipsum dederant, receperantque; aliquos duntaxat ex nostro Ordine Honoris causa hic nominabimus, inter quos Eruditione inelyti, & quibuscum in rebus potissimum ad Historiam Ordinis aut Patriæ nostræ pertinentibus longo tempore dulce commercium habuit, fovitque, fere præcipui fuere, inprimis duo RR. Abbates, unus in Italia Congregationis Lateranensis Don Cæsar Benvenuti Cremensis, & alter in Lotharingia Don Joannes Baptista Piart Abbas Domaprensis &c. Dein Hieronymus Bozenhart Wettenhufanus, Lucas Faber Garfensis, Benno Zaisperger Beurbergenis, Josephus Scheinberger ad SS. Andream & Magnum Ratisbonæ, omnes in suis locis Venerabiles Decani. Item Augustinus Rißl Claustra-Neoburgensis, Raymundus Duellius Hyppolitho-polithanus, Rupertus Grueberus Garfensis, Antonius Zunggo Voraviensis, Bernardus Edl ad SS. Andream & Magnum Ratisbonæ, aliique. Item Canonissæ Regulares, Virgines Forerianæ, Eychstettenfes, Nymphenburgenses, Ratisbonenses &c. omnes hoc tempore hic locorum recens fundatae, quæque nostri Philippi Consilia, & Directionem haud secus quam alterius Petri Forerii & expetebant & sequebantur. Dolemus tantum, Responsorias nostri Philippi ut plurimum desiderari, aut sic scriptas esse, ut sine difficultate haud legi queant. Obiit autem Philippus, ut Albertus, Octogenarius, Professione Sacerdotio Jubilæus, & quidem paulo ante Albertum, nempe eodem anno MDCCXLIV. die XXI. Januarii, ita, ut, cum in vita semper fuerint ad invicem animo & voluntate conjunctissimi, & quasi duæ olivæ fructiveræ in Domo Domini Salvatoris

toris in Pollingen floruerint unanimes, etiam in ipsa morte non essent ab invicem separati.

Philippo accenseri meretur Michaël Schmidhofer Lazenſis - Tyrolenſis, Vir limati iudicii, & patientiæ ſtupendæ, quem adverſa nulla fregerunt, bonus Grammaticus æque ac Historicus, excellensque Orator. Primum hic, ingenti, quo flagrabat, Juventutis bene educandæ, humanioribusque Litteris imbuendæ zelo accensus, Seminario nostro ſub Protectione SS. Angelorum Cuſtodum erecto Fundamentum poſuit, brevique temporis intervallo ſic profecit, ut numerus Scholarium ad ſexaginta & ultra excreſceret, Alberto tot novis Apollinis Candidatis non ſolum novas Muſarum Sedes Anno MDCCXXI. magnis ſumptibus apparente, ſed etiam alia ſubſidia neceſſaria liberaliter conferente; & quamvis nulla ingenii ſui Opera edidit, plurima tamen fecit perennatura in ævum, Titulo *Fundatoris Seminarii noſtri Muſarumque Statoris inclyti digniſſimus.*

Suam quoque laudem merentur ſequentes: imo. Kilianus Kögler Landſpergenſis, celebris illius Jeſuitæ Ignatii Kögleri Miſſionarii Sinenſis, Frater Germanus. Docuit hic aliquot annis Domi & Schlehdorffii Philoſophiam & Theologiam, multaque nobis pretioſa Scripta reliquit; Obiit tandem Vicarius in Peiſſenberg ætatis anno XXXXIII. Febri maligna, quam ex proviſione moribundæ oviculæ contraxerat, intra triduum abſumptus, vere victima charitatis. 2do. Albertus Nocker Tölzenſis; hic etiam tradidit Philoſophiam & Matheſin, variosque poſt ſe Tractatus nobis reliquit, linguæ Gallicæ admodum peritus, pariter mature conſumptus anno ætatis ſuæ XXXXVIII. 3tio. Herculanus Vogl Dieſſæ natus; abſoluto hic Curſu Philoſophico, quem intra Biennium cum ſuis Diſcipulis decurrerat, Philoſophiæ Pollingænæ ab Amortio jam dudum editæ, & Venetiis Tomulis quinque reimpreſſæ *Sextum*, quo *Aritmetica, Geometria, Trigonometria, & Aſtronomia* continentur, ſub Titulo *Matheſis Pollingana* addidit. Dein cum Linguarum, præter Gallicam & Italicam, etiam Sacrarum eſſet peritiſſimus, Latinitate donavit *Tractatum* quemdam *Theologicum de Peccatis ignorantia, Authore R. P. Daniel S. J. Theologo*, poſtea in *Controverſis novis Moralibus a R. D. Eusebio Amort &c.* Anno MDCCXXXIX. Auguſtæ Vindelicorum impreſſum. Præter iſta ſcripſit etiam doctas *Animadverſiones in Hiſtoriam Eccleſiaſticam R. P. Hyacinthi Graveſonii Ord. Præd.* Item nonnullas *Panegyres aliasque Conciones.* Verum, dum primo anno Theologiam actu doceret, ſubito Febbris Petechialis intra tridui inducias conſectum præmature dilectum noſtrum Herculanium abſtulit, anno ætatis trigefimo nectum exacto.

Ultimo tandem memorandus nobis etiam eſt Damianus Knoll Welshovenſis, inſignis Pharmacopæus, qui Pilulis ſuis celebratiſſimis, vulgo nomen a loco Pollingano habentibus, etiam in exteris remotiſſimis Regionibus Nomen ſibi percelebre fecit, æternumque.

XLI.

FRANCISCUS Töpsl Monacenſis inter ipſos Belli Boici tumultus pacifice & Canonice ex Decano in Prælatum primo electus eſt Scrutinio Anno MDCCXLIV. Die XVI. Aprilis. Electioni tanquam Præſes intererat ex Parte Sereniſſimi ac Reverendiſſimi Principis *Joſephi* ex Landgraviis Haſſiæ & Principibus Hirschfeldiæ &c. Episcopi Auguſtani, ejuſdem in Pontificalibus Vicarius Generalis, Excellentiſſimus DD. Joannes Jacobus de Mayr, Episcopus Pergamenſis, & Caroli VII. Imperatoris ac Ducis Baviariæ &c. Conſiliarius intimus &c.

Scrutatores erant RRmi DD. Præſules Herculanus Karg Dieffenſis, & Gilbertus Köchl Bernriedenſis. Ex Parte autem Supremi Regiminis Monacenſis (Bavaria enim hoc tempore adhuc erat ſub Potestate & Adminiſtratione Militis Auſtriaci) tanquam Commiſſarii aderant RR. Dominus de Schwegerle Canonicus Capitularis ac Senior Collegiatæ Eccleſiæ ad D. Virginem Monachii, & Perilluſtris Dominus L. B. de Ginsheim, Ambo Conſiliarii Eccleſiaſtici &c. &c. multique alii Hoſpites illuſtres diverſi Status & Ordinis.

Tertio abhinc die, nempe XIX. Aprilis, ipſa Dominica II. poſt Paſcha, Neo-Electus ſtatim a nunc dicto Suffraganeo Auguſtano benedictus eſt Pollingæ ad Dominum

num Salvatorem Assistentibus RRm̄is Præfulibus Dieffenſi & Weſſofontano Bēda Schalhamer &c.

Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus Comes Marcyus d'Argenteau, Mareſchallus Campi, Generaliſque Copiarum Auſtriacarum Locum-tenens, cum pridie Electionis Pollinga, ubi ſua tenebat Stativa hybernalīa, Monachium propter advenientium, Hoſpitiū nimium numerum excurreret, ipſa Benedictionis die ad noctem iterum Pollingam rediit, perendie ad Exercitus Auſtriacos verſus Rhenum abiturus, quem numeroſi ejus Domestici cum Mulis & Equis bene paſtis &c. paulo poſt inſecuti ſunt.

Quam ſgrave fuerit initium, non eſt hujus loci indicare. Neo-Electus cum Crucem, quam non quæſivit, invenit, Inventioni Crucis volens ſubjungere Exaltationem Crucis, illud Pſalmi XXIX: *Quoniam ſuſcepisti me, exaltabo te*, ſibi proprium adoptavit, adjecto hoc Lemmate: *Inventa levetur*. Cæterum præeſt adhuc, & de cunctis ſuis Actionibus præteritis, præſentibus, & futuris Judicium Dei cum timore & tremore exſpectat.

Additio ad Canoniam Paſſavienſem S. Nicolai.

Series Præpoſitorum ad S. Nicolaum extra muros Civitatis Paſſavienſis ſerius tranſmiſſa.

I. LUDGERUS, ut nemini doctrina vel ſanctitate facile ſecundus, ita in regimine Eccleſiæ Nicolaitanæ omnium primus fuit. Non ita certum eſt, quo tempore regere cœperit, quam quo vivere deſierit. Præſuit annos 17. & tres menſes teſte aliquo manuſcripto; & ſupremam diem clauſit anno 1080. 8va Junii. Itaque ad regimen adſumptus fuerit neceſſum eſt anno 1063. menſe Martio. Atqui Fundationis Literæ primum datæ ſunt anno 1074. Conjicit ergo Hundius cum Aventino ædificationem Monasterii jam anno 1050. captam fuiſſe, & poſtea demum Literas Confirmationis emanari: Sed res ſubleſtæ fidei eſt, ſiquidem ſanctæ memoriæ Fundator Altmanus tunc temporis Patavinæ nondum rexit Eccleſiæ gubernacula. Si conjecturis eſt locus, quid prohibet dici: Ludgerum non 17. ſed 7. annos ad Clavum Eccleſiæ Nicolaitanæ ſediſſe.

II. ENGELBERTUS, qui per ſacram profeſſionem ſubeſſe didicit, poſtmodum 20. Julii anno 1080. Eccleſiæ regimini admotus ſumma cum vigilantia præeſſe non ignoravit. Poſt 23. annorum, & 5. dierum ſpatium regere ſimul ac vivere deſiit 25. Julii 1103.

III. RICHERUS, in quo religioſe vivere edocſus, in eodem Monasterio creditum ſibi gregem paſcere curabat verbis & exemplo vitæ, quam exactis 19. annis finiit 17ta Novembris anno 1122. Hunc excepit

IV. UDALRICUS, quam fidelis hujus Monasterii profeſſus, tam adcuratus poſtmodum in Præpoſitura Diſpenſator. Regimen, quod naſtus eſt Dominica Jubilate anno 1123. cum morte commutavit anno 1139. 23. Februarii. Hujus Succellor erat

V. BERNARDUS I. Profeſſus ejusdem Canonice, cujus gubernaculum tenuit viginti annos: Sed dum viribus ex adverſa valetudine amplius haud valebat, porro præeſſe non volebat. Quemadmodum igitur Prælaturæ, ita paulo poſt etiam vitæ ultimum dixit vale anno 1159. 9na Junii.

VI. MEINHARDUS quam Religioſo laudabilem & piam habebat animam, tam Præfulē dignam exegit vitam. Noluī Monasterio debere Prælaturam, niſi idem ſibi plurimarum rerum deberet incrementum. Poſt octo annos, menſes duos, 18. Auguſti 1167. hic ad ſuperos; ille, qui ſequitur, ad regendos confratres ſuos evocatus

VII. SIBOTHO, cujus laudabilis vita fideli regimini optime reſpondebat. Regebat annos 9. menſes quatuor, & in Domino pie obiit 25. Novembris anno 1176.

VIII. ALBERTUS ſeu ADALBERTUS in Necrologio noſtro expreſſis verbis Profeſſus & Octavus hujus Monasterii Præpoſitus legitur. Cui etiam plus fidei deſerimus,

rimus, quam vel Pruschio, vel Chronico Reichenspergenſi in longe anteriora tempora huncce collocantibus. Ceterum in digniſſimo hoc Præſule miram Religionem, & ſingularem in Conventuales fratres amorem ſuſpicere fuit. Bona Monafterii plurimum ab ſe aucta habent, ut ſolerti œconomix ſuæ in acceptis referantur. Poſt 13. annos, & meſes ſeptem communi hujus lucis uſura frui deſiit anno 1189. 18. Februarii.

IX. ENGLMARIUS natione Bavarus, pietatem individuam inſigni doctrinæ junxit Comitem. A terreſtri regimine ad cœleſtia regna migravit 17. Martii an. 1205.

X. HAYMO in amplectendo ſacrum inſtitutum Canonorum Regularium S. Auguſtini adhuc puer, certe in perſeuerando a Viro nihil abluiſit, utpote tandem dignus, qui Viros regeret. Poſt laudabiliter exactos in Præpoſitura 7. annos amplius non rediturus abiit ad Patres 15. Julii 1212. Sed altera mox die

XI. HENRICUS I. Canonicus Salisburgenſis, Vir nobilitate conſpicuus hujus Monafterii Antiſtes designatus fuit. Vitam duxit nemini non imitandam. Diſpenſavit fideliter, diſtribuit liberaliter, correxit indefeſſe, Profecto nulli intra quatuor regiminis annos ſuccubuit, niſi morti, 27. Julii anno 1216.

XII. CONRADUS I. Profeſſus hujus Canonix. Ut Antecceſſoris ſui regimen, ita ejus in diſpenſando fidelitatem ſequutus erat. In Orationibus, aliisque religioſis exercitiis plurimum temporis poſuit. Poſt annos tres, meſes duos mortalem hanc vitam deſeruit 6ta Maji 1219.

XIII. BERNARDUS II. vere Paſtor bonus quam ſolicite vigilans, ut Religioſas ſuas oves paſceret, tam miſericors, ut pauperes aleret. Hujus vires, quæ multis exantlatis laboribus minui non poterant, fractæ ſunt morte 1. Auguſti anno 1223.

XIV. UDALRICUS Cæſar natione Suevus, Vir alioquin magnæ auctoritatis, quam tamen vita virtutibus clara multo illuſtrioriorem reddidit: unde velut ex gemino fonte in hanc eccleſiam multa bona derivata fuere. Viam univerſæ carnis ingreſſus eſt 6. April. 1239.

XV. HENRICUS II. periculum navi timens, ſi dormiat, qui ſedet ad gubernaculum, Præpoſitus ſane vigilantiffimus fuit: Solidæ doctrinæ pietatem arctiſſimo nexu adjunxit. Superatis in Paſtorali officio undecim annis in Domino quievit 4. Auguſti 1250.

XVI. GERBOTHUS ut religione, ita œconomia claruit: idemque huic Præſuli ſedulitatis, qui diſcretionis ſpiritus fuit. 6. annis & tribus meſibus in hoc orbis pelago navim Monafterii regens, tandem ad æternitatis portum adpellabat 24. Aprilis 1256.

XVII. LEOPOLDUS Francia oriundus, anno 1256. Præful eligitur, qua dignitate non ſine laude functus tandem deſunctus eſt 5. Februarii 1263. undecim annos, & 15. dies ſede vacante

XVIII. CONRADUS II. adſumitur ad regimen monafterii ære alieno peſſime ſæcularibus adminiſtrantibus vehementer onerati. Cui acceſſit malorum maximum, quod hujus Canonix optima quæque, Civibus Patavinis contra Bernardum Episcopum ſeditionem moventibus, Caſtro Neuburg ad Oenum ſupra Pataviam ſito, ceu tutiſſimo receptaculo credita fuerint. Equidem claſtro arcta obſidione cincto, tandemque expugnato ab Othone & Stephano Bojorum ducibus omnium rerum jactura facta fuit. Queis ærumnis tandem ereptus eſt Conradus 16. Febr. anno 1293. Videtur Canonix maxime ob bellorum injuriam capite rurfus deſtituta manſiſſe 10. annos, quia primum Dominica Jubilate anno 1303.

XIX. UDALRICUS III. viduatæ Eccleſiæ Sponſus ſimul & Præful deputatus fuit: qui Podagra & vario morborum genere in dies vexatus ultro munere ſuo ſe abdicavit Feria II. ante Dom. 3. Adventus, anno 1320. Cui ſucceſſit per compromiſſum electus

XX. WOLFHARDUS Ebertwein de Wert Feria 6ta ante Epiph. anno 1321. cujus ſolidæ doctrinæ & pietati Canonix multum debuit, ipſe naturæ debitum perſolvit 13. Auguſti anno 1331.

XXI. WERNHERUS de Lampolding quinque dierum intervallo, scilicet 18. Augusti ad regiminis fastigium evectus summæ sibi pietati duxit, si in pauperes, præcipue in Musarum Alumnos parcus non esset. Incidit in morbum, quo Filii Patre, studiosa juvenus Mæcenate orbata fuit 28. Febr. 1348.

XXII. FRIDERICUS Festo Apostolorum Petri & Pauli a Con-Canonicis suis positus fuit regere Ecclesiam, in qua attendit sibi & universo gregi: Bona Monasterii non tantum non minuit, sed admodum auxit. Prælatorum vetustior Catalogus probabilius non mortis, sed regiminis sui finem in annum 1365. rejicit; Epitaphium vero mortis tempus statuit diem 9. Decembr. an. 1380.

XXIII. OTTO meritis plenus, ut succederet Friderico anno 1365. obiit tandem dierum plenus 10. Jan. 1382.

XXIV. URBANUS eminuit administrandis rebus tam temporalibus, quam spiritualibus, sed quatuor post annis animam egit 14. Junii anno 1386.

XXV. PHILIPPUS Camerarius ad regiminis culmen evectus avulsas a Monasterio Parochias recuperavit, & recuperatas reformavit: Aliis quoque præclare gestis maxime clarus, & futurus clarior, nisi fortassis morti jamjam maturus extremum spiritum efflasset 5. Decembris 1389.

Funestissimus vere annus! quo Mors Præfulèm e vivis sustulit, & incendium in Castro Neuburgensi Feria II. Paschæ exortum Totam in dicto Castro ceu in tuto positam sumptuosissimam Bibliothecam, & fat divitem preciosissimarum rerum supellectilem penitus devastavit.

XXVI. HERTWICUS Lenzenrieder superatis in regimine undecim annis expiravit 17. Maji anno 1400. Cui successit

XXVII. MARTINUS, quem pietas probavit, singularis Religio, & solers œconomia optime commendavit. Sancto Blasio dicata dies ultima regiminis, & prima mortis erat, quæ incidit in annum 1421.

XXVIII. CAROLUS nulli diligentia parcens, ut Pastorale suum munus strenue obiret, obiit 25. Novembris 1424.

XXIX. JOANNES Straubinger ad regendum electus duo sacella erigi curavit, quorum unum Spiritui Sancto, alterum Divæ Virgini esset sacrum. Bona Monasterii novis cumulavit bonis. Sub hujus regimine Sigismundus Imperator Monasterium in suam protectionem recepit, in simul Privilegia & gratias ab Antecessoribus concessas clementissime confirmavit. Filios Orphanos, & Ecclesiam fecit viduam 28. Julii anno 1451. Post hunc

XXX. JOANNES Wolf per quidecim annos creditas sibi pascebat oves. Sed mors percussit pastorem anno 1466. 27. Decembr. Et ne dispergerentur oves

XXXI. JOANNES Hachinger ovili præficietur. Quoniam vero confirmatus non fuit, resignavit anno 1471. Cui successit

XXXII. LEONARDUS Kalauner Austriacus Lengensfeldensis AA. LL. & Philosophiæ Magister. Canoniam Thiernstainensis in inferiori Austria ad Danubium sita hunc Præfulèm dedit. Postulabatur enim per viam compromissi a Reverendissimo Udalrico Pataviensis Ecclesiæ Episcopo, in id Illustrissimo Baviaræ Principe, ejusque Consiliariis consentientibus. Resignavit anno 1475. verum Friderico Camerario anno 1478. vita defuncto rursus ad Prælaturam vocatus primum 10. Febr. 1489. ex hac mortali ad feliciorẽ vitam decessit.

XXXIII. STEPHANUS Hager de Ekenfeld natione Bavarus insignibus Præfulis donatus est anno 1489. quæ abdicavit anno 1502. atque ita 13. Aprilis non dignitate orbatus, ut Hundio placet, sed vita defunctus fuit, ut Pruschius refert an. 1506.

XXXIV. GEORGIUS Mayr eundem ferme nativitatibus, quem habuit regenerationis locum. Pago adiacenti carnalem, ipsi Monasterio vero vitam debuit spiritua-lem: in illo natus est Monasterii subditus, in hoc tum ipsius Monasterii, tum omnis ditionis rector evasit. Munus, quod obiit, impigre gessit. Dum quasdam Ecclesias Canoniam suam unione copulavit, ipsa unio corpus suum inter & animam dissoluta fuit 11. Julii 1515.

XXXV. MICHAEL I. cujus doctrina probitati vitæ nihil profus detrudere, & magna auctoritas, qua pollebat, singulari conventualium fratrum amori nihil omnino præjudicare potuit, annos 4. præfuit, & mortuus est 8. Aug. 1519.

XXXVI. SIGISMUNDUS Reifacher, vulgo *Probst Hämmerl* inde dictus, quod duos malleolos in insigni habuit. Vilspiburgi in Bavaria primam lucem aspexit. Innata gravitati blandientem bonitatem opportune admiscere optime calluit. Multa ædificavit, quæ dum pulchritudine sua curiosum oculum recreant, etiam utilitatem maxime commendant. Morti fores ejus pulsanti 12. Jan. 1540. eo minus adperire reluctatus, quo frequentius bene valens in ore versabat verissimum illud effatum: *Alles Ding ein Weil*. Quiescit in Capella S. Ruperti, ad cujus Sepulturam adpena fuit tabula Christi sepulturam referens, quam pinxit Wolfgangus Hueber, qui a Pruschio Apelles Germanicus audit. Verum ut huic servandæ melius consuleretur, inde translata, & in quodam cubili collocata fuit. Amplius dignissimum hunc Præsulem depingit Epitaphium Carmine heroico in ejus laudem inventum, quod ita sonat:

Quidquid in hoc Claustro cernis splendore paratum.

Malleolo gemino, studio hujus Præsulis extat,

Sigismundi egregii - quo vix præclarior alter:

Aræ testantur, loquitur pariesque domusque,

Præfuit hic certe cunctos feliciter annos.

Dignus es æterno Præsul memorabilis ævo,

Cui laudem fratres cantent, Patresque sequentes.

Nunc propiore Dei rutilum super æthera Præsul

Aspectu frueris sancta in Numina Cœli.

O utinam Tibi succedat sic postera turba,

Cœnobium ut tandem antiquo splendore resurgat.

Mille annos numera, & quingentos, adde quaterque

Denos, Sigismundus decus indelebile Claustri

(Heu!) cadit, unum & viginti cum dimidioque

Annos dum rexit: merito super æthera gaudet.

XXXVII. VALENTINUS Göttinger Austriacus Welfensis ad summum eventus est Pastoralis dignitatis apicem 26. Januarii anno 1540. Hic nullius amplius quam Litteratorum delectabatur necessitudine, & ipse Litteris excultus, ut qui maxime. Discessit ex hoc orbe 13. Febr. 1547. cui successus est

XXXVIII. THOMAS Gunnerus anno 1547. Feria II. post Dominicam Oculi, quæ fuit 14. Martii. Non talem Hundius, non monumenta nostra probant, qualem Pruschius commendat. Comem dicit, & hospitalitatis officiis haud facile ab aliis superandum. Litteratorum fautorem adpellat, & scientiarum promotorem longe maximum deprædicat: Leonardum Baningerum, qui & a consiliis erat, ejusque filium Sophoniam Musices peritissimos, & Christopherum Pielerum Matheseos expertissimum Cara sustentatione alebat. Hæc Pruschius de Thoma, altissimo silentio premens, quomodo res ecclesiæ administraverit? Certe id Hundio, id monumentis nostris largiendum erit, Thomam aut 2da Februarii 1556. depositum, aut alioquin cum quibusdam preciosis in Austriam aufugisse, ubi anno 1560. spiritum suum emisit, utinam ne infeliciter nimis! Interim Domino Christophero Hueber, & Joanni Pfenningmann rerum temporalium administratio credita fuit, his vero suæ potius, quam Monasterii utilitati consulentibus anno 1557. vigesima secunda Maji.

XXXIX. MATHIAS Werl unanimi Canonicorum consensu Præsul electus fuit. Sed vario morborum genere graviter decumbens eas vires, quas tum debuit, tum voluit, Canonice regendæ impendere non potuit. quapropter se subduxit Prælatuæ anno 1563. non vero morti, quæ sequuta est 19. Febr. 1569. huic e vestigio in regimine successit

XL. AUGUSTINUS Arnold natione Suevus, Sacra Professione Pollinganus: nihil est, quod in sedula hujus administratione possemus carpere, sed laudare omnia.

Tredecim annos suis Religiosis leges dixit, 6ta Sept. accepit & ipse a morte legem, secundum quam debuit mori anno 1577. Successit

XLII. HIEREMIAS Kirchmair multa religione vir, & scitus rei familiaris administrator. Post octo annos Præsul desit, & funus esse cœpit 19. Martii anno 1585.

XLIII. ABRAHAMUS Anzengrueber Austriacus, hujus Cœnobii professus anno 1585. Antistes electus, & septem post annis confirmatus, id est, benedictus fuit. Si quid utiliter gessit, sane illud Canonice utilissimum accidit, quod dignitati suæ nunciium remiserit 4ta Novemb. anno 1599. Post hunc

XLIV. MICHAEL Herrerus AA. LL. Magister, professus in Baumburg, Præpositus in Suben, ad Canoniam S. Nicolai regendam postulatus fuit. Sed postquam præfuisset annos tres, menses septem, & dies viginti sex, ultro munere suo se exiit anno 1603. Lemma hujus Præfulis erat:

Tendit in ardua virtus.

XLV. MARTINUS Zeillman anno 1603. dignus æstimatus, qui inter suos Principem teneret locum. Nec spes fefellit; templum enim novis ornamentis splendere cœpit: & quod ad omnia Martinus officio suo dignissime perfunctus in morte requiem, & in cœlis laborum mercedem invenit 29. Aug. 1623.

XLVI. FRIDERICUS CAROLUS Haider Bojus Kelhaimensis summa hujus Canonice potitus est anno 1623. Tantis omnigenæ virtutis radiis coruscabat, ut iisdem quoque Ecclesia ad S. Magnum Pedeponti non tam illustrari, quam foveri amaverit. Rexit utramque Ecclesiam tanta cum laude, ut 5ta Septembris anno 1639. morte abreptus magnum suis filiis mœrorem, & ingens sui desiderium reliquerit. Sed

XLVII. NICOLAUS Proter mœstissimis Canonicis aliquantulum absterfit lacrymas, ubi 26. Septembris 1639. Præsul electus differtissima ubique jam caritatis, modo pietatis, & insignis in pauperes misericordie vestigia reliquit. Obdormivit in Domino 19. Aprilis 1648. Viduatæ Ecclesie Sponsus

XLVIII. VITUS CHRISTOPHORUS e multis electus simul & confirmatus fuit anno 1648. Hercule virtutum cumulum in uno hoc viro cernere & admirari erat. Insignis caritas primum sibi certe vindicaret locum, nisi rarissima Pietas, mirabilis scientia & sapientia sibi eum deberi altissime protestarentur. Inde enim tot victorias sibi peperit, quod causas controversas habuit, semper hoste suo superior, quisquis Ecclesie jura impugnare est ausus. Qualis Oeconomus fuerit, loquuntur altaria, restantur Ecclesie ornamenta, ad quorum splendorem aurum & argentum largissime effudit, imo luculentius œconomice suæ testimonium perhibent aucta Monasterii bona, debita expuncta, & thesaurus successoribus relictus, qui ad perficiendum Claustræ ædificium abunde sufficeret. Paucis: qui omnes antecessores longe superavit, & nulli in nulla virtute cessit, tandem a morte superatus fato concessit 5ta Aprilis anno 1666. Lemmate utebatur:

Finis laborum funus.

XLIX. CLAUDIUS Aichel ex Alfatia oriundus uti Vito successit in Festo S. Claudii anno 1666. ita omnem operam navavit, ut Viti quoque virtutum vestigiis insisteret. Incomparabili scientia, & insigni doctrina sua teterrimas procellas, quæ non raro in suum & Monasterii caput detonare minabantur, dexterrime propulsavit, & Jura Canonice tunc temporis quam maxime quassata concuti non est passus. Novi ædificii, quod clausuram adpellamus fundamenta posuit; atque ut novis & variis utensilibus & ornamentis splenderet templum, nullis pepercit sumptibus. Vir vere humilis, qui ab Innocentio XI. jure Insulæ collatæ numquam est usus, suis successoribus malens, quam sibi hunc honorem obtingere. Piissime oculos & vitam clausit sub Choro Capitulari marmoreo lapide clausus 18. April. 1683.

CL. EUSTACHIUS Hauser Salisburgensis Insula omnium primus suum fecit condecorari caput. Hic Religiosos suos, ut amat dici, vere in oculis ferebat: unde nihil frequentius in ore fuit, quam celebre illud dictum: Vivat Religiosa Caritas. Cui ab omnibus adclamatum est Lemma: Amari, non timeri. Cæptum ab Antecessoribus ædificium absolvit, & Ecclesie thesaurum pretioso pedo ex unicornu insigniorem reddidit. Hospitalitatem omnibus munifice exhibuit, Religiosis præcipue Austriacis, qui Turcis Viennam obsidentibus ad Eustachium ceu Patrem copiose confugerunt.

Tan-

Tandem apoplexia tactus ultro desit regere anno 1689. vivere vero 23. April. 1692. Quiescit in Capella S. Ruperti.

L. SEVERINUS Kempf ad S. Nicolaum anno 1648. natus vacantem sedem occupare electus anno 1689. die 28. Septembris. Sed summo omnium mærore, quin integritatem explevisset annum, morte abreptus fuit 14. Septembris 1690. Hic certe omni virtutum genere excellit, & licet laudabilium Præfulum trita vestigia premeret, attamen ob brevitatem regiminis, quod narraretur, reliquit nihil, nisi mœstissimas lacrymas, & fratrum gemitus, quibus Virum maximæ spei sibi ereptum lamentabantur.

LI. MICHAEL Irmel natione Carinthus, Patria Lavantinus, Præfulis dignitate insignitus est 9. Novembris 1690. Vir admodum prudens negotia tardiore studio tractare maluit, quam minus circumspicere; haud immemor illius dicti Alexandri III. Pontificis Maximi ad Ludovicum Galliarum Regem: melius esse in servanda maturitate damnum incurrere, quam in præcipitatione peccare. Adversis rebus æque utebatur ac prosperis, suis semper sibi objiciens: Per aspera ad ardua: Hinc invicta sua patientia non sinistris casibus, non senio, non dolorum acerbitate unquam vel minui, vel expugnari potuit. Occubuit 2. April. 1712. & in Capella S. Floriani sepultus jacet.

LII. JOSEPHUS Griesmiller in arce superioris Austriae Praitenbrugg lucem hujus Orbis adspexit 17. Novembr. 1662. Nomen Religioni dedit 29. Sept. 1685. Sacerdos ad aram stetit 12. Octobris 1688. Præful hujus Canonice unanimi consensu electus 11. Maji 1712. Nihil scientiæ, virtutis nihil in Præstantissimo hoc Viro desiderare posses. Suavissimo suo agendi modo tam suorum, quam exterorum animos sedare posses. Qui bi ita devinxit, ut omnes fere communi Patris nomine eundem insignirent. Qui pleraque scivit, toto regiminis tempore vel uni malefacere penitus ignoravit. Ut Canonica nostra Lateranensis Congregationis Juribus & Privilegiis gauderet, Roma obtinuit; atque ut Ecclesia non Gothorum inventioni, sed novissimorum templorum arti suam deberet formam, amplissimis sumptibus non pepercit. Ad hæc hujus parsimonia templum habet, ut pretiosis niteat ornamentis, & Bibliotheca optimis selectissimisque abundet libris. Tegimen, vel ut dici obtinet, Baldachinum portatile, sub quo in solennitate Corporis Christi Augustissimum Sacramentum Reverendissimus Abbas multa comitante turba circumgestat, confici curavit. Holofericum est, pene dixissem aureum, quia vix cernere est, quod aureis pulchre rutilantibus non esset interstinctum vel floribus vel figuris, quodque ob pretium suum ad hodiernam usque diem multis exteris videndi cupiditatem, visi admirationem elicit. Ædificium, quod ad Oeni partem prominet, extruxit funditus; & insuper æs alienum non modo non contraxit, sed contractum expunxit. Professione & Sacerdotio Jubilæus 16. Julii 1741. vero fulcrum hujus Canonice semiplexia quatitur, & heu! omnium cum mærore concutitur 25. ejusdem mensis. Sepultus est in Capella S. Ruperti, ubi ipse funebrem sepulturæ lapidem jam ante viginti tres annos sibi posuit, omni scilicet die & vivere & mori paratissimus.

LIII. WOLFGANGUS Zendl Patavinus 21. Aug. 1741. Capite destitutus Canonice dignum caput eligitur. Doctrinæ excellentia, cogitandi sublimitate, & disputandi subtilitate paucos sibi pares, superiorem habuit neminem. Belli injurias, quæ in ipsum sui regiminis initium inciderant, æquali vultu & constantissimo sustinuit animo. Prudentissima sua vivendi norma ipsos etiam hostes strinxit, ut amice agerent, & summi eorum Chiliarchæ Wolfgangum velut unum ex suis tenerrimo amore complecterentur, quo factum est, ut Monasterium a multis incommodis, gravioribus detrimentis, pluribusque molestiis integrum conservatum fuerit. Bibliothecæ, cui pluribus præfuit annis, vere Librorum Theaurum reliquit; Ecclesiæ pretiosos quosdam paratus comparavit, & mensam variis argenteis, auroque oblitis instruxit vasibus. Canonice amplius prodesse & volens & potens diutina ægritudine lecto affigitur, qua 22. Decembris 1754. emortuus, sepultusque fuit in Capella S. Augustini, ubi perenni ejus memoriæ venuste elaboratum ex marmore lapidem posuit Dignissimus Successor

LIV. SEVERINUS Spiesperger Bojus Riedensis unanimi omnium Suffragio 23. Febr. 1755. electus. Vivo elogium dicere, singularem ejus modestiam sauciare foret. Interim ad unum omnes ad cœlites vota mittunt, ut Optimum hunc Patrem superstitem servare velint in longissima tempora. Fiat!

PRAGENSE I.

Cæsareum Canoniorum Augustinianorum Collegium communiter *Carolinum*, item *Carloviense*, germanice vero *Carlsböff* intitulum Pragæ in ipsa Bohemiæ Metropli & quidem in ea parte, quæ *nova civitas* appellatur jucundissime situatum, hodie (publico omnium testimonio) virtute & scientia inhabitantium vere floridissimum. Primus hujus Author & Fundator extitit, qui templum illius cum adjuncto religiosorum virorum domicilio, specialiter in honorem Beatæ Virginis Mariæ sub titulo in cœlos assumptæ, & S. Caroli hujus nominis primi cognomento magni invictissimi Galliæ & Germaniæ Regis dedicari voluit Augustissimus Princeps ac Dominus Dominus Carolus IV. potentissimus Romanorum Imperator Rex Bohemiæ &c. Fundationis Diploma totum hic inferere lubet:

Fundatio Canonice Carloviensis Augustissimi Cæsaris, & Serenissimi Regis Bohemiæ Caroli IV.

Ad perpetuam rei memoriam Imperator Æternus in excelsis polo throni sideri mortalium facta discutiens sic creatis universis præsidet, ut dum nostræ fragilitatis materiam indeficienti bono in termino vocare dignetur, ad gloriam sine quavis acceptatione personæ Regiæ, sublimitatis insignia ab humilitate plebeja non fecernat, ut si unus imprimis, qui & unus absque paritate sociâ condidit universos, ut igitur Regis omnipotentis in Sanctissimis Divo Carolo Imperatore Augusto prædecessore nostro, & aliis Romanorum, & cæteris Catholicis Regibus tanto veneremur decentius quanto nos causâ regis dignitatis fastigia, oculata fide conspicuus gratiosus elevatum animo deliberato non per errorem aut improvide, sed sano nostrorum procerum & fidelium consilio accedente Monasterium novum, quod titulo Sancti Caroli Magni Imperatoris Augusti prædicti annotari decernimus in nova civitate nostra Pragenfi nunc ex novo construimus, & fundamus, ac id ipsum Archi-Abbati & Conventui Canoniorum Regularium. Quos ad hoc instituere nostra deliberavit provisio gubernandum promisimus, ac perpetuo possidendum quique eo fructuosius divinis laudibus insistere valeant, & pro nostra, ac progenitorum nostrorum salute omnipotentis Dei misericordiam exorare devotius pro se videant regis subjectionis præsidii abundantius communitos, prædictis Archi-Abbati, & Conventui Monasterii S. Caroli Magni Successoribus eorum eidem Monasterio in perpetuum triginta domos incipientium a parte una templi S. Catharinæ & S. Chrysoctomi usque ad Collegium S. Appollinaris cum hortis vineis, agris & viretis, in fundo Monasterii usque ad amnem Cedron in viridi valle, & muros civitatis sub eodem Monasterio. Item *Quadragesima* & unam Marcas reddituum argenti ponderis montium Cutnis, quinquaginta sex grossos Pragenfes pro Marca qualibet computatis, in & super civitate nostra Gurimensi, & censum quem Camera nostræ tenentur, nec non decimas in oppido nostro Biela, sive Aqua Alba prope Castrum Bezdiez, cum omnibus juribus & pertinentiis reddituum, sive utilitatum talium, sicut ad Regalem Camera spectaverunt hætenus damus, *conferimus & donamus*. Mandantes nihilominus Judici, Juratis, & Universitati Civitatis Curimensis prædictæ, nec non Purgrabiis Castri Bezdiez, & thelonariis Rectoribus sive Conductoribus thelonii in Biela, sive Aqua Alba prædicta, qui pro tempore fuerint fidelibus nostris, quatenus præfatis Archi-Abbati & Conventui Canoniorum Regularium Monasterii S. Caroli Magni & successoribus eorum in perpetuum, cum censu & decimis prælibatis parere debeant, & cum solutione circa prædicta alias fieri solito consuetis, & oportunitate temporibus obedire sub pœna nostra indignationis, quam qui secus attentare præsumpserit, se cognoscant graviter incurrisse præsentium sub nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Pragæ Anno Domini Millesimo Trecentesimo quinquagesimo. Jubilæo, Indictione tertia, quarto decimo Calendis Octobris, Regnorum nostrorum Anno quinto.

De fati hujus Canonice Georgius Crugerius Soc. Jesu in suis *Sacris Memoriis* die 15. Septembris hæc habet: *anno Domini 1351. Carolus IV. Cæsar & Rex Bohemiæ in sua Carolina civitate seu Neo-Pragæ in colle altiori, quam sit S. Appollinaris Ecclesia e regione Wissebradi ad ipsos muros manu sua ponendo primum Lapidem fundavit Basilicam a Carolo Magno hodie Carolinam dictam. Meretur enim vero hoc agnomin, non quidem mole sed artificio Architectonico, utpote in altum educta citra ullius columnæ adiutorium, quo plerunque Gothici operis templa fulciuntur. Post annos 16. sive sub annum Domini 1377. quamvis nedum esset absoluta omnimode, quia tamen ita rogabat*

bat Carolus fundator hanc ipsam Joannes jam secundus Archiepiscopus Pragensis coram Imperatore Virgini Deiparæ in Cælos assumptæ catholicis cæremoniis consecravit. Et Rex simulque Lucenburgicus Cæsar, ut cobonestaret solemnitatem, lautissimum subinde epulum Ducibus ac Principibus, Comitibus & Baronibus & Imperio & Regno dedit. In quorum capite seu mensa principe sedit Carolus fundator post filius Wenceslaus Rex jam coronatus, Episcopi aliquot. Clausit mensam feriem Joannes primus Carolini monasterii Archi-Abbas. Et die 15. Augusti loc. cit. idem author in consiniis, inquit, novæ Pragæ, non quidem tam vastam mole, sed opere architectonico elegantiore sine columnis sustentantibus in monte Carolino sub hoc eodem titulo Assumptionis Carolus IV. magnifice eduxit. Destructum a Wiclephistis adjacens Cænobium Canonorum Regularium novis ædificiis emundavit ac emendavit Reverendissimus Dominus Archi-Abbas Isidorus natione Hispanus (de quo infra) floret locus sacer numero Religiosorum scientia ac virtute. Item die 28. Januarii. Cæsar & patriæ nostræ Pater (Carolus Romanorum Imperator) ut parvis nominis Patronum honoraret, singulariter apud Bobemos, eidem elegantem ac artificiosam Ecclesiam cum Collegio in colle eminentiore ad consinia Neo-Pragæ in conspectu Wissebradenfis arcis magnifice exædificavit: in quod & Canonicos Regulares non improbabili traditione e Gallia evocatos induxit: utque primæ hujus suæ foundationis celebrior esset fama, fundato altero Ingelheimii in Palatinatu hujus ejusdem religionis Collegio, ac ex hoc Pragensi submissa in istud colonia, Carolinum Abbatem Patrem & Archi-Abbatem probantibus raritatem Pontificibus effecit. Unde etiam in Choro Archiepiscopali in Basilica Divi Viti stallum, ut tum vocabant, nos autem locum seu sedem dicimus, habebat idem Archimandrita: quæ singularitas extra Cleri primores, nulli Regularium emineret, quantum vellet, etiam insula, concedebatur. Consecrata est autem prædicta Carlovienfis Ecclesia a Joanne secundo Archiepiscopo Pragensi anno Domini 1377. ut exaggeraret solemnitatem amplius fundator Carolus IV. huic ipsi cum Principibus, & Proceribus suis præsens, totum argentum, ac etiam aurum, in quo subinde estum est, ac ex quo bibitum fuit, mille marcas adæquans insinuato Collegio Canonorum Regularium liberaliter donavit. Abbatum adeo elevatorum fuisse fortasse triginta & aliquot, quamvis post disturbia Hussitica multum honor attributus, sit immiutus, & ditiores prope omnes hæretici infessores avulserint in abusum profanorum. Tertius e primis Procopius Abbas, & a foundationibus, quarum libri erectionum passim meminerunt, & a visitationibus aliorum Collegiorum sui ordinis celebratur. Interea sub annum 1421. præduce Ziska vulgus Pragenum hæresi ultra modum effrænatum, uti in cætera monasteria, ita & in hoc ferro, flammaque barbave deserviit. Evastati busta deinde rudera, non deseruerunt tamen Canonici, semper proinde reliquias fortunarum, Abbas aliquis prope titularis, cum uno alteroque conservavit. Sub Georgii Regis regimine Joannes vir magnæ literaturæ, multarum præterea linguarum, & suæ religionis valde peritus, veterem foundationem magnopere sattagebat restaurare, ac ut Ingelheimio sibi subjecto etiam provideretur a Glacensibus Canonicis, cum ex suo non possit, suppetias exposcebat. Cæterum sub annum Domini 1611. in Februario, nostra memoria, in occisione monachorum suos quoque Martyres Carlovium habuit. In Ecclesia Clericum, in ambitu conversum, in ipso triclinio Abbatem, exsecris (sit venia legentibus) vivilibus, detruncatis pedibus, manibusque, ac detracta pelle a vertice sacro, quo lolo coronam more sacerdotum Romanæ fidei gestare consuevimus, crudelissime, ex odio utique extremo, hæretici immanes interemerunt. Et quod exaggeret tyrannidem, cum hæc exerceretur lamina in partibus pudendis, feminas inspices admiserunt, quæ adeo enormiter afflicto Abbati, convitiis insuper propudiosis insultare præsumperunt. Erant, credo, pronepotes illarum, quæ quandoque inter Thaboritas commilitones, ad non imparia, non tantum voces sed & manus, veræ utique ex orco furia, ac Eumenides, leguntur commodasse. Sed maleficia sint utinam hæc ultima! recenter certe adeo benigne respexit Deus locum sacerrimum, ut ei daret reparatorem insignem, ac quasi secundum omnino fundatorem. Viro incomparabili, ac Carlovii instauratori egregio, nomen est Isidori, patria ipsa Hispania. Cui genti id proprium etiam quarto modo esse videtur, ut vel novas fundet Religiones, vel minimum veteres nonnihil collapsas cum fama sanctimonie restauraret. Ultimum in Carlovio effecit utique Reverendissimus sub suo regimine ac insula Abbas ISIDORUS. Integrum Abbatum Catalogum celeberrima hujus Canonie exhiberem quidem lubens, ad iteratas tamen preces meas furdas inveni aures.

PRAGENSE II.

In sæpe nominata Boëmorum Metropoli regium itidem Canonici Ordinis Augustiniani Collegium resensetur a Nebridio nostro Mündelheimensi Canonico Regulari in Antiquario monastico Epistola 121. fol. 548. in hæc verba legendum: *Wratislaus ex*

Duce primus Bobemorum Rex Henrici III. Imperatoris gratia, extruxit in arce Pragensi canobium Canonorum Regularium, in cujus fundatione suis humeris duodecim copbinos lapidum mercenarii more gestasse fertur. In hoc collegio dum res divina peragitur non Præpositus tantum, sed Decanus, & Sacerdos, & Diaconus cum Subdiacono Episcopalis indumentis utuntur; de qua eadem fundatione synonyma quoque profert Pessina in Marte Moravico lib. 3. cap. 2. fol. 266. sub hujusmodi tenore: Anno 1068. Vratislaus, in castro suo Wissebrad, Pragæ, Ecclesiam in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum, & S. Clementis, cujus nomini dicata jam antea Ædes sacra pervetus ibi steterat, a Borzivoigio Primo extructa, & a S. Cyrillo, anno præter propter 866. consecrata, fundavit, & in præsentia Legati Apostolici, Joannis Cardinalis & Episcopi Tusculani, qui ab Alexandro II. missus fuerat, ut primum lapidem, ritu in Ecclesia consueto poneret, ipsemet propriis humeris, duodecim copbinos terræ, e fossa fundamenti extulit. Hanc porro Alexander II. anno 1070. in Collegiatam erexit, cum hac amplissima prærogativa, ut nullius interpositu, solis Romanis Pontificibus subesset: insuper solemnioribus per annum diebus, & quoties Dux (nondum erant Reges) Bobemiæ ante se Divina Officia peragi juberet, ut non Præpositus tantum, sed & Decanus, Presbyter assistens, Diaconusque, & Subdiaconus rem divinam facientes, Mitra, Sandaliis, alioque Pontificali apparatu libere uti possent &c. Posteris annis (qualiter jam sæpe citatus Paulinus Bohuslaus me per proprias edocuit) disciplina regularis isthic loci jam pridem totaliter fuit dissoluta, & religiosi Canonici præbendis inter se viritim divisi facti sunt omnino Sæculares.

PRATENSE sive PRATUM MARIANUM & VALLIS SCHOLARIUM.

Pratum Marianum, seu Vallis Mariana Congregationis Parisiensis S. Genovesæ debet suam originem Margareta Comitissæ, quæ cum septem Canonici Ordinis sub Regula S. Augustini militantes Ascetas e S. Catharina Parisiensi, instituendos Valentianis, obtinisset, inde, mutato post biennium consilio, Montes Hannoniæ evocavit an. 1251. iisque locum prope hanc urbem ad ripam fluvii coëmit, ac anno 1252. extructo templo in honorem Beatæ Mariæ Virginis, sub titulo Vallis Virginis, seu Vallis Mariæ, sufficienter dotavit, annuentibus tum Nicolao Cameracensi Episcopo, tum Canonicis S. Valdetrudis. Denique circa 1300. septis oppidi domus ista includitur, ac tandem ex Priorali ad Abbatialem evehitur dignitatem anno 1617. a Paulo V. Summo Pontifice & Alberto Austriaco. De hoc egerunt Monasterio Vinchantius in Annalibus Hannoniæ, & Nicolaus Guisus apud Grammaium, in Historia Montis Hannoniæ, imo præcipua ejusdem loci extat historia typis Montensibus excusa 1637. quam in primis consulimus. Ceterum haut erit fortasse ingratum, si qua hic breviter de ipso Vallis Scholarium congregatione delibaverimus. Anno 1021. Vinchantio, 1225. Guisio, Doctores quatuor Parisienses Guillelmus, Richardus, Evrardus & Manasses sub Divæ Catharinæ patrocinio, & Regula S. Augustini, cœnobiticam amplexi sunt vitam, quorum exemplo multi Viri docti, Montibus præsertim Hannoniæ, Congregationi nomen dedere, ab Honorio III. 1218. confirmatæ. Cur vero hæc ipsa sortita sit nomen Vallis Scholarium, hinc est, quod primarium suum Monasterium in Valle construxerint, ac singulari modestia Scholares maluerint appellari, quam Doctores. Hujus Ordinis Monasteria Belgica sunt, Mechliniense, Montense in Hannonia, Leuvense in Brabantia, & Geronfartum in Comitatu Namurcensi, quæ cum olim non nisi a prioribus solerent gubernari, Montensi, Namurcensi & Leodiensi Monasteriis sub initium Sæculi XVII. Præfecti sunt Abbates.

Series Priorum.

I. WILHELMUS de Triangulo, fuit primus Prior, ac tertius: cum enim post breve regimen abdicasset, iterum admotus est post obitum sequentis.

II. HENRICUS de Roseto eundem qui præcesserat, Wilhelmum de Triangulo, fortitus est successorem.

III. JOHANNES I. de Montigny, quo regente nova construitur Ecclesia sub titulo beatæ M. Virginis, & consecratur a Guidone de Collemedio Episcop. Camera-censi anno 1300.

IV. NICOLAUS I. de Herchie, al. de Harchies obiit 1310.

V. ARNULFUS de Kievraing præerat 1317. 1326. & adhuc 1335. quo anno duo erexit altaria, alterum B. Mariæ, alterum utriusque S. Johannis.

VI. EGIDIUS I. d'Eschauffines, al. d'Escauffines moritur 1350. die 26. Martii, humatur in Sacristia.

VII. JOHANNES II. de MECHLINIA Pœnitentiarius civitatis, in Judæos inquisivit, ob scelus detestandum ab ipsis perpetratum Bruxellis. E vivis excessit 4. Aprilis 1372. conditus in Capitulo.

VIII. JOHANNES III. de Jeune, de quo dubitatur, an Prior extiterit, sane omittitur a Vinchantio.

IX. PETRUS I. de Tornaco anno 1380. tria Claustri Latera excitavit. Transiit ad Carthusianos 1389. mortuus 1397.

X. MATHÆUS le Carlier e vita migravit 1408. jacet in Capitulo.

XI. JOHANNES IV. Roger efflavit animam 1426. sepultus in Sacristia.

XII. JOHANNES V. Regnier extinctus est 1427. in Sacristia tumultus. Sub quo & decessore aliquandiu vitam egit cœnobiticam Johannes Eustachii, qui exinde transiit ad Ordinem Cisterciensem anno 1428. in Abbatia de Molinis, Namurcensis Comitatus, Jardineti postmodum Abbas effectus, non solum propter austeritatem vitæ commendatus, sed etiam ob Spiritum Prophetiæ, quo præditus erat.

XIII. NICASIUS Desgauquier, al. Nicolaus Deskaukiers, occubuit an. 1448.

XIV. PAULUS Giskier in Sacra Theologia Baccalaureus sedebat 1451. defunctus est 1466. repositus in Sacristia.

XV. EGIDIUS II. de Pratis Theologus Baccalaureus, ab officio depositus est anno 1469. mense Majo, & in ejusdem locum subrogatus.

XVI. NICOLAUS II. Desmarez Doctor Parisiensis jamque ab anno 1466. in suprema curia Montensi Consiliarius, statim ab inita dignitate deputatur ab Ordinibus Provinciæ. Caroli Audacis Burgundiæ Ducis mortem funebri oratione profecutus est, coram Margareta uxore & Maria filia. Obiit Vir prudens ac modestus 10. Januarii 1503. postquam annis 35. optime gubernasset. Jacet ante aram S. Augustini sub æreo tumulo.

XVII. NICOLAUS III. Compas antea Subprior, vivere desiit 1505. die 1. Januarii, sepultus in Ecclesiæ navi ad murum.

XVIII. JOHANNES VI. Warlu fundatoribus merito accensendus, ex Vichantio, quod tamen Guisus Michaëli Warlu civi Montensi adscribit. Morte sublatus est anno 1506.

XIX. THOMAS Noiset deponitur 1516. mortuus 1528. cui sane perperam attribuit Vinchantius, quod de Successore mox dicendum.

XX. JACOBUS I. de Lattre Inquisitor fidei per Hannoniam a Leone X. Papa nominatur. Prioratibus Geroldi-Sarti, & Hanfuicæ donatur, favore Caroli Austriaci Hispaniæ Regis, ac deinde Imperatoris. Abdicat se Prioratu Vallis-Scholarium anno 1540. quo anno al. 1541. 8. Febr. obtinuit Abbatiam Hafnoniensem beneficio Mariæ Hungariæ Reginæ & Romanorum Regis. Insequenti vero 2. Maji Habitum Ordinis S. Benedicti suscepit, ac denique obiit 24. Jan. 1544. al. 27. Jan. 1543. pro diverso scilicet annum inchoandi modo.

XXI. NICOLAUS IV. Houzeau in utroque Jure Licentiatus, Carolo V. Imperatori a Consiliis, atque in curia Montensi Senator, defecit anno 1547.

XXII. WILHELMUS II. Mahieu, ex Procuratore domus Prior evasit, fato functus 1557.

XXIII. PETRUS II. Rengier, vel Renger decessit anno 1570. die 11. Julii.

XXIV. LUDOVICUS de Ligne dictus de Barbançon interiit 24. April. 1579.

XXV. EGIDIUS III. Aupaix vitam amisit 20. Octobris 1583. jacet in navi Ecclesiæ.

XXVI. JACOBUS II. le Waitte tollitur e medio 1591. versus ostium Claustrum tumultus.

XXVII. FRANCISCUS Petrart ex Religiosa Familia S. Francisci Episcopus Calchedonensis, & Suffraganeus Ludovici de Berlagmont Archi-Episcopi Camerac. Apoplexia suffocatur anno 1592. 1. Junii in cœtu comitorum. Jacet in Choro ad cornu altaris.

Abbates.

I. MELCHIOR le Breghe ex ultimo priore titulum Abbatis promeruit an. 1617. volente Alberto Archiduce, & probante Paulo V. Pontifice maximo. Fatis concessit 1619. 6. Junii.

II. NICOLAUS I. Lixuel dignitati nuntium remisit mense Junio 1623. superstes ad annum 1651.

III. MARTINUS Colin antea Prior Busco-Isaacensis, benedicatur Abbas die Festo S. Elisabeth. Vitæ curriculum absolvit 7. Martii 1651.

IV. PATRITIUS Gallemart mortalitatem exiit 1653.

V. NICOLAUS II. de Souhay ex Priore de Leuves, deinde Machliniæ, fit Abbas Prati-Mariani. Postea cessit, defunctus 8 Febr. 1663.

VI. JACOBUS Nentre al. Neutre præerat jam anno saltem 1662. quo Mitra usum obtinuit. Anno sequenti ab Ordinibus Hannoniæ legitur delegatus. Hic totum Monasterium a fundamentis reedificavit; quem tandem mors abstulit 11. Septembris 1679.

VII. GUILLELMUS Basbanc anno 1680. mense Aprili Pontificalibus indutus Abbatem S. Genovesæ Parisiensis visitaturum Monasterium excepit. Claustrum & Capitulum ac desuper ædes Abbaciales construxit. Morti debitum solvit Aug. 1701.

VIII. BERNARDUS de Heest electus anno 1702. & eodem anno apud S. Gisle-num benedictus ab Archi-Episcopo Camerac. Choro Ecclesiam decoravit, Ab Ordinibus Provinciæ delegatus est. Ex Gallia Christiana Tomo III.

PRATUM PORCINUM.

Puellaris Canonissarum Regularium Ordinis S. Augustini Abbatia B. M. de Pratis juxta Tornacum, nunc intra urbis mœnia; primum dicta est B. M. de bono Consilio a loco primævæ foundationis juxta Haspram in Diocesi Cameracensi, cui tam Godefridus Episcopus Cameracensis munificum se præbuit anno 1231. Jam dudum vero locum hunc satis incommodum sacrae Virgines incolebant, ut liquet ex Charta ejusdem Godefridi, prædictis Sanctimonialibus ad locum aptiorem vel intra, vel extra diocesim transmigrare permittentis anno 1232. Hinc eo ipso anno Walterus Episc. Tornac. annuente Capitulo, domum, quæ dicebatur Filiarum Dei, seu Pœnitentium, nuper a se in Pratis Porcinis juxta Tornacum ædificatam eis concessit, iterumque anno 1234. aliis beneficiis additis confirmavit: in cujus rei memoriam a prædicto Conventu ejus obitus solemniter agitur cum novem Lectionibus die 16. Februarii ex Necrologio, ubi Claustrum B. M. in Pratis Porcinis, Collegio Beghinarum quod & ipse exstruxerat, contiguum fundasse dicitur. Videatur *Gallia Christiana* Tomo III. fol. 301. quam hic paucis mutatis desloravimus.

Series Abbatissarum.

I. AELIDIS de Auxerio, de qua mentio fit in Charta Godefridi Episc. Camerac. 1231. superius memorata, ipsa est profecto Aelidis, quæ in quadam cum Ecclesia Vi-coniensi transactione nuncupatur Abbatissa B. M. de Pratis Bornacensis, Primacensis Ordinis. Item eam esse conjicimus Abbatissam de Pratis Porcinis quæ initiali nominis litera A. designata, unum terræ bonarium Tornacensi S. Martini Cœnobio vendidit

dit anno 1244. commemoratur in Necrologio his verbis: *Obiit XI. Novemb. venerabilis domina Aelidis quondam abbatissa nostra, quæ congregationis hujus cum aliis sociabus suis primum posuit fundamentum.*

II. MACTILDIS notatur in Necrologio 15. Jan.

III. CATHARINA Payenne, 28. Jan.

IV. AGNES I. Esteveninne, 20. Aug. ex Necrologio, ubi terras aliquas arabiles in suburbio sitas Monasterio suo legitur acquisivisse.

V. AGATHA de Muda, 16. Martii.

VI. ÆMELINA de Fretin, 2. Junii.

VII. ÆGIDIA, 18. Julii.

VIII. MARIA I. de Muffy sive Musie, ut habetur in Necrologio ad diem 6. Julii, eadem est fortasse, quæ cognominata le Vnuscie promisit obedientiam Philippo Episcopo Tornacensi circa annum 1351.

IX. JULIANA, 12. Novembris.

X. MARIA II. Enghebierde, 28. Augusti.

XI. JOANNA I. Wastebled, 22. Octobris.

XII. JOANNA II. des Plancques, 26. Maji.

XIII. JOANNA III. Buche al. Biche juravit obsequium Petro Episcopo Tornacensi. Memoratur in Necrologio, 17. Novembris.

XIV. ISABELLIS Vilaine promisit obedientiam eidem Petro Episcopo. Ipsa est Elisabetha Villain consignata in Necrologio, 20. Julii.

XV. MARIA III. Bourgies præerat anno 1434. obiitque 1468. 19. Septemb. ad quam diem in Necrologio reformasse Monasterium dicitur.

XVI. JOANNA IV. Colpart sedit ab anno 1469. ad annum circiter 1488. defuncta 29. Septembr.

XVII. JOANNA V. de Vaudripont 1488. Præfuit annis 15.

XVIII. QUINTINA Cotterel 1503. Occubuit anno 1507. die 24. Aprilis.

XIX. URSULA de Mortagne 1508. Vivere desit 1523. 10. Junii, cujus anno regiminis sexto, scilicet 1513. Angli Monasterium incenderunt.

XX. AGNES II. Savary 1523. Moritur 1549. 2. Jan. ex Necrol.

XXI. ANNA I. Tolenaire ex Coadjutrice fuit Abbatissa 1550. Cessit an. 1564. mortua 1567. 12. Martii.

XXII. VERONICA d'Antighem præfuit ab anno 1564. ad 1586. quo decessit 25. Octobris. Illis autem diebus Monasterium vetus ab hæreticis combustum est an. 1566. quare moniales in urbem sese contulerunt.

XXIII. BONA de Lannoy pedum gessit ab anno 1587. quo spiritum reddidit 22. Sept. ætatis suæ anno 63. dignitatis 8. De ea sic habetur in Necrologia: *21. Sept. memoria venerabilis dominæ Bonæ de Lannoy abbatissæ nostræ cujus tempore dormitorium hujus novæ domus exstructum est.*

XXIV. MARGARITA I. de Bouffers Veneta eligitur anno 1596. Ecclesiam cujus primum lapidem Episc. Tornac. posuit anno 1613. die 24. Junii, & omnia fere loca Monasterii ædificavit. Fatis concessit 17. Octobris anno 1617. ætatis 85. præfecturæ 21.

XXV. MARGARITA II. le Clercq electa 1618. 15. Febr. mortem oppetiit 12. Jan. 1654. ætatis anno 73. regiminis 36. Capitulum & alia quædam ædificia construxit: Clausura perpetua regularem disciplinam munivit, atque in tuendis Abbatia jure plurimum laboravit.

XXVI. MARIA IV. Vander-poorte inita possessione 5. Junii 1654. obiit 14. Decembr. 1674. Præfecturæ anno vigesimo. Porro hæc Abbatissa in regendo, nulli quæ præcesserit secunda, disciplinam observando, & asserendo ad mortem usque indefesse, cæteris quæ sequentur esse meruit exemplo. Ejus pietatem singulariter probat, quod in templo exstruxit sacrarium auro decoratum.

XXVII. ANNA II Hellinck possessionem adeptæ die 3. Maji 1676. vitam cum morte mutavit 25. Jan. 1679.

XXVIII. AVGUSTINA Lambert 28. Maji 1679. Fato fungitur 1712. 14. Oct.
ætatis anno 73. muneris 33.

XXIX. MARIA LUDOVICA V. Houzé successit 8. Sept. 1720.

PREMIACENSIS ABBATIA.

Premiacum Canonici Ordinis S. Augustini & Victorinæ congregationis Parthenon non lege a Cantiprato Virorum Augustiniani instituti cœnobio (utrumque vero non procul a muris urbis Cameracensis) conditus fertur circa an. 1185. ab Episcopo Rogerio, cujus successor Joannes Secundus, a non nullis cognominatus d'Antoing Sacras Virgines benedixit, ascetarum Cantipratenfium moderamini quantum ad Sacra tunc subditas, quin etiam infra ejusdem Monasterii ambitum, divisis tamen habitaculis viventes, ut legitur in vita B. Joannis I. Abb. Cantiprat. qui quidem paulo post abhorrens murmur, quod ex nimia utriusque Monasterii vicinia oriri posset, Sorores e Cantiprato Premiacum transtulit. Cum autem hæc Abbatia sub finem Sæculi XVI. bello sæviente funditus everfa fuisset, visum est Sacris Virginibus tutius intra urbem Cameracum sese recipere, ac primum quidem Virginibus S. Lazari se sociarunt, tum in Claustro Hieronymitarum, seu Guillelmitarum suas sedes fixere, ubi hætenus odorem suavissimum efflantes perseverant.

Index Priorissarum & Abbatissarum.

I. EUFEMIA, seu Eufenna, soror inquit Gazæus, Johannis Presbyteri, qui Cantipratensem Abbatiam erexit, ab eodem Gazæo prima dicitur Priorissa.

II. IVETTA nobilis fœmina & magnarum virtutum, dicitur prima Priorissa in vita B. Joannis I. Abbatis Cantipratenfis, quam sana circa 1197. constitutam fuisse Priorissam Locrius tradit in suo Chronico Belgico; ac post eam.

III. ELIZABETH, quæ Priorissæ titulum in Abbatissæ dignitatem commutari ab Episc. Camerac. impetravit.

IV. MATHILDIS de Beaumez.

V. BEATRIX I.

VI. BASILIA.

VII. AGNES de Beaumez.

VIII. JOHANNA I. de Cantaing.

IX. MARIA I. de Fontanis al. de Fontaine.

X. MARIA II. de Sombref.

XI. BEATRIX II. Moullard.

XII. MARIA III. de Baschoës.

XIII. EGIDIA de Blecourt.

XIV. ELISABETHA de Chemin.

XV. BEATRIX III.

XVI. CATHARINA de Mur.

XVII. JOHANNA II. de Valencenis,

XVIII. MARIA IV. de Gastine.

XIX. JOHANNA III. de Coulemont. al. Coullmont.

XX. RELINDIS.

XXI. MARIA V. de la Motte.

XXII. JOHANNA IV. de Harchies.

XXIII. JOHANNA V. de Thouars.

XXIV. JOHANNA VI. Godin.

XXV. ANTONIA le Grand.

XXVI. MARGARETA Geolle.

XXVII. JOHANNA VII. Huet.

XXVIII. JACOBA d'Anneux al. d'Anneaux ponitur a Grammajo anno 1597.

XXIX. MARIA du Mont S. Eloy. 1602. ex eodem Grammajo.

XXX. PETRONILLA Lausmonier, absque nota chronica apud Carpentar.

XXXI. MAGARETA Bernard præerat an. 1672.

XXXII. Sars.

XXXIII. Hustin.

XXXIV. ROBERTINA Bernard.

Hucusque Authores Gallix Christianæ Tomo III. mutatis tamen mutandis,

Nonnulla Additamenta ad Litteram P. ex Schedis Authoris primum exscripta.

PADERBORNENSIS.

Ecclēsia (quæ est Suffraganeatus Metropolitanæ Moguntinensis) mox a sui initio (quod habuit authore Carolo Magno circa annum Christi 794.) Regularitatem tenuit, atque istam usque ad annum circiter 1250. constanter observatam, de qua tamen iniquitate temporum pessime deteriorata Grantzius in Metrop. Lib. 7. cap. 50. ita testatur: *Sub hoc* (Bernardo hujus nominis quarto, ordine vero Successionis vicissimo secundo, qui Pontificatum tenuit ab anno 1233. usque 1254.) *Pontifice in Ecclesia Paderbornensi adhuc observantia Regularis inter Canonicos viguit, & sub hoc commutatio facta videtur de Regulari observantia ad statum Canonicorum Sæcularium &c.* Item Bruschius de Episc. Germ. Tom. 1. cap. 13. in Bernardo 22. Episcopo Paderbornensi: *Passus est* (idem Bernardus modo dictus) *ut Canonici Paderbornenses observantiam Regularem, quæ hæctenus ibi viguerat, mutarent liberioris vivendi rationis cupiditate in Sæcularium Canonicorum statum.* Sed vel maxime pro Regularitate principis Sæculis in Ecclesia Paderbornensi communiter usitata testis sit nobis S. Meynulfus Canonicus & Archi-Diaconus circa annum 816. die 5. Octobris cœlis receptus, de quo in Chronico Montis S. Agnetis cap. 15. fol. 166. sic habetur: *Anno Domini Millesimo quadragesimo nono Dominus Wilhelmus de Monte electus Paderbornensis incepit reformare Monasterium in Bodeken, trasferendo illud de statu Canonicorum Sæcularium ad statum Canonicorum Regularium, ac privilegium translationis super hoc edidit, in cujus fine sic habetur: Honorabili Viro Domino Joanni Wael Priori Monasterii in Zwollis Trajectensis Diœcesis tradimus, concedimus, & assignamus per præsentem ita quod ipse Ecclesiæ & Monasterio in Bodeken prout Facultas suppetit Congregationem convenientem Virorum Deo devotorum, Canonicorum videlicet Regularium, Religioni sui Monasterii in Zwollis conformium, juxta ejusdem Religionis exigentiam ibidem constituat. Præsertim cum Sanctus Meynulfus ejusdem Monasterii Fundator Religionis illius creditur fuisse Professor, Priorem seu Præpositum ipsi Congregationi præficiat, prout ei visum fuerit expedire.*

Cæterum ex rebus gestis quorundam hujus Ecclesiæ Episcoporum satis efficaciter eruitur, eandem a prima fundatione Regularibus institutis fuisse firmatam. B. Hathumarus enim primus hujus Sedis Episcopus in Cathedrali Herbipolensi a B. Burchardo disciplinis Regularibus optime institutus (ut supra V. Herbipolensis meminimus) eandem, quam Herbipoli didicerat, vivendi normam suis quoque Canonicis præscripsit. Hunc secutus est in Episcopatu Baduradus, cui teste Idone de Translatione S. Liborii cap. 6. 7. & 22. Tom. 4. Surii, cura fuit, *principalem Basilicam ingenti decore & grandi opere extollere, res omnes ad eam pertinentes modis omnibus adornare, augmentare Clerum, disciplinam Monasterialem instituere, pueros in scholam congregatos divina Legis eruditione nutrire: in sacris Ordinibus Religiosam vitam ducentes dirigere, omnes Monasterio, velut Clericos Canonicos continere.* Prima quoque hic Scientiæ & virtutis fundamenta posuit B. Altmannus primus hujus Ecclesiæ Regularis Canonicus, postmodum Passaviensis Episcopus, cujus eximium in propagatione Instituti Canonico-Augustiniani zelum comprobarunt complura, quæ eidem Ordini dum viveret, vel posuit, vel reposuit contubernia, prout pluribus videre est in hoc ipso Oper. V. V. *Gottwicense, Passaviense S. Nicolai, S. Floriani, Hyppolitanum.* Nec silentio prætereundus hic videtur *Unwanus*, primum hujus Cathedralis Ecclesiæ Regularis Canonicus

nicus, & postmodum annuente Henrico Imperatore & Benedicto VIII. a quo & Pallium recepit, ad Cathedram Bremensem promotus, de quo pro laude Instituti Canonici Kranzius scribit sequentia: *Isle Archi-Episcopus primus omnium Congregationes apud Ecclesias Cathedralis, aliasque, ad Canonicam perduxit Regulam, quæ antea quidem mixta ex Monachis & Canonicis, utraque conversatione turbata, degebat, non vigeat. Qua occasione Fratres licentius e claustris egressi, mulierum consortia primo petebant absconse, inde in majorem dissolutionem abierunt. Paulatim ergo defervescente in Clero Religione apud Ecclesias ex Monachis Regulares Canonici, & ex his Sæculares, ut nunc vocantur, Canonici prodierunt. Quid autem ex hac dissolutione deinceps sit oriturum, quis novit? Interpretemur, oro, vocabulum: si Canon est regula, Canonici sunt Regulares. Quid ergo fiet de Canonico Sæculari, nisi ut regularis sit irregularis, aut (si id malimus) Regularis sine Regula? Erat is devotionis fervor in Patribus sanctis, ut inter fratres etiam ipsi Pontifices visitarent, quod de hujus proximo legimus Decessore Libentio. Jam ventum est ad Regulares, ut Canonici dicerentur, & essent, utinamque ibi perdurassent: inferior inventus est gradus, Canonici Sæculares: hoc est Monstrum sine exemplo, Regularis sine Regula, Canonicus sine Canone. Ignosce Lector diviticulum non sponte facienti. Ita Hactenus Kranzius in Metrop. Lib. 4. cap. 1. qui mox ita pergit: *Hic Archi-Episcopus omnes ritus paganicos, quorum adhuc reliquæ multæ fuerant, stirpitus in hac regione evulsit: ita ut ex lucis, quos nostri Paludicola stulta frequentabant reverentia, faceret Ecclesias renovari. S. Viti Capellam Bremæ extra oppidum construi jussit. Capellam quoque Willebadi exustam jussit reparari.* Scriptis posteritati relictis inter alios præcipue hic floruit Ido, temporibus S. Meinulphi, & Baduradi Episcopi hujus Ecclesiæ Regularis Canonicus, qui scripsit miracula per S. Liborium de Cenomannica Ecclesia ad Paderbornam translatum operata anno 827. Kranzius in Metropoli Lib. 1. cap. 18. Quem S. Liborium etiam Sanctis nostri Ordinis Canonicis accensemus, eo quod Ecclesia Cenomannensis, quam hic Sanctus tam ut Canonicus, quam ut Episcopus laudabilissime administrarat non tantum tempore S. Liborii, sed jam tempore S. Juliani mediati Antecessoris & Cenomannorum Apostoli vere fuerit Regularis: sic quippe de hoc Sancto Juliano expressius verbis testatur. Letaldus Monachus de vita S. Juliani cap. 1. n. 12. apud Bollandum: *Julianus in dispensandis terrenis secundum institutionem Apostolicam desudabat, & viventibus sub se communiter Ecclesiæ filiis, prout cuique opus erat, fideliter dividebat.* Unde patet, non tantum S. Liborium, sed & tres alios ordinata serie Liborium in Cenomannensi Episcopatu præcedentes, nempe S. Pavatium, S. Turibium, & S. Julianum inter Sanctos Canonici Ordinis esse numerandos, quod gravioribus argumentis stabilivit Anonymus noster Parisiensis a folio 107. Disquisitionum de Ordine Canonico. Alter est*

Oliverius, primum hic loci Regularis Canonicus, dein Episcopus, & tandem S. R. E. Cardinalis Sabinus, Theologus profundissimus, qui floruit anno 1220. scripsitque Synodales constitutiones ex Jure & Patrum decretis colle collectas. Plura de hoc habentur in Purpura docta Lib. 1. fol. 146. Hunc Oliverium nostrum in Episcopatu secutus est Bernardus, qui Canonicos Regulares anno 1254. mutavit Sæculares. At jam desinente Regularitate non desit omnis erga Institutum Regularium affectus, nam

Goblinus Persona, Cathedralis Paderbornensis Sæcularis Canonicus, Officialis & Vicarius, sæcularis vitæ pertæsus ad Canonicos Regulares Windesimenses Regularitatis amore se contulit, ac inter eos legitime professus scripsit anno circiter 1418. Cosmodramium, seu Chronicon Orbis univèrsale, e quo totas paginas Kranzius suæ Metropoli, tacito nomine inseruit. Editum est Francofurti anno 1599.

S. PETRI,

Seu Principi Apostolorum dedicatum, cujuscunque demum Ordinis vel Regulæ Monasterium, Archi-Diœcesis Moguntinæ, Stauronesio seu Crucenaco Palatinatus inferioris Oppido stativa sua proximum, id tamen quo ad primam originem seu genuinam primæ Foundationis historiam haud amplius inquirendum, hoc ipsum studio & opera RR. Patrum de Congregatione Windesimensi id ævi celeberrima, pro tempore in Comprovinciali Cœnobio Schwabenheimensi commanentium, traditum fuit Sacris Vestalibus (nova harum colonia ex Libera Imperii Civitate & Parthenio Conventu deducta) Augustinianis; quibus hic loci legitime stabilitis, successivis vicibus eximio huic S. Petri Gyneceo Canonico-Augustiniano Venerabiles in Christo Antistitæ præfuisse leguntur sequentes:

I. MARGARITHA Domo Bavara post expletum 33. Superioritatis annum mortuis accensa anno 1442.

II. ELISABETHA de Gottenberg laudatissimo 30. annorum regimine perfunctum tumulo illata anno 1472.

III. CATHARINA de Pfeffersfeld post diuturnum 36. annorum regimen æternitati reddita anno 1506.

IV. GERDRUDIS de Riedtland unius & viginti annorum Mater honorabilis & Religiosa Antistita vinculis carnis enodata anno 1527. Dominica Quinquagesimæ.

V. ELISABETHA de Bingen expleto Claustralis gubernationis anno 13. morte naturali in pace suffocata in Domino requievit anno 1540. die 12. Julii.

VI. CHRISTINA de Tieffenbach Religiosa gubernatione sua præstitit annis 26. & ultima ægritudine sua vita naturali defecit anno 1566. die 10. Martii.

VII. ELISABETHA de Roberenheim cognominata exacto Religiosæ Præfecturæ suæ decennio corpore mortali leniter resoluta ad plures abiit anno 1576. die 7. Aprilis. Cujus post mortem execrando Calvinii dogmate in terras istas violenter inducto Religiosæ Domicellæ Claustrali mansione sua contumeliose dejectæ, tandem post multos circuitus errorum de speciali gratia Ordinarii translata fuerunt ad aliud quoddam Claustrale Domicilium in Eybingen cognominatum; cujus aliquando descriptionem suo loco dedimus jam supra.

PFÄFFENMÜNSTER,

Sic ab antiquo absurda vocis mutilatione usque hodie nuncupari solitum, rectius a Joanne Aventino de rebus Boicis Lib. 3. fol. 29. *Papho-Monasterium* dicendum, vetustissimum apud Bavaros in Diocesi Ratisbonensi, & primum quidem Ordinis S. Benedicti Cœnobium, subinde vero interjectis annis in Collegium Canonicarum Cœnobialium fuit trasmutatum. De cujus initiis Eruditissimus Adlzreütterus in suis Boicæ gentis Annalibus Part. 1. Lib. 7. num. 26. sic habet: *Anno 743. Utbilo* (Thasilonis Pater Baviaræ Dux anno proxime præcedente Hiltrudi Caroli Martelli filiæ despolatur) *construxit Pfaffen-Monasteriense Cœnobium suavis S. Pirminii, qui Divi Tiburtii Martyris* (die 14. Aprilis Martyrologio Romano inscripti) *honori templum adnexum dedicavit. Otbo Episcopus Argentiniensis primos e Divi Benedicti familia Colonos Cœnobia submisit, qui sedes postea cum Canonicis Mettensibus commutarunt an. 1156.* Verum quod res est (Wilhelmus itidem Baviaræ Dux hujus nominis quintus) piissimus ac Catholicus (ut inquit Hundius in Metrop. Tom. 3. fol. 102.) Princeps pio zelo cum consensu Summi Pontificis nec non Ordinarii Ratisbonensis Episcopi translulit Collegium hoc Straubingam, ac cum Parochiali Ecclesia ibi univit, iisdem fere Statutis, Regulis, ac Privilegiis &c.

PFORZHEIMIUM,

Aliis *Pborcense* dictum, Marchionatus Badeno-Durlacensis, Diocesis vero Spirensis in ipso Sylvæ Hercinianæ aditu belle situatum. Idem tamen cum suo Principe Terræ meridionalis Lutheranismi, vel olim (dum adhuc in Sacris ritibus Sacros Catholicos Romanos coluit) duplex quoddam primariæ Ecclesiæ Pborcensi coædificatum Religiosorum Virorum Claustrum habuit, & quidem utrumque istud sub aurea S. P. Augustini Regula militans; quorum unum Canonicorum Regularium, alterum vero Fratrum Eremitarum fuit a Principe Terræ anno non notato fundatum, idemque pariter in gemino statu suo usque ad annum 1560. constantissime servatum, quo usque cogente Bernardo IV. Marchione Baadeno-Durlacensi, avita vide Orthodoxa procul inde faceffere coacta, memoratum utrumque Claustrum in puncto Religionis meridionalis defecit, cum quisvis attinentiis suis sacris & profanis ad usus alienos attractum.